JOANNIS CLERICI ARS CRITICA,

IN QUA AD STUDIA Linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ via munitur; Veterúmque emendandorum, & Spuriorum Scriptorum à Genuinis dignoſcendorum ratio traditur.

Editio altera priori emendatior.

LONDINI:

Apud *Rob. Clavel* ad *Pavonem*, *Timoth. Childe* ad *Album Cervum*, in Cœmeterio D. *Pauli*, & *Andream Bell*, ad *Claves decuſſatas* & *Biblia* in Vico dicto *Cornhill*, M. DC. XCVIII.

M. ANT. TEUTONI

Suo S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

CRITICEN nostram, mi TEUTO, quam nosti dudum inchoatam, sed alio studiorum & laborum genere interruptam fuisse, ad umbilicum tandem perductam ad te mitto. Nemo erat, cujus studiis consultum magis optarem, quàm tuis; nec amicorum quisquam, cui crederem utilius esse posse hoc Opus; *si modò à scopo, quem mihi proposui, non prorsus aberrasse censeri queam.*

A puero tibi dux fui

—per amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedésque beatas,

in quas se receperunt magnæ illæ animæ, quæ olim Græcis & Romanis præluxerunt. Optimorum quorumque Scriptorum, Græcorum & Latinorum, intelligo libros; in quibus etiamnum videntur spirare, & quos tibi aut integros, aut ex parte olim interpretatus sum. Meâ haud multò minùs quàm tuâ interest, te nunc studiosè cùm vestigia tua relegentem, tum etiam in abditiores partes eorum nemorum penetrantem, à recta semita non aberrare, ut quò tendis pervenias. Quo enim uberiores fructus, ex rectè institutis studiis, capies; eo major erit mea voluptas, cùm me frustra non fuisse intelligam. Tum demum mihi videbor optimo viro, Patri tuo, beneficia, quibus me, ex quo in Hollandia pedem fixi, devinxit, posse rependere; cùm sentiet operam meam tibi inutilem non fuisse. Patere ergo me ingenium, quod mihi tenellum commissum à viro amicissimo per aliquot annos non indiligenter excolui, etiamnum sub-

inde monitis & consiliis firmare; ut, quemadmodum facis, ad honestissima quæque pergas contendere.

Eam in rem, hoc Opusculo te donare volui, ut quod voce non possum, dum Oceano divisi sumus, nec etiam Epistolis, propter perpetua negotia, quibus me scis destineri, id libello hoc faciam. In eo multa distinctiùs, & copiosiùs leges exposita, quæ olim me obiter dicentem audivisti. Monita etiam hîc plurima è media Philosophia petita, videbis; quæ, nisi fallor, humaniores, & sanctiores etiam literas colentibus non nimiùm inculcari possunt; cùm viri, non è vulgò, quòd hæc satis non attendissent, passim in Scriptis suis cespitarint.

Hîc Criticum, non pædagogico fastu tumentem, aut farragine quadam jejunæ eruditionis onustum, formare aggressus sum; sed non minùs judicio, atque memoriâ suâ utentem, & qui probè calleat quàm pauca penitus in Veterum monumentis intelligamus; ideóque modestè de aliis judicet, & ab omnibus discere sit paratus. Volo eum ante omnia niti intelligere quid Veteres velint, & sibi diligenter cavere, ne opinetur se scire quod nescit. Sed dum hisce studiis operam dat, nolo eum Philosophicis & Mathematicis umquam ita valedicere, ut judicii sui oblitus memoriam tantùm excolat. Utraque perpetuo conjungenda sunt, ita ut dum Philologia nobis congerit materiem, è Græcis, Latinisque Scriptoribus, quâ, ubi necesse erit, utamur; Philosophia omnem illam materiem, ordine certo digerat, & singula suis locis collocet. Nisi hoc fiat, moles quædam indigestæ eruditionis comparatur, aptior obruendis audientium animis, quàm iis collustrandis.

Itaque utilissimum tibi erit Disciplinarum Mathematicarum studium, cui nunc incumbis, si Geometricum illum laudatissimum ordinem ad alia transferas, quoad per naturam rerum licebit; atque animum ordini adsuetum instruas lectione Veterum, iis cognitionibus, eáque facultate dicendi, quæ sunt literarum studioso, quodcumque vitæ iter ingrediatur, necessariæ. Quamobrem, *ut* Ciceronis *verba usurpem nonnihil mutata,* disces quidem, *mi MARCE,* à principibus hujus ætatis Geometrarum, & disces quamdiu voles; tamdiu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non pœnitebit. Sed tamen nostra leges, *ut subactum, ope Geometriæ, judicium instruere*

poss-

possis pulcherrimarum rerum, quæ in Veterum libris leguntur, cognitione. Quæ omnia studia tibi indies faciliora & utiliora fieri, corpusculumque tuum & valetudinem confirmari, Deum Opt. Max. ex animo oro. Vale.

Dabam Amstelodami Calend. Decembribus.

cIↄIↄc xcvi.

INDEX CAPITUM

TOMI PRIMI

Cap. IV.

PARTIS

PARTIS II. SECTIO II. In qua particulatim expenduntur vocum & loquutionum significationes.

ARS CRITICA,

SEU DE INTERPRETATIONE VETERUM SCRIPTORUM.

PRÆFATIO.

Definitio, Divisio, & Usus CRITICES.

SECTIO I.

1. CRITICEN vocamus *Artem intelligendorum Veterum Scriptorum, sive numeris adstrictâ, sive solutâ oratione utentium; & dignoscendi quænam eorum genuina scripta sint, quæ spuria.* Dicitur ΚΡΙΤΙΚΗ, quòd ejus opè *judicemus* de sensu dictorum, déque ætate scribentium. Hac in appellatione, aliquantùm discrepamus ab iis, à quibus mutuam sumpsimus, Græcis veteribus; *Criticos* enim vocabant, docente *Eustathio* in *Homerum* ad Il. β'. [a] τοὺς κατὰ τὴν γραμματικὴν παράδοσιν εἰδότας κρίνειν τὰ ποιήματα, *eos qui ex doctrina Grammaticorum, judicare de Poëmatibus nôrunt.* [b] Alibi eosdem vocat ἀκριβεστέρους γραμματικούς, *accuratiores Grammaticos.* Sed utrobique agit de Interpretibus *Homeri*, aut de iis qui ejus opera recensuerant; qualis fuit *Aristarchus*, qui spurios versus Homeri notaverat. [c] At nos Criticen non minùs ad eos qui prosâ oratione scripserunt interpretandos adhibemus, quàm ad intelligendos Poëtas. Non inquiremus hîc, an hæc Ars pars sit *Grammaticæ* propriè dictæ, an verò secus, quia pendet ex cujusque arbitrio, arctiorem aut ampliorem vocabulo cuivis tri-

a Pag. 285. l. 9.
b Pag. 773. l. 30. Ed. Rom.
c Sic & Scholiastes MS. *Dionysii* Thracis, cujus verba affert *Ger. Langbanius* ad Longini Cap. VI. solis Poëtis mancipat *Criticum*.

buere ſignificationem, in ſuo ipſius ſermone, modò audientes aut legentes moneat. Itaque qui *Grammaticen* vocabit quidquid ad Linguarum cognitionem pertinet, eo nomine *Criticen* etiam complectetur; qui verò Grammaticen dici tantùm debere cenſebit *Artem rectè loquendi*, is Criticen, quamvis Grammaticæ affinem, ad aliam diſciplinam referet.

2. Critica, quam ſumus tradituri, non attingit Grammaticas Regulas, quæ ſunt ſermonis elementa; ſed eas jam notas eſſe legentibus ſtatuit. Neque etiam rerum ipſarum cognitionem ſuppeditat, ſed viam tantùm aperit, ad intelligendum eorum ſermonem, qui de rebus egerunt. Haud magis quæritur hîc quid verum ſit, quid falſum, ſeu an id quod legimus veritati conſentaneum ſit, nécne; ſed tantùm quî poſſimus intelligere quid ſibi velint ii, quorum ſcripta legimus. Uno verbo, quæritur vera dictorum ſententia, non veritas eorum quæ dicuntur, licèt huic illa facem ſæpe præferat; cùm, nempe, Scriptor, quem intelligimus, veritatem aſſequutus eſt.

3. Itaque, quod ſolenne Criticorum vitium eſt, cavendum ne, dum verborum ſignificationes diſcimus, aut Scriptorum veterum ſententias cognoſcimus, putemus nos ſemper veritati ipſi, rerúmque cognitioni operam dare: néve poſtquàm multa talia memoriter tenemus, res ipſas ideò cognitas habere nos exiſtimemus. Viam aperit ac munit Critice ad veram eruditionem, hoc eſt, rerum certam notitiam; cujus tamen ipſa pars non eſt. Qua de cauſa Thebanus *Cebes* in ſepto, cujus oſtio Ψευδοπαιδεία adſtabat, collòcat *Criticos*; qui niſi ulteriùs contendant, in ſeptum *Veræ Eruditionis* numquam perveniunt.

SECTIO II.

1. CRitica, prout hanc vocem definiimus, complectitur ambitu ſuo tres partes; primò, monita ac conſilia attinentia ad ordinem quo legendi Veteres, ut Linguæ potiſſimùm Latina, Græca & Hebraïca addiſci commodè queant, réſque Latinorum, Græcorum & Hebræorum cognoſci; ſecundò, canones de interpretatione verborum & loquutionum; tertiò, præcepta de judicio quod de antiquorum Scriptorum libris & locis tam genuinis, quàm ſpuriis, ferri oportet.

2. Multùm intereſt quo ordine incipiamus lectioni Veterum operam dare, quia multi libri numquam poſſunt probè intelligi, niſi alii antea lecti ſint; & quia à facillimis incipiendum, ut ad difficiliores paulatim accedamus. Exempli cauſâ, ſi quis aggrediatur legere Scriptorem addictum cuipiam ſectæ

sectæ Philosophicæ, de cujus tamen sectæ placitis non agat, ut ea interpretur, sed subinde tantùm ad ea alludat; eum non intelliget, nisi priùs sectæ illius dogmata aliunde cognoverit. Voces præsertim τεχνικαὶ, sive singulis usitatæ sectis peculiari notione, & à vulgari quandoque remotissima, sine singulari dogmatum ejus sectæ cognitione, intelligi nequeunt. *Origenes*, & plerique alii Græci Patres, Platonicis dogmatibus maximè addicti fuerunt; ideóque si quis eos legere aggrediatur, ante *Platonis* aut Platonici Philosophi lectionem, frustra sanè tempus terat. Similiter, siquis Tragicum Græcum legeret, nondum aliorum Poëtarum lectione firmatus, primò multùm sudaret, deinde cùm se eum intelligere putaret, toto cœlo aberraret. Hæc exempla hanc in rem adducimus, quæ sunt manifesta, ut quid velimus clariùs pateat; sed sunt alia, in quibus innumeri peccant, quæ postea proferemus.

3. Quamvis non desint Interpretes & Lexicographi, quorum labore non parum adjuvamur, in cognoscendis vocum & loquutionum significationibus; attamen, ne dicam multa ab iis esse omissa, difficillimum interdum est ea quæ habent aptare locis Veterum, quibus intelligendis insudamus. Præter ambigua vocabula, voces plurimæ & phrases affines quidem sunt significatu, sed varia tamen notant; quæ si confundantur, magnos possunt in hoc negotio errores parere. Sunt præterea loquutiones & voces haud paucæ, quæ cùm aut nullam aut obscuram habeant significationem subjectam, attamen quasi claræ perperam habentur. Harum omnium exempla, ubi ad rem deventum erit, affatim afferemus.

4. Exercitatione & dexteritate haud exigua opus est, primùm ad cognoscendam dictionem cujuspiam Scriptoris, ut eum à quovis alio secernere possimus; secundùm, ad videndum si quid vitiosi, negligentiâ Librariorum aut temeritate Criticorum, irrepserit, & veram lectionem à falsis dignoscendam; tertiò, ad deprehendendas veterum Librariorum fraudes, qui insignia nomina addiderunt fronti librorum interdum non malorum, sed Scriptorum minùs celebrium, ut meliùs venderentur. Itaque hic est summus Artis Criticæ apex, ad quem non nisi longo labore pervenire licet.

SECTIO III.

1. USus quamplurimos habet Critice, & alios quidem cum aliis Disciplinis communes, alios verò sibi proprios; quorum præcipuos breviter attingemus. Utilitas omnis, quæ hauritur ex Historiæ cognitione, adeóque ex universo humaniorum literarum studio, quantùm patet, huic imputari debet;

debet; quoniam, hujus unius ope, Hiſtoriæ & elegantiorum literarum peritia comparatur. Eadem unicum eſt veræ Rhetorices, non fucatæ illius, quæ mendacio æquè ac veritati patrocinatur, fundamentum. Hujus beneficio, verborum ambiguorum, ſeu de induſtria, ſeu incautè adhibita fuerint, latentes fallacias deprehendimus; idque quod intelligi poteſt, ab eo quod ſenſu caret, ſecernimus. Nulla quoque Ars, præter Criticam, docet quâ ratione ſuppoſititia monumenta dignoſcantur, & loca veterum inſtrumentorum fraude, vel inſcitiâ, corrupta reſtituantur. Atque hi duo poſteriores uſus Criticæ proprii ſunt, priores habet communes cum aliis Diſciplinis. Quod paulò copioſiùs oſtendere, quantùm inſtituti noſtri patitur brevitas, operæ pretium erit; hinc enim manifeſtiùs liquebit, quanti momenti ſit hæc diſciplina.

2. Hiſtoriæ ope cognoſcimus initia humani generis, quæ nos deducunt ad cognitionem ipſius rerum omnium Opificis; opiniones & conſuetudines populorum, quæ proſunt multùm ad benè ac beatè vivendum; evenrúſque & mutationes, quæ in rebus humanis neceſſariò eveniunt, & quibus cautiores ac mitiores evadimus. Hæc autem omnia intelligi nequeunt, ſine Critices ſubſidio. Nam licèt pauci hujus Artis canonas ſatis attenderint, & certâ methodo hoc in negotio progreſſi fuerint; attamen, ſi quid in Hiſtoria intelligunt, totum ferè id Criticæ debent, ut ex ipſa re poſtea liquidò conſtabit. At ſunt innumeri, qui miro errore putant ſe intelligere quod non intelligunt; quia ignorant quanta cautio adhibenda ſit, ad ſermonem veteris Scriptoris probè aſſequendum. Quot & quanti viri crediderunt ſe Hiſtoriam Eccleſiarum Chriſtianarum, & opiniones eorum, qui vulgò *SS. Patres* vocantur, in numerato habere, qui reverâ hoſpites ea in re fuerunt? Nempe, vocabula nuda didicerant, aut voces, quibus ex hodiernis placitis ſignificationes tribuebant, memoriæ mandarant, quod indubitatis exemplis alibi oſtendemus.

3. Ope humaniorum literarum, expolitur ac emollitur animus, naturâ ſuâ rudis & tenax earum rerum, quibus primùm imbuitur aut percellitur; quod in ruſticis deprehendimus, qui non modò rudes ſunt & ignari eorum, quæ in villa ſua non viderunt; ſed etiam pertinaciſſimè plerumque adhærent conſuetudinibus & opinionibus ab infantia acceptis. At qui cum plurimis verſantur, experientiâ non tantùm ruditatem exuunt, ſed etiam ſeſe adſuefaciunt audiendis contra ſuam ſententiam rationibus; atque eâ adſuetudine diſcunt cedere aliorum argumentis, ſi recta videantur. Ita quoque qui pluimos Scriptores legerunt, & cum illis, ut ita dicam, familiariùs verſati ſunt, imperitiam & pertinaciam, cognitâ illâ varietate

rietate infinitâ opinionum, deponunt. Fateor tamen vastæ lectionis viros, utroque vitio, præ cæteris, laborâsse; verùm hoc factum non est vitio Artis, sed quòd ipsi pravæ essent indolis, & multa quidem legissent, sed pauca reverâ intellexissent. Accidit sanè sæpissimè ut, qui diuturnam cuipiam Arti operam dederant, finem Artis illius nequaquam assequerentur; quod non est ipsi Arti vitio vertendum, sed iis qui ea abutuntur, imbecillitate judicii, aut pravo affectu præpediti. Verùm ubi Ars cum indole aut præstanti, aut non prorsus inepta conjungitur, indoles præstantissima evadit, vel mediocriter saltem expolitur.

4. Critica quidem canonas non tam disertè loquendi tradit, quàm intelligendorum Scriptorum veterum; seu eloquentes fuerint, seu minùs facundi. Attamen, dum docet quâ ratione animum Scriptoris, sub verbis quibusvis latentem, perspicere queamus; eâdem operâ ostendit quis sit, & quis debeat esse sermonis usus, ut qui nostra legunt, vel audiunt mentem nostram probè capere possint. Itaque hac ratione Critica fundamentum est Rhetoricæ; quæ eò ante omnia tendit, ut perspicuè quæ volumus efferre nos doceat.

5. Hoc manifestiùs erit si reputemus, inter præcipuos Criticæ fines, hunc esse; ut probè, nimirum, intelligamus quid unaquæque vox significet, & quænam sit cùm singulorum commatum & periodorum, tum totorum librorum sententia; hoc est, efficere ut cùm legimus Scriptorem aliquem, id ipsum cogitemus, quod dum scriberet ille cogitabat, quantùm id ex verbis ejus conjici potest. Ideóque si cujus cogitationes obscuræ fuerunt, dum scriberet, ejus dictis non affingemus claras notiones; quasi quæreremus quid cogitare debuerit, & quænam dogmatum ejus sint consectaria, non verò quid re ipsâ cogitârit. Intelligimus autem hìc hominem, non qui quod perspicuè intelligit, imperitiâ scribendi obscurè effert; sed qui obscuram notionem animo obversantem, iis quibus potest verbis exprimit, quod nimis frequens est. Contrà si quis dilucidas notiones verbis expresserit perspicuis; oportebit nos itidem clarè intelligere quid velit, numquam aliàs. Pariter si quis incautè, aut præ affectu, utatur verbis ambiguis, eadem Ars nos docet quâ ratione varios vocum sensus excutere possimus; ne præter Scriptoris mentem aliquid in ejus sermone urgeamus, quod urgendum non fuerat Contrà vulgò fit, nam qui obscurissimum Scriptorem, hoc est, cujus obscura non verba modò, sed & animi sensa fuerunt, quàm maximè potuit, perspicuè interpretatus est egregii interpretis officio defunctum se putat; cùm ut plurimùm indicaverit, quid cogi-

tare debuerit Scriptor quem exponit, ut ejus verbis reſponderent animi ſenſa, non quid re ipſâ cogitârit. Idem ſactitant etiam qui res, quatenus ſibi notæ ſunt, magis attendentes quàm verba Scriptoris quem interpretantur, dicta ejus notionibus ſuis aptant, cùm ex iis ſenſa Auctoris expiſcari debuiſſent. Multa quoque, quaſi clara, tranſmittuntur, quæ haud levi ambiguitate laborant, eáque multò plura ſunt, quàm quæ vulgò cenſentur. Alia intelliguntur, non pro uſu Scriptorum, qui ea adhibuerunt, ſed noſtri ſæculi; quo non vocibus modò Linguarum ſuperſtitum pro arbitrio utimur, ſed dictionibus etiam Latinis novas affingimus ſignificationes, aut à proximè præteritis ſæculis attributas retinemus. Videntur & quædam emphatica auribus noſtris, iis non ſatis adſuetis; quibus ita non afficiebantur Veteres, nec etiamnum afficiuntur doctiores.

Imò, quod paradoxum videatur, haud pauca ſunt vocabula, apud Veteres, uti & apud Recentiores, quæ, non dicam obſcuram, ſed nullam planè poteſtatem ſubjectam habent, non ſecus quàm Ariſtophanicum φλαττοθραττοφλαττόθρατ. Deprehendimus homines ſæpe hoc unum in ſermone ſpectare, non ut notiones quæ mentibus ſuis obverſantur, dum loquuntur, exprimant; ſed ut certas voces in certis circumſtantiis, inſtar Pſittacorum, aut Gracculorum, pronuncient. Hoc obſervare eſt potiſſimùm in vocabulis quibuſdam, quæ grandia occultare dicuntur myſteria, qualia ſunt vocabula *Tranſubſtantiationis*, *Præſentiæ corporis*, *non naturalis*, *ſed ſacramentalis*, *Ubiquitatis humanæ naturæ Chriſti*, &c. Quæ afferimus, non quaſi ſola, ſed quaſi eximia quædam exempla vocabulorum nihil ſignificantium. Sunt præterea innumera, quæ ſi non ſint eodem loco habenda, notiones adeò generales & incertas habent, apud plurimos Scriptores, adnexas, ut vix ac ne vix quidem indicari poſſint. Attamen qui iis utuntur ſperant ſe luce meridianâ clariùs loquutos, cùm plurima ejuſmodi protulerunt vocabula. Hinc etiam fit ut qui eos Scriptores legunt videantur interdum ſibi mira legere, ubi nihil intelligunt; iiſque adſentiantur, vel potiùs in vocibus quibuſdam acquieſcant, ſummâ propenſione animi, & putent ſe veritatem didiciſſe, cùm meros ſonos didicerint.

* *Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amántque*
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt;
Veráque conſtituunt, quæ bellè tangere poſſunt
Aures, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.

* *Lucret.* Lib. I.

6. Denique

6. Denique Critica nos docet quî possimus supposititia Scripta à veris secernere, quod maximi est momenti. Primùm enim, nisi hujus regulas attendamus, historias fictitias pro veris suscipimus, & sic fabulis honorem soli veritati debitum, tribuimus. Ita cùm quidam *Joannes Annius Viterbiensis*, Ordinis Prædicatorum, qui floruit sub finem sæculi XV, edidisset, quasi à se in schedis vetustis repertos, *Fabium Pictorem* de Aureo sæculo, *Myrsilum Lesbium* de Tyrrhenis, *Catonis* Origines, *Sempronium* de Italia, *Archilochum* de temporibus, *Metasthenem* (quem debuit vocare Megasthenem) *Philonem*, *Berosum*, & *Manethonem*; multis imperitis imposuit, & plures fefellisset, nisi hoc facinus luce literarum, quæ postea excoli cœpêre, retectum fuisset. Veteres Christiani, cùm hanc artem non satis callerent, fabulas sub Apostolorum, aut virorum Apostolicorum nomine, sibi obtrudi passi sunt. Talia fuere *Itinera Pauli*, *Prædicatio Petri*, aliáque de quibus *Joannes Dallæus* in *Pseudepigraphis Apostolicis*, & quæ ab iis proferri solent tam securè, quàm si certò constitisset esse eorum, quorum nomina præferebant; cùm manifestissimum sit fuisse Scripta supposititia. Plurima quoque celeberrimis Scriptoribus Ecclesiasticis tributa sunt, quæ iis ignota fuere, ut passim observant qui de hisce Scriptoribus egerunt, & inter alios *Robertus Cocus* in libro inscripto: *Censura quorundam Scriptorum qui, sub nominibus Sanctorum & Veterum Auctorum, citari solent*; ac *Andreas Rivetus*, in *Critico Sacro*. Hinc factum ut * celebris Episcopus *Oxoniensis*, Antiquitatis alioquin propugnator acerrimus, in hæc verba eruperit: *Tanta fuit primis sæculis fingendi licentia, tam prona in credendo facilitas, ut rerum gestarum fides graviter exinde laboraverit: nec orbis terrarum tantùm, sed & Dei Ecclesia de temporibus suis Mythicis queratur. Arreptâ occasione, quòd Confessores θεοφόροι & χριστοφόροι passim dicebantur, malè feriati homines Briareum Christianum Martyrologiis inseruere. Paribus auspiciis lancea, quæ Domini latus transfixit, in sanctum Longinum transibat, & vestis, quâ Protomartyr Anglorum Albanus se induit, in sanctum Amphibalum mutabatur.* Atque hæc & similia crederemus etiamnum hodie portenta, nisi Critices lux nostri Occidentis tenebris illata, mendaciis discussis, veritatem patefecisset.

7. Verùm non in Historicis duntaxat fictitiis secernendis prodest Critica, sed etiam in veris Historicorum Scriptis retegit additas lacinias, aut resectas particulas, quæ aut sensum turbant, aut novum etiam pariunt Historicorum opinionibus contrarium. Ita viri docti *a* existimarunt *Josepho* adsuta fuis-

* *Joann. Fellus* in Monit. præmissâ *Confessioni* Supposititiæ *Cypriani.*

a *Tan. Faber* in Epist. 12. Lib. II.

ſe verba de Chriſto, à Chriſtiano malè feriato, ut *Joſephus* Chriſto teſtimonium, quo non indiget, exhibuiſſe videretur. Detracta quoque interdum ſunt veteribus Hiſtoricis, quæ non ſatis conſentire videbantur, aut cum fide Hiſtoriæ, aut cum receptis ſententiis; qua in re, ne quidem ſacris Apoſtolorum *b* Scriptis pepercêre audaces, imò perfidi Librarii. Quod cùm ita ſit, quid mirum, ſi manus non abſtinuêre ab aliis Hiſtoricis? Sic apud *Euſebium*, in Chronico tranſlato & aucto ab *Hieronymo*, legitur ad An. MM.CCC.XCII. *Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus Cappadociæ clarus habetur*; reſectis hiſce quæ in quibuſdam Manuſcriptis temerariam correctionem non paſſis comparent: * *Qui multa continentiæ & ingenii bona uno ſuperbiæ malo perdidit.*

8. Cavendum tamen docet Critica, ne quia interpolata ſunt multa Veterum Opera, multa item ὑποβολιμαῖα, ideò omnia ſuſpicemur corrupta aut ſuppoſita; & præcepta tradit, quæ ſi ſequamur, nec omnia ſine examine admittemus; nec omnia, quod eſt alterum extremum, rejiciemus, ideò quia ſunt quædam falſa; uti faciunt qui Criticæ numquam litârunt.

9. Sed, quas modò memoravimus, fraudes non ſolùm in his quæ ad eventus pertinent commiſſæ ſunt; ſed etiam in libris dogmaticis, quod majoris eſt periculi. Etenim ut novitia dogmata auctoritate Veterum fulcirentur; aut ne Veterum dictis oppugnarentur, eorum Scripta, vel aucta, vel imminuta ſunt. Libri integri iis attributi, quorum non erant, veríſque eorum fœtibus inſertæ integræ periodi, cujus utriuſque fraudis vel unus exemplum eſt *Ignatius Antiochenus* Epiſcopus; cui non modò affictæ ſunt, quas numquam ſcripſerat, Epiſtolæ; ſed additæ in genuinis plurimæ laciniæ, ut ex earum *Uſſeriana* Editione videre eſt. Detracti ſunt ex Veterum Scriptis libri integri, quòd non placerent Editoribus, ſicuti feciſſe ſe jactat † *Latinus Latinius* in Ed. Operum Cypriani Manutiana, ubi non comparet Epiſtola celebris *Firmiliani Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi*, in qua *Stephani* Romani Epiſcopi vitia vivis pingit coloribus. Qui Editionem Venetam Operum Auguſtini Ann. 1570. procurârunt fatentur in ipſa operis fronte, quaſi egregium facinus, *ſe curaviſſe removeri ea omnia quæ fidelium mentes hæreticâ pravitate poſſent inficere, aut à Catholica & orthodoxa fide deviare.* Neque hoc putandum heri aut nudiuſtertius primùm cœpiſſe fieri; peſtis hæc

b Vide *Critica* Part. III. S. I. C. 3.

* Vid. *Iſ. Voſſium* in Reſp. ad 3. Objection. *Ric. Simonii* p. 119.

† Biblioth. Sacra p. 177. *Ego*, inquit de hac Epiſtola verba faciens, *Latinus Latinius omiſi, non Manutius, cum Majorum exempla ſequutus, tum petulantiam hominis deteſtatus.*

multò

multò periculosiùs grassata est, antiquioribus sæculis, cùm libri manu describerentur, rarioresque adeò essent, ut exemplis allatis, & plurimis aliis, quæ posthac afferentur, liquet.

10. Ope Criticæ, hasce omnes fraudes deprehendimus, quòd nisi fiat, errores novos, quasi prisca dogmata, admitti à nobis oportebit. Apostolis, exempli causâ, tribuenda erunt figmenta quæ in eorum ψευδεπιγράφοις reperiuntur, ut fecerunt Veteres, & inter alios *Clemens Alexandrinus*. Iidem etiam, quòd avidiùs arriperent quidquid videbatur favere Christianæ Religioni, sine ullo examine Critico, Ethnicis sæpe ludibrium debuerunt; ut cùm Sibyllarum versus, à Christiano fictos, contra Ethnicorum Religionem adhibuerunt, quasi à mulieribus fatidicis ante plurima sæcula effusos; unde factum ut ab iis *a Sibyllistæ* vocarentur, & *b* fraudis accusarentur. Denique eâ ratione fiebat ut multorum animi à Christianismo alieniores fierent, útque fides Christianorum non paucorum cœca potiùs esset credulitas, quæ falsis æquè ac veris movebatur; quòd postremis temporibus multis, qui nasutiores quidem sunt, ut possint fraudem subolfacere, sed non sat docti ut veritatem inveniant, omnem pectore excussit fidem.

11. Præter memoratas fraudes, quæ luce Critices reteguntur & caventur, multa irrepsêre in Veterum Scripta menda, ignorantiâ Librariorum, eorumdémque oscitantiâ; imò & Criticorum, qui Critices non satis periti audaciùs libros Veterum emendarunt, temeritate. Ejusmodi mendis vix ulli carent Scriptores, quoniam Librarii aut Critici paucissimi satis diligentes, aut cauti, ut decuit, fuêre; nulli prorsus spiritu ἀναμαρτησίας acti. Hinc nati hujus & prioris seculi viris doctis labores, circa hoc solum, innumeri, ut emendatè Veterum Scripta ederentur; hinc tot de Codicibus depravatis querelæ, quibus vel solis volumina conflarentur. Atque hæc labes non modò minoris momenti Scripta invasit, sed sacros etiam Codices ut viri summi ostenderunt. Licèt istiusmodi menda iis quæ ad salutem necessaria sunt, non officiant; attamen nisi Critices periti sint, qui legendis sacris Libris operam dant, necesse est aut non intelligant varia quæ legunt, aut mira fingant, ut sensum ex depravatis locis eruant.

12. At ope Critices via aperitur tuta ad menda ejusmodi deprehendenda, &, si fieri possit, emendanda. Fateor Criticos innumeros hîc peccasse, & quotidie παραδιορθώσει Veterum Scripta inquinare. Verùm hi arte non uti, sed abuti

---

a Origen. contra Celsum Ed. Cant. p. 272.
b P. 369.

censendi

censendi sunt, nec propterea Ars ipsa vituperanda. Plurimi quidem sanè ratiocinando in errores delapsi sunt, sed quemadmodum propterea rationem non abjiciemus, ut nos brutorum instar, impetu, non judicio, regamus: ita nec, propter Criticorum peccata, Artem ipsam Criticen repudiabimus; si quis ea dextrè utatur, summæ utilitatis. Non desunt quidem qui in sacris Codicibus ne minima etiam menda agnoscant; sed certè quod optant, & quod etiam omnes optarent, credunt. Verùm ista eorum opinione aut pertinaciâ, quod falsum est non evadit verum; adeóque dum manifesta negant, Religionem, Atheorum ludibrio exponunt, ostendúntque se non amore veritatis, sed studio partium agi. Sapientiores enim cùm nihil tutius veritate esse putent, tum verum vero contrarium esse non existimant; quò fit ut nihil Religioni Christianæ timeant, modò veritatem semper propugnare liceat; quod, Deo favente, saltem in aliquo terrarum angulo, semper licebit.

Atque hæc sunt quæ de Definitione, Divisione, & Usu Critices dicenda habebamus; & quæ ad hanc Disciplinam in ipsa fronte hujus Opusculi delineandam, necessaria duximus. Ex re ipsa certiùs judicabit Lector, an ei quidquam immeritò tribuerimus; nos quidem speramus scientiam hanc multò φιλοσοφικωτέραν esse, quàm multi crediderunt, iis quæ dicemus manifestum futurum.

ARTIS

ARTIS CRITICÆ

PARS I.

De Ordine in Lectione Veterum Scriptorum observando.

CAPUT I.

De iis quæ Lectioni Veterum præmitti debent.

EUM, cui hæc præcepta tradimus, jam imbutum esse oportet Grammaticæ elementis, & eâ cognitione Latinæ Linguæ instructum; ut possit faciliores Scriptores, sine Dictionarii subsidio, intelligere, & Commentariorum, qui ad difficiliorum locorum interpretationem scripti sunt, sensum assequi. Quod in Præfatione jam innuimus.

2. Cùm in omni Disciplina is ordo, quantùm fieri potest, servandus sit, ut illa ante omnia addiscantur, quæ simplicissima sunt, seu sine aliarum rerum cognitione intelligi possunt; ac demum ad alia, quæ priorum illorum luce indigent, deveniatur, ejus rei nos hîc oportet esse memores; ne à difficilioribus initio facto, aut animus à studiis alienior ipso labore fiat, aut labor sine fructu studiosorum augeatur; aut etiam perturbationem in studiis & in animo pariat ordo præposterus; quæ omnia, quasi scopuli studiorum, sunt diligentissimè vitanda.

3. Tria sunt quæ, positâ eâ Latini sermonis cognitione, quam initio indicavimus, possunt intelligi, adhibito eo studio, quod in omnibus scientiis, quæ primùm attinguntur, necessarium est. Prima est *Geographia*, altera *Chronologia*, tertia *Consuetudinum* & *Opinionum cognitio*. In tribus hisce possunt cum fructu versari, qui humanioribus literis operam dare incipiunt; neque enim ad ea intelligenda magnâ Latinæ Linguæ cognitione opus est, & possunt ex Recentiorum Scriptis hauriri.

SECTIO I.

De Geographia.

1. GEOGRAPHIAM, cùm discendam præcipimus, non intelligimus Artem ipsam Tabularum Geographicarum conficiendarum, principiorúmque ejus Artis Mathematicorum

maticorum cognitionem; hæc enim ad Mathematicas disciplinas, quas hîc non attingimus, pertinent. Necessaria duntaxat est cognitio Geographiæ, qualis traditur in Compendiis plurimis Geographicis, quæ omnium manibus teruntur, ubi discere est quinam in Sphæra intelligantur circuli, quas in partes Orbis Terrarum dividatur, quis sit situs Imperiorum, Regionum, Provinciarum, Urbium, locorúmque omnium celebriorum.

2. Ea cognitio, saltem mediocris, necessaria est, priusquam ad seriam lectionem Scriptoris ullius deveniatur; cùm passim occurrant nomina Gentium, Populorum, Regionum ac Urbium. Nisi enim sciamus, quem locum terrarum habuerint, primùm non intelligimus sæpissimè quod de iis dicitur, nec quid Genti cum Gente, Civitati cum Civitate, negotii esse potuerit assequimur. Erroribus etiam Veterum Geographicis, qui neque rari, neque exigui sunt, si simus ἀγεωγράφητοι passim deludimur. Sic qui Alexandri res gestas scripsêre *Caucasum*, qui est inter maria *Caspium* & *Euxinum*, apud Indos quæsivêre. Vide *Curtium* Lib. VII. c. 4, 5. Unde factum ut *Curtius* Caspium & Euxinum maria miscuerit, & *Tanaïn*, ubi est *Oxus*, ad ortum *Caspii* maris posuerit. Sic *Lucanus* Lib. III. vers. 248. malè inducit Arabas

Umbras mirantes nemorum non ire sinistras,

cùm sint ἀμφίσκιοι. Quod peccavit etiam de *Taprobana* *Plinius* Lib. VI. c. 22. Alia etiam notat in iis meritò *Josephus Scaliger*, in Prolegomenis ad *Manilium*. Sed, quod mireris, Romani Scriptores *Virgilius*, *Manilius*, *Lucanus*, *Florus*, immani errore miscuerunt Philippos Phthiotidis in Thessalia urbem haud procul à *Pharsalo* sitam, ubi C. Julius Cæsar Cn. Pompeïum vicit, cum *Philippis* Macedoniæ urbe, ad *Strymonem* fluvium, ubi Brutus & Cassius ab Antonio & Cæsare victi sunt; ut post alios animadvertit *Lucas Holstenius* in *Stephanum Byzantinum*, ad vocem ΘΗΒΗ. Deinde sine voluptate Historias aut alia, in quibus multa mentio est populorum & locorum, legimus; at quæ ita legimus brevi fastidimus, unde nascitur studiorum primò languor, postea neglectus, ac tandem barbaries ignorantiæ fida comes. Neque dicas, qui Scriptores antiquos legunt, etsi sunt Geographiæ prorsus imperiti, posse juvari Dictionariis Geographicis aut Notis; etenim ubi ad illa subsidia passim est confugiendum, id sine maxima molestia fieri nequit. Sunt autem literarum studia facillima, si fieri potest, efficienda; & satis habent in se salebrarum inevitabilium, ut necesse non sit alias negligentiâ nostrâ aliunde

aliunde accedere. Præterea si quis hanc molestiam concoquere sit paratus, tamen diutissimè leget, priusquàm ex sola lectione Historicorum, Philosophorum, Oratorum aut Poëtarum mediocrem Geographiæ cognitionem sibi comparare possit; quod tamen haud ægre potest fieri, si Compendium Geographicum diligenter legatur.

3. Dubitari nequit, quin *Desiderius Erasmus* inter eos censeri debeat, qui πολυίστορες vocari possunt, & quin innumera legisset. Attamen apparet, ex pluribus locis ejus Operum, eum ne elementa quidem Geographiæ tenuisse. Memini probè me, dum legerem ejus notas in *Hieronymi* Epistolas, observare eum *Mitylenen* Lesbi insulæ urbem confudisse cum Melita insula, ad quempiam *Hieronymi* locum, ubi mentio fit naufragii Pauli; quem locum memoria non suppeditat. Sed nec opus est, quoniam hunc ipsum errorem repetiit in Notis ad Acta, XXVIII, 1. tertiæ editionis, anni M. D. XXII. & novos addidit: *Hugo*, inquit, *Carrensis liberum nobis facit, utrum malimus Militenem legere, an Miletum, etiamsi sunt qui corruptiùs legant Mytilene. Græci legunt Melite. Ea est insula inter Epirum & Italiam, spectans Siciliam ad Septentrionem.* 1. Ille *Hugo Carrensis*, qui scripsit Commentarios in V. & N. Testamentum, obiit anno CIↃ CCLX, barbaro sæculo, nec proinde dignus erat, cujus auctoritati crederet vir tantus, quantus erat *Erasmus*. 2. *Miletus* urbs fuit *Ioniæ* in *Asia* Minore, aut *Calabriæ* in Regno *Neapolitano*, de quibus hîc sine dubio non agitur. *Militene* ne nomen quidem est ullius loci, sed mera depravatio pro *Mitylene*. 3. *Melita* † est quidem nomen insulæ inter Illyricum & Italiam, sed absurdum est dicere eam spectare Siciliam ad Septentrionem; nam spectat Illyricum quod est ad Septentrionem Italiæ. Inter hanc insulam & Siciliam interjacet Italia, cui est Sicilia ad Meridiem. At *Erasmus* hanc Adriatici maris insulam confudit cum insula ejusdem nominis, quæ est ad Meridiem Siciliæ in Africo mari; immani sanè errore, & ita expresso ut appareat ei situm Epiri, Italiæ & Siciliæ inter se notum satis non fuisse; unde necesse est colligere tantum virum hospitem fuisse in hac disciplina, adeóque innumera *in* Veterum Scriptis non intellexisse. Neque reponas *Erasmum* oscitantiâ peccasse, nam & alibi in eadem re peccat; ut ad vers. 1. Ejusdem Capitis, ubi dicit *Rhegium esse civitatem Siciliæ maritimam*, cùm tyrones nôrint esse Italiæ. Vicinia fortè in errorem illum conjecit, at hoc causari nequit ineptus Grammaticus, qui *Servii* in *Virgilium* Commentariis subinde nugas im-

† Aut *Milita*, nunc *Melida* ab Italis, *Mliet* à Sclavis dicitur.

miscuit,

miscuit, & cujus hæc sunt verba in Æn. IV, 367. *Hyrcanæque admôrunt ubera Tigres. HYRCANÆ: Arabicæ*, inquit, *nam Hyrcania sylva est Arabiæ.*

4. Hinc apparet *Erasmum* vix umquam in Tabulas Geographicas quæ sanè ejus ævo rariores erant, quàm hoc nostro, oculos conjecisse. Haud à multis annis etiam vir non indoctus, qui *Historiam Patriarcharum* scripsit, ubi de Uxoris Loti μεταμορφώσει agit, dixit, *Uticam* non esse *Sidone* remotam; unde conjiciebat eam mulierem in salem fossilem conversam, qui circa Uticam fuisse dicitur, ac proinde ut ille putabat, non procul Sidone, adeóque Palæstina. Itaque ignoratio Geographiæ in errorem facilè conjicere potest.

5. Ut autem probè discatur hæc disciplina, quatenus viam Critices studio sternit, utendum est *Sphæra Armillari*, ad cognoscendos circulos, de quorum variis generibus initio Artis agunt Geographi. Dein comparandæ sunt Tabulæ præcipuarum Regionum, ubi nomina antiqua adscripta sint; præsertim Imperii Romani, Italiæ ac Græciæ. Hanc postremam Regionem optimè omnium descripsit *Nicolaus Sophianus*, antecedentem *Philippus Cluverius*, licèt eorum Tabulæ mendis non careant. At sunt meliores multò reliquis antiquis, quæ plerumque pessimæ sunt; ut summopere optandum esset viros eruditos hoc negotium in se suscipere, ut novas erudito Orbi Tabulas conficerent. Attamen quoniam præstat aliquas habere, quàm nullas tot sunt comparandæ, quot possunt inveniri. Utile etiam est *Ptolemæum* habere Edit. Hondianæ anni 1605. si ejus comparandi occasio occurrat; est enim sæpe accuratior Recentioribus.

6. Addendum est huic compendium Geographicum *Phil. Cluverii*, aut quod nuper editum est, ubi sola continetur Geographia antiqua, à *Christophoro Cellario* Smalcaldiensi, aut aliud quidpiam simile opusculum, prout erit ad manum. Ejusmodi liber est semel atque iterum legendus, cum Tabulis, ubi quærenda omnia loca quorum meminit, aut quæ erunt in Tabulis quibus utemur; donec eam cognitionem sitûs Provinciarum, & Urbium præcipuarum acquisiverimus, ut veluti pictæ in memoria sint Tabulæ, & statim ac objiciuntur oculis, possimus invenire locos de quibus sermo est. Ita fiet ut cùm legemus itinera, expeditiones, bella, fœdera inter populos & urbes, statim animadversuri simus, quàm longa essent itinera, quàm facilia aut difficilia bella, quàm necessaria fœdera, aliáque similia. Vitabimus etiam in sermone errores, in quibus deprehendimus interdum viros alioquin eruditos, sed Geographiæ imperitos. Hîc non recensebimus reliqua Disciplinæ illius commoda, quia non sunt hujus loci & à Geographis ipsis peti debent.

SECTIO

SECTIO II.

De Chronologia.

1. CHRONOLOGIÆ, ſeu Scientiæ Temporum partes ſunt duæ; quarum una ἱστορικὴ poteſt dici, altera τεχνική. Prior docet quo tempore viri celebres vixerint, & præcipui eventus contigerint. Altera verò oſtendit quibus fundamentis nitatur tota illa ſupputatio Chronologica. Utraque, antequàm animum ad lectionem Veterum appellamus, prælibanda eſt, ſed potiſſimùm prior; poſterior enim differri poteſt, utpote difficilior.

2. Planè neceſſarium eſt Hiſtoriam ſummatim noſſe, ut ſciamus tempora eorum quæ notatu digniſſima humano generi evenerunt; primùm quia meliùs intelligimus Scriptorem, cùm ſcimus quo tempore vixerit, quàm cùm ignoramus. Unumquodque ſæculum ſuos habuit eventus, ſua ingenia, ſæpe & ſuos loquendi modos ac ſuas opiniones; ad quæ aut clarè, aut obſcuriùs alluditur paſſim ab omnibus Scriptoribus, ut oſtendemus ſuo loco copioſiùs. Secundò, vix poſſumus loqui de Veteribus, niſi ſciamus quo tempore vixerint; alioqui periculum eſt ne in craſſos errores delabamur incauti, quod evenit etiam viris non indoctis, qui Chronologiæ rudes erant. Ejuſmodi immanem errorem erravit *Juſtinus* Martyr in * 2. *Apologia pro Chriſtianis*, ubi fabellam de LXX. Intt. seriò narrans ait *Ptolemæum Ægyptiorum Regem cùm Bibliothecam inſtitueret, atque omnium hominum ſcripta colligere niteretur, & de Prophetiis Hebræorum aliquid inaudiviſſet, miſiſſe ad Herodem Judæis tunc imperitantem*, τῷ τῶν Ἰουδαίων τότε βασιλεύοντι Ἡρώδῃ, *qui peterent ad ſe mitti libros Prophetarum; quos Rex Herodes miſit.* Non eſt tantùm hîc peccatum memoriæ, ſed imperitiæ; neque enim qui Chronologiæ elementa nôrit, in tam celebribus Regibus, tantum peccatum umquam admiſerit. Cùm primis Chriſtianæ Religionis ſæculis, Platonici Chriſtianis varias ſententias Evangeliorum à Platone petitas eſſe objicerent, alii quidem alia calumniæ repoſuerunt; ſed *Ambroſius* Mediolanenſis Platonem, in peregrinatione Ægyptiacâ, ab Jeremia Propheta Judaicâ doctrinâ imbutum fuiſſe reſponderat, ac proinde à Judæis ſumpſiſſe quæ haberet. Is liber Ambroſii *de Sacramentis*, vel *de Prophetia* inſcriptus, periit. Sed tam immanis erroris memoriam ſervavit *Auguſtinus*, qui eum pariter erravit *de doctrina Chriſtiana* Lib. II.

* Pag. 72. Ed. Colon. Ann. 1686.

c. 28. & Epistola XXIV. ad *Paulinum*, ac postea retractavit Retract. Lib. II. c. 4. Tertiò, tota perit lectionis voluptas, adeóque studiorum & literarum amor, si prorsus ignoremus, quo tempore evenerint ea quæ legimus; buod experimur etiam, cùm nobis quidpiam narratur. Solemus enim illico quærere, quando contigerit; quod nisi sciamus, illibenter narrantem audimus.

3. Neque etiam hîc putandum est satis esse, si penès nos habeamus Tabulas Chronologicas, aut Chronologiam quampiam quam consulamus, ubi necesse est; etenim incommodum est frequenter nimiùm lectionem seriam abrumpere, ut ad ejusmodi subsidia confugiamus. Saltem tenenda sunt tempora potissimorum eventuum, & virorum celeberrimorum; ut pauca tantùm minoris momenti quærenda supersint. Alioquin ex quærendi labore nascitur fastidium & negligentia, quæ sunt in studiis veluti lethales morbi.

4. Igitur antequàm nos accingamus ad lectionem Veterum, prælibanda est Chronologia, & quidem brevis Universalis Historia eligenda, quæ studiosè aliquoties perlegi possit. Multa ejusmodi exstant Compendia, quorum unum ad manum habendum erit, quale est *Petaviani Rationarii* Pars prior, aut nuper edita *Christophori Cellarii* viri eruditi Historia Antiqua. Et hunc quidem prætulerim Petavio, quòd Petavius non semper annos eventuum quos narrat addat, præterquàm quòd in Cellario sint subjecti Scriptores unde hausit quod habet. Verumtamen hîc non est quærenda summa *ἀκρίβεια*, quæ in Compendiis esse nequit; satis est modò præcipua ququæe notata sint, & eorum tempus circiter memoriâ teneatur. Hoc autem facilè fiet, si attentè aliquoties idem Compendium legamus; & quotiescumque memoria tempus alicujus rei, quæ inter legendos Veteres occurret, non suppeditabit, non pigeat ad Compendium confugere. Addi etiam possunt Tabulæ Chronologicæ, quales sunt *Petavianæ*, aut aliæ; quas utile erit parietibus Musei appensas habere, ut sæpe aliud agendo perlustrentur; & tempora animo altiùs infigantur.

5. Quicumque hoc experientur, videbunt magnum inde nasci emolumentum, & summam in legendo voluptatem. At præterea habere oportet Dictionaria Historica, uti & Geographica, quæ aut junctim aut divisim traduntur. Conjunctim illa inveniuntur in *Caroli Stephani* Lexico, à *Nicol. Loydio*, nuper in Anglia aucto, vel in *J. Jac. Hofmanni* Dictionario. Separatim Geographiam tradidêre *Abr. Ortelius* olim, postea *Phil. Ferrarius*, cujus opus multùm auxit *Mich. Antonius Baudrandus*. Hæc aut similia, prout commodum erit, sunt comparanda Lexica; iis enim prorsus carere non potest,

quicumque

quicumque cum fructu legere cupit; uti nec qui Artem ἐκ τῶν βαναύσων discit, sine artis instrumentis, eam potest addiscere.

6. Non addam hîc plura consilia de Geographorum, aut Chronologorum Vett. vel Recentiorum lectione; quia qui hæc circa initia studiorum probè observarint, & ulteriùs fuerint progressi, sibi satis consulent. Monendum tantùm superest aliquid de ea parte Chronologiæ quæ τεχνικὴ dicitur. Ea docet rationem annorum plerarúmque Gentium nobiliorum, & methodum quâ utuntur Chronologi, ad tempora antiquarum Historiarum constituenda; prout possumus cognoscere ex secundo libro *Rationarii Petaviani*, ubi illa ars traditur. Hæc quidem est Chronologiæ omnis fundamentum, sed quia est difficilior, & utilis duntaxat ad supputationes Chronologorum expendendas; ideò ejus lectio differri potest. Sumimus enim hîc quasi certum, Chronologos, quos sequimur, rectè rationes iniisse, quod quin in præcipuis saltem verum sit, dubitari nequit; licèt sint, in aliis minoris momenti, nodi ἄλυτοι. At hîc satis est modò de summa rerum constet, etenim error pauculorum annorum rariùs officere potest intelligentiæ Scriptorum antiquorum.

SECTIO III.

Cognitio Consuetudinum & Opinionum.

1. IN omnibus Scriptoribus innumeræ sunt allusiones ad consuetudines ac opiniones eorum temporum, quibus scripsere; quas nisi in numerato habeamus, non intelligimus multesimam partem eorum quæ legimus, si aliunde Interpretem, quem consulamus, nancisci nequeamus. Hoc adeò manifestum est, ut probatione non egeat; quicumque enim vel unum Scriptorem legere aggressus est, expertus est illico, vel aliquot pagellarum lectione. Sed sunt non modò manifestæ allusiones, verùm etiam obscuriores, quæ ab omnibus non animadvertuntur; adeò ut multi ea se intelligere putent, quæ non intelligunt.

2. Consuetudines autem omnes possunt ad duas classes referri. Aliæ respiciunt res privatas, aliæ publicas; & hæ quidem notiores plerumque sunt, cæteræ ignotiores. Attamen ad privatas non minùs passim alluditur, quàm ad publicas. Innumeræ loquutiones inde desumptæ sunt, quarum vim ideò non assequimur, quia illas consuetudines sæpe ignoramus, Exemplum unum, aut alterum afferre non pigebit.

Theologi multùm disputârunt ad inveniendam rationem ob quam Christus Matth. VIII. 12. vocat pœnas malorum

σκότος ἐξώτερον *tenebras externas.* Opiniones non referam ne brevitate institutâ excedam, sed uno verbo indicabo quid sit. Nempe, sermo est de cœna, quæ cùm noctu sumeretur, ut nunc; nemo poterat cœnâ excludi quin esset in *tenebris externis.* Vide quæ ad eum locum * scripsimus.

Aliquando, ut vel hinc apparet, ad notas consuetudines non attenti, à sensu aberramus. Ita etiam, in celebri illa Dominicæ Orationis petitione: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, alluditur ad morem eorum qui pauperes alunt, præbitis quotidie in unum diem alimentis, quorum exemplum extat apud Tobiam, Cap. I. 3, 19. juxta Latinam Versionem. Similiter *Vopiscus* † in *Aureliano: Siligineum suum* (scilicet panem) *quotidie ævo suo unusquisque recipiebat.* Eos panes vocabant διαιωνίζοντας, ‡ quos pauperes ab Impp. unoquoque die accipiebant, per totam vitam; quòd exprimit vox ἐπιούσιος *Crastinus.* Sic & Manna, quâ in Arabicis solitudinibus Hebræos Deus aluit, fuit, panis ἐπιούσιος, quem Deus quotidie, quandiu necesse fuit, præbuit. Hoc ergo Christus vult. Da nobis in posterum, per reliquam vitam, quotidie unde vivamus: ut sit pauperibus, quibus quotidie victus suppeditatur. De significatione singularum vocum, consulendus *H. Grotius.*

Alludit Christus ad publicam consuetudinem Matth. V, 22. ubi mentionem facit *Judicii* & *Synedrii*, quæ nomina erant Tribunalium, ad quæ leviores & graviores causæ, apud Judæos, disceptabantur. Vide quæ ad eum locum diximus.

3. Ad opiniones quoque passim respicitur, quæ in duo summa genera possunt distribui. Aliæ pertinent ad cultum Dei, & mores; aliæ ad res naturales. Ita cùm Judæorum præcipua in divino cultu ceremonia in sacrificio esset sita; ideò in N. Testamento omnia ferè pietatis officia sacrificii nomine, interdum indigitantur. Mors Christi sacrificium quoque vocatur, quòd fuerit præcipua ejus pietatis pars, & quædam habeat sacrificiis similia. Summa est interdum difficultas sciendi an vox, quæ metaphoricè & allusione cuipiam rei designandæ adhibetur, debeat urgeri pro tota primigeniæ suæ significationis amplitudine; hoc est, an in rebus, quibus metaphoricè aptatur, omnia quærenda sint similia iis quæ sunt in aliis, quas propriè designat. Qui opiniones, ad quas respicitur, ignorant, ne de allusione quidem cogitant, nedum ut nodos ejusmodi in interpretandis Veterum Scriptis longè maximos, solvere queant, Verba LXX. Intt. in versione Ps. XCI.

* *In add. ad H. Hammondi Adnotationes.*
† *Edit. Salmasiana Parisin.* p. 220.
‡ *Salmasius in not.* p. 375.

6, δαι-

6. δαιμόνιον μεσημβρινὸν, *Dæmonium meridianum*, multùm torsere Patres Græcos & Latinos. Non quæram an Hebraici Codicis verba rectè versa sint, hisce vocibus. Hoc tantùm dicam, ad Ethnicorum opinionem respici, qui credebant Dæmonas potissimùm meridie esse timendos. Ita *Callimachus Cyrenæus*, in Hymno in *Lavacra Palladis*, vers. 71. Deam describit cum Chariclone nympha lavantem, hisce verbis:

Ἵππω ἐπὶ κράνᾳ Ἑλικωνίδι καλὰ ῥεοίσᾳ
  Λῶντο, μεσαμβρινὰ δ᾽ εἶχ᾽ ὄρος ἁσυχία.
Ἀμφότεραι λώοντο, μεσαμβριναὶ δ᾽ ἔσαν ὧραι,
  Πολλὰ δ᾽ ἁσυχία τῆνο κατεῖχεν ὄρος.

In Hippocrene Heliconide pulchrè fluenti lavabant, cùm meridiana obtineret montem quies; ambæ lavabant & meridianum erat tempus, multáque tranquillitas illum obtinebat montem. Quo factum est ut Tiresias, qui Heliconem tunc oberrabat, Deâ conspectâ, oculorum usum amiserit. Similiter, apud *Theocritum*, Idyll. I. Pastores non audent τὸ μεσαμβρινὸν συρίσδεν, *meridie fistulâ canere*, quòd timerent Panem: τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες, *timemus*, inquiunt, *Panem*. Lucanus Lib. III. de Luco ad Massiliam sito, quem sanctissimum Galli habebant:

Non illum cultu populi propiore frequentant,
  Sed cessere Deis, MEDIO cùm Phœbus in axe est,
  Aut cœlum nox atra tenet; pavet ipse sacerdos
  Accessus, dominúmque timet deprendere luci.

Hinc videmus quare, inter diei pericula, Septuaginta Intt. *dæmonium meridianum* recensuerint; nempe, quòd Dæmonas tunc temporis errare crederent, ut Græci, imò & Ægyptii, aliíque Orientales.

4. Præcipua diligentia doctissimorum Intt. in eo sita est, ut allusiones ejusmodi enucleent; sed quoniam non semper omnia attingunt, & tædiosum est vix aliquot paginas legere, sine necessitate ad Interpretem confugiendi; antequam incipiamus Scriptorem ullum legere, necesse est aliquam operam dedisse cognoscendis Gentis ejus potissimis Consuetudinibus & Opinionibus.

5. Optandum sanè esset libros nos habere de Consuetudinibus & Opinionibus Veterum, etiam vulgaribus, tum scriptos, cùm eæ vigebant; multa enim tempore intercidunt, quæ ne summâ quidem diligentiâ ex Veterum ruderibus erui possunt. Sed cùm Consuetudines & Opiniones latè receptæ vigent adhuc, vix ab ullo describuntur; quòd perpauci legerent libros,

de rebus notissimis & vulgaribus scriptos. Itaque dum Historici præsentium animos sibi conciliare student, & fama sua frui, id referunt quod sui ævi hominibus non satis notum esse poterat, sed quæ omnibus nota erant ferè omittunt; unde factum ut posteritatem latuerint, quia paulatim in desuetudinem abeuntium memoria à nemine servata est. Ad Historiam & mores Romanorum quod attinet, aliquid evenit quod plurima ad posteritatem traduxit, quæ alioqui periissent. Scilicet, Græci inter Romanos versati Historiam horum & mores describere aggressi sunt, non in Romanorum, sed in Græcorum gratiam; & coacti fuere multa tradere distinctiùs, quàm opus erat Romanis hominibus, quòd Græci in rebus Romanis hospites eorum Historias alioqui non erant intellecturi. Ita *Polybius* de Romanorum militia plurima dixit, quæ in nullo Scriptore Romano inveniri potuissent. *Dionysius* quoque *Halicarnassseus* multò accuratiùs, eadem de causa, Historiam Romanam scripsit, quàm ullus Historicus Latinus. Sanè præterquàm quòd Romani mores Græcis erant exponendi, homo Græcus aptior erat ad eos observandos, quàm qui ab infantia iis adsueti erant. Quæ enim insolita nobis sunt faciliùs animadvertimus, quàm ea quibus sumus adsueti. *Plutarcho* quoque plurima, ad Romanorum mores & opiniones pertinentia, debemus.

6. Attamen nullus antiquus Scriptor unus omnia aut pleráque hujusmodi uno opere complexus est; & coacti sunt Recentiores ex omnibus colligere plenam, quantùm potuit, Romanarum Consuetudinum & Opinionum descriptionem. Utilem operam huic rei navavit *Joannes Rosinus*, quem suis παραλειπομένοις illustravit *Thomas Dempsterus*, unde conflatum est Antiquitatum Romanarum Corpus. Multi multas earumdem Antiquitatum partes illustravère, ut *Justus Lipsius*, cùm plurima alia, tum *Militiam*; *Octavius Ferrarius* rem vestiariam; *Franciscus Balduinus* indumenta pedum; alii alia, quæ studiosis per se satis innotescent. Potissima & lectu dignissima hujus generis in unum Corpus colligere aggressus est Criticorum decus *J. Georg. Grævius*, cujus *Antiquitatum Romanarum Thesauri*, jam quatuor prodierunt volumina. At studiorum initio utendum Compendio, qualis est *Respublica Romana Cantelii*, nuper Ultrajecti edita, post Parisinam Editionem; aut *Thomæ Godwini Romanæ Historiæ Anthologia* * Anglicè, & Belgicè edita. Hos libros, quasi in suo genere perfectos, non indicamus; possunt enim multa iis addi, nec pauca emendari; sed ad præcipua capita quod attinet, sufficere possunt; atque hoc unum hîc quæritur.

* Londini in 4. 1648.

7. Quæ hactenus diximus, consilia quædam sunt, ad viam sibi muniendam ad cujusvis Scriptoris lectionem spectantia; sed quoniam à Latinorum lectione incipimus, debent præsertim Latinis aptari, quò etiam pertinent, quæ habentur *Numm.* 5, & 6. Nunc consilia quædam danda sunt de ordine, in legendis ipsis Scriptoribus Latinis, observando.

CAPUT II.

De Ordine in Lectione Latinorum Scriptorum Observando.

SECTIO I.

Prosæ Scriptores.

1. POSTQUAM imbuti sumus aliquâ Geographiæ, Historiæ Chronologicæ, & Consuetudinum ac Opinionum, ex Recentiorum Scriptis, cognitione, animus appellendus est ad ipsorum Romanorum Scriptorum lectionem. Atque hîc etiam, quantùm fieri potest, à libris incipiendum qui, ut intelligantur, quàm paucissimorum subsidio indigent, & qui simul Latinitate præstant.

2. In Latino sermone, distingui possunt, ἀρχὴ, ἀκμὴ & παρακμὴ, hoc est, initia, perfectio, & corruptio. Ad initia * referuntur Saliaria carmina Numæ Pompilii, aliique veteres hymni, quæ Ciceronis sæculo vix ab eruditis intelligebantur. Illa proximo intervallo sequuntur priscæ leges Regiæ ac Decemvirales, & antiquiorum temporum monumenta. Nolim ad initia referre *Andronicum*, *Nævium*, *Ennium*, *Pacuvium* aliósque Poëtas eorumdem temporum; sed neque ad perfectionem pervenerunt, cui proximi fuere *Plautus* ac *Terentius*, & hic præsertim. Perfecta erat Lingua Latina, quando scripsêre *Cicero*, *Cæsar*, *Sallustius*, *Cornelius Nepos*, *Livius*, *Velleius*, alique coævi prosæ Scriptores; Poëtæ verò *Lucretius*, *Catullus*, *Virgilius*, *Horatius*, *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidius*, aliique qui ad Tiberii usque Principatum vixerunt. *Cicero* in *Bruto*, Cap. 43. postquàm dixit *L. Crassum* sibi quatuor & triginta annis præstitisse, ac triennio minorem fuisse, quàm *M. Antonium*, qui eloquentissimi homines ætatis suæ fuerant; addit *se hoc idcirco posuisse, ut dicendi Latinè prima maturitas, in qua ætate exstitisset posset notari.* Tempore Tiberii, Latina Lingua, propter concursum hominum ex provinciis & Urbibus remo-

---

* Vid. *Ger. Vossium* in Præf Operis *de Vitiis Sermonis.*

tis civitate donatorum, corrumpi cœpit. Attamen, ut subitò ad perfectionis summum apicem non pervenerat, ita nec prorsus corrupta est, nisi paulatim. Cùm enim rectæ Latinitatis exemplar à sæculo *Ciceronis* petatur, ipse *Cicero*, ob causam allatam, jam tum Latinum sermonem inter multos vitiari cœptum esse auctor est, in eodem libro, Cap. 74. *Omnes ferè qui nec extra hanc urbem vixerant*, inquit, *nec eos aliqua barberies domestica infectaverat, rectè loquebantur. Sed hanc certè rem deteriorem fecit vetustas, & Romæ & in Græcia. Confluxerunt & Athenas & in hanc urbem multi inquinatè loquentes, ex diversis locis.* Verùm hæc Latini sermonis pestis grassari potissimum cœpit, ut diximus sub Tiberii principatu. Hinc meliori Latinitati affiniores censentur M. & L. *Senecæ*, *Pomponius Mela*, *Cornelius Celsus*, *Columella*, *Curtius*, *Plinius* uterque, *Quintilianus*, *Suetonius*, *Tacitus*, qui prosâ usi sunt; inter Poëtas, *Lucanus*, *Persius*, *Silius*, *Juvenalis*, *Martialis*, *Papinius* & *Valerius Flaccus*. Post horum ætatem, corrupta haberi potest Lingua Latina, ab Hadriani, nempe, temporibus; non quòd nemo postea eleganter scripserit, sed quòd sermo vulgaris immutatus fuerit, & bene scribendi exemplaria in antecedentibus sæculis quærerentur.

3. Incipiendum autem & ab iis Scriptoribus, qui ἐν ἀκμῇ Linguæ vixerunt, aut ei proximi fuêre, & præterea facili stylo scripserunt. Facilitas autem ex duobus oritur, ex argumento ipso, & eloqnutione. Faciles intellectu sunt res ad communem vitam pertinentes, quæ haud multò minùs sæculo nostro fiunt, quàm olim; ut eventus frequentes, aut qui nihil habent nimis inusitatum, vel descriptiones affectuum qui omnibus sæculis vigent, aliáque similia. Si hæc præterea efferantur sermone quotidiano, non quæsitis figuris, aut accersitis procul ornamentis, facilè intelliguntur. Contrà obscuritas nascitur, cùm ex rebus inusitatis, & de quibus pauci cogitârunt, aut quæ naturâ suâ obscuriores sunt; tum ex sermone ἐσχηματισμένῳ, à propria significatione verborum remoto, aut structurâ duro & ambiguitatibus laborante.

4. Hinc collegimus non posse initio Scriptorem ullum utiliùs legi, *Plauto*, *Terentio*, & *Phædro* qui senariis versibus, Augusti sæculo, Æsopicas fabulas expressit. Hi enim res vulgares simplici dictione, & elegantiâ quadam nativâ gratâ tradiderunt.

5. In *Plautum* utilem Commentarium, licèt fortè ampliorem interdum, quàm necesse fuit, edidit *Fridericus Taubmannus*; cui, si commodùm non occurrat, substitui potest Editio Plauti *Gronoviana*. In *Terentium* multi scripsêre, quorum excerptæ notæ, unà cum *Donati* veteris Grammatici fragmentis,

mentis, editæ ſunt à *Corn. Schrevelio*, nullius ferè judicii conſarcinatore. Qui notulis minoribus Terentium expoſuerunt, *Farnabius* & *Minellius*, in Anglia & Belgio, ii cùm plurima omiſerint neceſſaria, tum etiam in plurimis errârunt. Omnium optimè verſione Gallicâ, & notis *Terentii* mentem expreſſit erudita Matrona *Anna Tanaquilli Fabri* filia, cujus pater etiam doctiſſimis notulis *Phædrum* illuſtravit.

6. Hi autem Scriptores non ſunt perfunctoriè legendi, ſed ſummâ adhibitâ curâ, ut quantùm in nobis eſt planè intelligantur; nec ſuperſit nodus ullus, niſi in locis qui hactenus fruſtra ab Interpretibus tentati ſunt. Igitur legendi non ſemel modò, ſed iterùm, atque iterum, ut eorum ſtylus nobis veluti familiaris evadat, & omnes Anomalias eorum noſcamus. Hoc jacto fundamento, cætera firmiùs inædificantur; quàm ſi vix intellecto libro, alterius lectio ſuperinjiceretur; nutante enim cognitione nonniſi dubia nititur interpretatio. Malè itaque ii faciunt, qui incipientem tyronem multitudine librorum obruunt, & eum plura legiſſe obſcurè intellecta, quàm pauciora clarè percepta, malunt.

7. *Plautus* quidem plurimos habet Archaïſmos, & ſerviles jocos, quandóque frigidos; attamen aptis adeò ut plurimùm utitur verbis, & ſtructurâ tam facili, ut, ſi ea quæ diximus omittas, poſſit eſſe exemplar Latinæ elegantiæ. *Terentius* terſior eſt, ut appareat hominem eo ſermone ſcripſiſſe, quo utebantur Scipio, Lælius, aliíque ex Romana Nobilitate, quibuſcum ille victitabat. Ut is ſermo à ſordibus plebeculæ multùm abeſt: ita etiam ab omni tumore eſt alieniſſimus; quibus in rebus certat cum eo, quem ei conjungendum diximus, *Phædrus*. Non videntur quidem nobis initio Poëtæ ſublimioris carminis legendi; ſed hi, licèt metris adſtricti, à quotidiano ſermone non recedunt.

8. Hoſce poſtquàm probè intellexerimus, adiri poterunt Hiſtorici, quorum ſtylus, licèt à verſibus abhorreat, comptior eſt Comico ſtylo, & ſublimior, adeóque difficilior; quæ difficultas interdum augetur rebus ipſis, qualia ſunt prælia, machinæ, aliáque ſimilia; quibus minùs ſunt adſueti adoleſcentes, quàm iis, quæ apud Comicos narrantur. Faciliores Hiſtorici ſunt *Cæſar*, *Cornelius Nepos*, & *Juſtinus*, quorum ſtylus ſimplex eſt & perſpicuus, præſertim duorum priorum; nam poſtremus non rarò inflata utitur dictione, potiſſimùm in orationibus. Imò & multa habet ἄκυρα, & duris metaphoris interdum diſtinctus eſt, nec ſemper melioris ævi Scriptores imitatur. Comptiores ſunt *Livius*, *Salluſtius*, *Curtius*; & *Salluſtius* quidem brevitate ſtyli durior, *Curtius* tumidior. Horum omnium ſunt eligendæ, quantùm poteſt, emendatiſſimæ editiones,

ones, quales sunt quæ cum notis Variorum in Hollandia editæ sunt, quamvis enim Notæ interdum malè sint selectæ, attamen ut plurimùm Textus emendatior est, quàm in aliis Editionibus.

9. Possem plures indicare legendos Scriptores, sed initio ne sex quidem, quos nominibus appellavi, ita legendi sunt, ut, statim ac unus primùm lectus est, ad alium convolemus. Qui primus sumitur in manus, *Cæsar*, *Cornelius Nepos*, aut *Justinus*, non debet modò, ut ita dicam, celeri lectione vorari, sed aliquâ morâ concoqui; adeò ut quàm paucissima in eo remaneant nobis obscura, nisi sint loca, quæ ipsis Interpretibus negotium facesserint. Difficile est primâ lectione omnes nodos, non dicam solvere, sed animadvertere; sæpe enim difficilia, quasi facilia, prætermittuntur. Itaque ad iteratam lectionem possunt differri loca difficilia, ne primùm legentes nimius offendat labor. Qui hoc tentabunt, secundâ lectione mirabuntur se antea difficilia judicasse quædam loca, in quibus omnia erant plana; & vice versâ ea facilia, quæ magnis difficultatibus laborabant. Utile est tamen, in prima lectione, libellum habere in quo adnotentur loca quæ intelligi non potuerunt, & in quorum sensum inquirere nondum licuit. Is libellus inscribetur *Quærenda*, in quo postea si tanti videatur, & inveniri potuerit locorum illorum interpretatio, scribi poterit paucis, aut indicari Scriptor qui eam tradiderit; additâ paginâ, Libro & Capite, prout commodissimum erit. Nihil interest illa *Quærenda* postea nobis nihili videri, post majores progressus; imò jucundum erit ex illis, quanti progressus sint, videre.

10. Hisce Historicis conjungi poterunt Epistolæ *Ciceronis ad Familiares*, cum notis *P. Manutii*, & eæ quidem, si possit fieri ordine temporum dispositæ. *Manutius* in argumentis tempora notavit, quantùm ea conjicere potuit, & in quibusdam * Editionibus additi sunt Indices, in quibus eo ordine disponuntur. Hoc maximè propter Historiæ seriem delectat, ad legendum allicit, & ad intelligendum juvat. Postea ad Orationes Ciceronis deveniendum erit, & faciliores ante alias legendæ, quales sunt *pro lege Manilia*, *pro Archia Poeta*, *Catilinariæ*, &c. quæ, ut reliqua omnia repetitâ lectione erunt concoquendæ. Hos autem Scriptores non ita suademus legendos, quasi aut omnes necessariò initio essent evolvendi, aut nulli similes adjici possent; sed ut quis delectus initio legendorum fieri debeat ostendamus, & quare ita progrediendum sit pateat.

* In nupera Amstelodamensi in 12. cum notis *Grævii*.

11. Qui

11. Qui huc usque progressi fuerint, de Poëtis legendis, Elegiarum Scriptoribus, Epicis, Lyricis, tum demum cogitare debebunt, non priùs Cujus rei ratio hæc est, quòd ut Linguam probè discamus, priùs intelligenda sit propria significatio verborum, quàm metaphorica, & oratio simplex, quàm figuris ornata. Hic enim est ordo naturæ, quem à pueris, in discenda Lingua vernacula, observari etiam videmus. Contrà si priusquàm simplicem orationem probè intelligamus, ad figuratam nos conferamus, omnia miscentur; nec proprias verborum & loquutionum significationes tenemus, nisi post longiorem multò & majorem laborem. Hinc etiam fiet ut cùm scribere tentabimus, proprietate vocum & phrasium neglectâ, duram & affectatam dictionem, ac proinde obscuram & odiosam habituri simus; in versibus prosæ phrases, in prosa oratione poëticas simus imprudentes adhibituri, quòd eos characteres non satis distinguamus; ut constat exemplis plurimorum virorum alioqui doctorum, qui studiorum initia perturbatiora habuerant. Sed majus incommodum inde fluit, quod vix emendari potest; nempe, sæpissimè videntur sibi intelligere quæ non intelligunt, quia propriam uniuscujusque vocis significationem non tenent, nec quibus gradibus ex propria in metaphoricas plures transierit nôrunt. Interdum enim ex propria significatione magis aut minùs receditur, & plures etiam in una voce latent allusiones. Exempli causâ, celebris est *Horatii* locus, Od. II. Lib. II. ubi dicit virtutem deferre regnum uni,

Quisquis ingentes, oculo irretorto,
Spectat acervos.

Multùm se torsere Intt. ad inveniendam significationem vocis *irretortus*, licèt viderint hîc significari oculos abstinentes. Sed non intellexerunt quare oculi abstinentes dicantur *irretorti*, quòd propriam vocis significationem non satis attenderint. *Torquere* ergo significat *inflectere*, *convertere*; unde *oculos torquere* dicuntur qui caput vertunt, ut aliquid videant.

——*Oculósque ad mœnia torsit*,

id est, convertit. *Retorquere oculos* est caput in humeros convertere, ut quòd à tergo reliquimus videamus. Ita *Cicero*, in II. *Catilin.* de Catilina ingratiis ex Urbe egresso: *Retorquet oculos profectò sæpe ad hanc Urbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget.* Dicere possemus contrà de eo, qui patriâ excederet, sine desiderio: *spectavit mœnia patriæ exiens oculis irretortis*,

irretortis, si in prosa liceret ejusmodi tropo uti; aut potiùs, quod licet per Rhetoras: *egressus mœnibus non retorsit oculos.* Ita *Horatius* describens opum contemptorem, quasi transeuntem prope acervos auri, nec eos dignantem spectare, nisi dum ante se sunt positi, *non retorsit*, inquit, *oculos* cùm transit; quod à cupidis solet fieri. Græci multò feliciores Latinis hoc unicâ voce ἀμεταστρεπτὶ, *non conversâ facie*, exprimunt. Ita *Plato* de Rep. X. hoc præceptum eximium tradit, ubi commodùm ea vox occurrit: τὰς τῶν κακῶν συνουσίας φεύγειν ἀμεταστρεπτὶ, *malorum consortia fuge irretortis oculis. Eusebius* in Præp. Evangel. sub finem lib I. ait nobis ab Evangelio præceptum Theologiam, qualis erat Phœnicia, quam ibi exposuit, ἀμεταστρεπτὶ φεύγειν; qua in re, diligens Platonis lector, videtur eum imitatus: sicut ipse *Horatius* Græcos, uti alibi passim, hac in re sequutus fuit. *Homerus* Iliad. Z. vers. 496. ita describit Andromachen ægrè à viro divulsam, & invitam videntem eum urbe exire:

—— Ἄλοχος δὲ φίλη οἶκόνδε βεβήκει
Ἐντροπαλιζομένη.

Uxor chara domum ibat, subinde se convertens, desiderio, nempe, viri, quem invita demiserat. Alioqui Latini optimè dixerint *fugere sine respectu*, cùm de timente, qui non respicit præ metu, tum de contemnente, cui nullum inest relictæ rei desiderium. *Livius*, de Philippo ad Aoi amnis angustias à T. Quintio Flaminino victo, Lib. XXXII. c. 12. *Rex primò effusè ac sine respectu fugit.* Annibal verò cùm Italiam relinqueret, *non sine respectu* vela in Africam dedit. *Rarò quemquam alium patriam, exilii causâ, relinquentem magis mœstum abiisse ferunt, quàm Annibalem hostium terrâ excedentem*, respexisse *sæpe Italiæ litora*, &c. Quæ verba sunt ejusdem Scriptoris, Lib. XXX. c. 20. Græci etiam eum qui non invitus aliquò it, nec loca ubi fuit desiderat, ire aiunt μηδὲν ἐπιστρεφόμενον *non conversum.* Vide *Epicteti* Enchir. C. XII. Idem Philosophus C. LXXVI. ubi vetat aliorum curari sermones, ὅ, τι, inquit, ἂν ἐρῇ περί σου, μὴ ἐπιστρέφου, hoc est, *ne curato.*

Præterea *Horatius* alludit hîc ad oculos, ut ita dicam, Stoïcos; in antecedentibus enim versiculis, manifestò ex Stoïcorum sententia loquitur, ut rectè Intt. observavêre. Leve vulgus cupiditatibus suis, quasi ventis, huc illuc actum habet oculos, ut loquitur *Cicero*, *lubricos & mobiles.* Non potest defixum in unam rem objectam hærere, sed quavis de causa huc illuc circumfert adspectum. Contrà Philosophicæ gravitatis

vitatis fuit fixos habere oculos, quales ſunt cùm de re quapiam attentè cogitamus. Ita narratur *Socrates* † *ſtare ſolitus pertinaci ſtatu, perdius atque pernox à ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem*, inconnivens, *immobilis iiſdem in veſtigiis, & ore atque* oculis *eumdem in locum directis cogitabundus, tamquam in quodam ſeceſſu mentis atque animi facto à corpore.* Talia innumera occurrunt, quæ non intelliguntur, quòd non recto ordine, in diſcendis vocum ſignificationibus, progreſſi fuerimus.

SECTIO II.

Poëtæ.

1. DUM ageremus de Proſæ Scriptoribus, meminimus *Plauti* & *Terentii*, qui Poëtæ fuêre; quia eorum dictio, licèt metris adſtricta, ſermoni propior eſt, quàm ipſorum Hiſtoricorum libri; quòd Poëtæ Comici inducant loquentes ſervos, aliόſque, qui familiari tantùm & quotidiano utuntur ſermone. Eadem de cauſa, ne *Horatius* quidem, ſuarum Satyrarum & Epiſtolarum causâ, ſe Poëtam dici ſuſtinuit, ſed hujus nominis honorem ori magna ſonaturo deberi dixit. Nunc verò agemus de lectione eorum, qui non modò verſus, ſed carmina poëticâ dictione ediderunt.

2. Cùm Poëtæ paſſim alludant ad antiquiſſimam Græciæ Hiſtoriam, quam Μῦθον *verbum*, ſeu *fabulam* κατ' ἐξοχὴν dixerunt, quod narratu digna contineat; neceſſe eſt, priuſquàm ad eos accedamus, aliquam ſaltem Mythicæ Hiſtoriæ cognitionem nobis comparemus. Alioqui legi non poterunt, ſine moleſtiſſimo labore confugiendi ſubinde ad Dictionarium Poëticum; niſi multa non intellecta prætermittantur, quod cavendum, quantùm fieri poteſt. Ideò multi ex Veteribus Grammaticis Mythicorum Temporum olim hiſtorias confecerunt; ex quibus ſuperſunt nobis *Diodori Siculi* quinque priores libri, & *Apollodori Athenienſis Bibliotheca* Græcè, Latinè verò *C. Julii Hygini Fabulæ*. Sunt & alii, ſed non tanti, & hi tres potiſſima ſatis docebunt. Sunt itaque, ut memoriæ inſigantur fabulæ, ſemel atque iterum legendi, aut minimùm unus ex tribus, cùm nec id longum poſtulet tempus. Statuimus hîc eos qui Latinos Poëtas ſtudioſè legere aggredientur, ſatis in Græcis exercitatos eſſe oportere, ut, adhibitâ diligentiâ, *Apollodorum* poſſint intelligere. Ac ſanè, à primis ſtudiorum initiis, ſunt conjungenda Græca cum Latinis, ut dicemus in ſequentibus.

† *Apud A. Gellium* Lib. II. c. 1.

3. Perlecto

3. Perlecto *Apollodoro*, aut *Hygino*, aut quopiam ex Recentioribus, qui idem argumentum literis mandârunt, prout ad manum erit, nullus Poëta prior legendus *Ovidio*. Atque ex hujus quidem operibus *Metamorphosis* & *Fastorum libri*, cùm quòd stylus eorum facilior sit, tum quòd lectio duorum horumce librorum, ad infigendam memoriæ Mythicam Historiam multùm conducat; in his enim libris totus est *Ovidius* in fabulis narrandis. Subjungi hisce poterunt *Heroïdum* Epistolæ; nam alia ejusdem Poëtæ opera in aliud tempus erunt differenda, nisi fortè libros *Tristium* & *ex Ponto* Elegias scriptas antecedentibus adjeceris.

4. Hoc jacto fundamento, veniendum erit ad *Virgilii Æneidem*, *Eclogas* & *Georgica*, quæ omnia sunt accuratè legenda. Editiones omnium optimæ sunt *Taubmanniana*, in qua sunt *Ciris* & *Culex* cum amplissimis *Taubmanni* Commentariis; vel *Emmenessii*, cum variorum notis, cui adjectus est Index *Erythræanus* omnium vocum *Virgilii*. Huic Poëtæ succenturiandæ erunt Odæ coævi & amicissimi vatis *Horatii*, qui unus Poëtarum Lyricorum Latinorum superest, & ferè unus digna legi, auctore *Quintiliano*, scripserat. Addi poterit *Gratii Cynegeticon*, cum *Eclogis Olympii*, & *Nemesiani*, qui licèt serioribus temporibus vixerint, elegantiam ævi Gratiani imitati sunt. *Horatii* Editionem nondum habemus memoratis *Virgilii* Editionibus æquiparandum. Interea *Torrentiana* videtur præstare; sed omnium optima esset, si notæ Latinè exstarent, firmarenturque Veterum testimoniis plurima, quæ sine argumentis proferuntur, & inutilia circumciderentur, Latino-Gallica *Andreæ Dacerii*. *Gratium* edidit, cum *Olympio & Nemesiano*, *Janus Vlitius* vir doctissimus.

5. Hos sequentur *Lucanus* & *Statius*, &, si cui animus sit Poëtas omnes evolvere, amatorii vates *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidii* amatoria; Satyrici *Juvenalis* & *Persius*; Epigrammatographus *Martialis*; Philosophici *Lucretius* & *Manilius*. Horum omnium editiones non adnotamus, cùm brevitatis causâ, tùm quòd studentibus satis innotescent. Neque ordinem in hisce certum constituimus, quia modò ii, quos initio appellavimus, *Ovidius*, *Virgilius*, *Horatius*, *Lucanus* & *Statius* lecti sint, animus satis erit ad reliquos paratus.

6. Non addimus etiam plura hac de re consilia, quia qui eò usque profecerint satis sibi ipsi consulent. Hoc dumtaxat accuratè observandum, ut qui primi leguntur Scriptores quàm optimè intelligantur; alioqui si partim intellecto Scriptore, ad alium continuò transeamus, in quo etiam plurima non intellecta prætermittamus, aut numquam, aut serò ad perspicuam & certam rerum notitiam perveniemus, neque nutantibus

tibus fundamentis firmum ædificium imponemus. Non esset nobis difficile invenire exempla virorum celeberrimorum, qui ob neglecta studiorum initia, indecorè in rebus ad ea pertinentibus cespitarunt.

CAPUT III.

De Ordine in legendis Græcis Scriptoribus observando.

SECTIO I.

Prosæ Scriptores.

1. QUÆ antea diximus, de ordine in Lectione quorumlibet Scriptorum observando, non repetemus. Observabimus dumtaxat tantam fuisse affinitatem & similitudinem Opinionum & Consuetudinum, inter Græcos & Romanos, qui omnes suas leges, suámque eruditionem, quanta fuit, Græcis debebant; ut Latinè doctus nemo haberi queat, qui in Græcis literis hospes sit. Latini Scriptores scatent vocabulis & loquutionibus Græcis, quæ nisi intelligantur, ne Latina quidem satis intelligi possunt. Pleraque artium vocabula Græca sunt, quòd à Græcis artes acceperint Romani; & Poëtæ præsertim Hellenismis usque adeò sunt referti, ut eorum Interpretes eruditiores passim ad Græcam Linguam confugere necesse habeant.

2. Itaque, quod solet à peritioribus Magistris fieri, juventutem statim ac Latinæ Linguæ elementa hausit, operam dedisse Græcæ volumus; ut cùm accedit ad Poëtarum lectionem, possit subsidio Dictionarii Græcum Scriptorem ex facilioribus intelligere. Hoc posito fundamento, quo initia Linguæ continentur, quomodo sint ulteriora studia instituenda docebimus; si hoc priùs monuerimus, cavendum esse ne putemus, priusquàm lectionem Scriptorum Græcorum aggrediamur, Grammatica omnia præcepta memoriæ mandanda. Plerique ad hunc scopulum impingentes, Græcæ Linguæ studium, hac sola de causa, ab ipso limine abjiciunt; quod illis, aliâ insistentibus viâ, alioqui feliciter cessisset. Nempe, semel nominum declinationibus & verborum inflexionibus accuratè memoriæ mandatis, Anomaliæ, aliáque difficiliora paulatim ediscentur, crebrâ & attentâ lectione, in qua subinde occurrent. Uti hanc in rem licet *Caninii Hellenismo*, & *Thesauro Grammatico Antesignani*, in quo Anomaliæ omnes exponuntur, possúntque in copiosissimo indice quæri. Sunt & alii hujuscemod'

commodi libri, quibus, prout ad manum erunt, uti poterunt adolescentes.

3. Neque hoc prætermittendum, non esse initio conandum quidquam sine versionis Latinæ subsidio legere; sunt enim in primis conatibus omnia, quantùm fieri potest, quàm facillima efficienda. Scio me loqui contra sententiam virorum doctissimorum, qui interdum graviter conquesti sunt, quòd versiones Latinæ è regione Græcorum adderentur; quibus aiebant impediri, ne Græca legerentur. Sed, pace tantorum virorum, multò minùs legerentur Græca, sine translationibus, quàm iis additis leguntur; cùm certum sit plerosque iis indigere, ut Græca legere possint. Non sunt fingendi homines quales non sunt, non erunt; sed eorum utendum ingeniis, prout sunt. Nescio etiam an non & odiosus quidam fastus, ac invidia erga alios parum laudabilis, eas querelas illis suggesserint. Dum enim se versionibus nequaquam egere aiunt, & à lectione Veterum eos remotos volunt, qui iis indigent; se aliis multùm antistare gloriantur, & sibi solis eruditionis suæ fontes patere cupiunt. At per eos sæpe factum est, ut spretæ sint literæ, cùm tantis difficultatibus septæ viderentur, ut fructus non essent cum iis æquiparandi. Atque hæc obiter. Verùm eò usque versione abuti non licet, ut nihil quæratur in Dictionario, aut credatur versioni de conjugationis inflexione. Nulla prætermittenda vox est, quæ an radix sit, necne, nesciatur; nullum verbum, cujus modus, tempus aut thema ignoretur. Versio hunc usum solum præbere debet, ut ejus ope voces jam quæsitas, sed ex memoria elapsas, in eam denuò faciliùs revocemus; útque adjumento sit ad constructionem, & verborum themata invenienda. Hac ratione fiet ut haud difficulter, cùm vocum significationes, tùm etiam inflexiones memoriæ infigamus; útque tandem versione facilè cariturі simus.

4. Præterito sæculo, viri eruditissimi *Melchior Wolmarus*, *Gulielmus Budæus*, & *Joachimus Camerarius* cœperant Græcæ Linguæ studia ab *Homeri* lectione; sed postea eos præposteri sui ordinis pœnituit, cùm prosæ Scriptorem legere aggressi videbant se, post exantlatum laborem immensum, faciliores Scriptores non intelligere. *Josephus* quidem * *Scaliger* ait se, vix lectâ Grammaticâ Græcâ, intra viginti tres dies totum perlegisse *Homerum*; sed hoc, si verum est, non est cujusvis tentare, nec judicium ejus ubique sequendum. Licèt enim in

* *In Ep.* 1. *ad Jan. Douzam.*

rebus,

rebus, ex memoria & lectione pendentibus, excelluerit; nec judicio, nec arte ratiocinandi tantopere valuit.

5. Igitur, propter rationes allatas, à prosæ Scriptoribus & quidem facilibus initium faciendum. Legi itaque possunt *Polyæni Stratagemata*, qui Scriptor sub *Marco Aurelio* vixit, facilíque & perspicuo stylo artes varias, à præstantibus Impp. in bello adhibitas, perscripsit. Brevitas Capitum quiescendi etiam gratas moras incipientibus præbet. Eadem de ratione conjungi ei potest *Ælianus*, qui *Varias Historias* & *Historiam Animalium* eleganter scripsit, præsertim posterius opus; nam prius videtur imperfectum reliquisse. Sequi potest hosce *Lucianus*, qui præter Dialogos, multos alios libellos utiles scripsit. Atticæ sanè dictionis puritate, & ipsâ etiam argumentorum facilitate præstat; sed optandum esset hominem Epicureum verecundiorem fuisse, in verbis saltem, nec obscœnos amores passim miscuisse. At seligi poterunt initio *Dialogi mortuorum, & Deorum*, in quibus pauciora sunt talia, tum Liber *de scribenda Historia*, aliíque similes. Huic subnectendum censerem *Aristophanem*, qui Attico lepôre, simplicique & eleganti stylo adeò excellit; ut primus omnium legi deberet, nisi obscœnitatibus nimiùm abundaret. Sed hoc fuit vitium sæculorum illorum, iis omnibus familiare, qui castigatis moribus non fuerunt. Attamen legi possent, exceptis versibus haud multis, tres priores Comœdiæ *Plautus, Nubes, & Ranæ*. Sed nec malè huic substituantur Excerpta ex veteribus Comicis, quæ ab *Hug. Grotio* versa sunt, † & Græcè ac Latinè edita Lutetiæ; vel si is liber, qui rarior est factus, comparari nequeat, *Cebetis Thebani* pulcherrima eruditæ Tabulæ explicatio, quæ nuper tandem à viro docto integra edita est. Hæc potest, imò debet, sæpiùs relegi, quod argumentum utilissimum simplici, & nitidâ simul persequatur dictione. Huic subjungentur *Theophrasti* Characteres Ethici, cum *Is. Casauboni* notis, unde Græcorum vitia & virtutes optimè cognoscentur. Dignus est etiam is liber, ut & *Casauboni* Commentarius, qui semel, iterúmque legatur.

6. Hinc hauriri poterit, ut hoc obiter dicam, cognitio particularum indeclinabilium ἀλλὰ, μὲν, γὰρ, οὖν, δὴ, γε, & similium, quæ Attici sermonis elegantiam condiunt; & quarum nisi vis intelligatur, non modò gratia orationis perit, sed sensus etiam sæpe ei affingitur alienus. Sæpissimè illæ particulæ, apud Atticos, παρέλκουσι; hoc est, ad sensum nihil pertinent, licèt numerosiorem orationem efficiant, & nescio quid elegantiæ addant; nec possunt in aliam linguam verti, parti-

* In 4to an 1626.

culis

culis quarum ſignificationi paſſim reſpondent. Exempli cauſâ, ποτὲ quod ſignificat plerumque *olim*, *aliquando*, apud Atticos, interdum planè abundat, præſertim cùm additur voci τίς interroganti; nec Latinè poteſt verti, niſi expletivâ etiam particulâ *tandem*, τίς ποτὲ, *quis tandem?* *Ariſtophanes* in Pluto, non procul ab initio:

Πρὶν ἂν φράσῃς μοι τίς ποτ' ἐστὶν ὁτοσὶ,

antequàm mihi dixeris quis tandem hic ſit. Subinde talia occurrunt, & plura collegerunt *H. Stephanus* & *R. Conſtantinus*, in Lexicis. Exiſtimo autem peccatum eſſe in hac particula, initio *Cebetis*, ubi legimus ὐκ ἠδυνάμεθα συμβαλεῖν τίνες καὶ πόθεν ἦσαν, *non poteramus conjicere quænam & unde eſſent*, ſabulæ, nempe, in Tabula pictæ. Mſſ. omnes, ut teſtatur nuperus ejus editor, homo diligens atque eruditus, habent ΠΟΤΕ, nam πόθεν eſt ex conjectura *H. Wolfii*, quæ è contextu meritò in ultima editione ejecta eſt. Attamen ſupereſt, niſi fallor, mendum, quod inde ortum eſt quòd Librarii neſcirent quid ſibi vellent τίνες ποτὲ, qua de cauſa καὶ interpoſuerunt; cùm hoc vellet Cebes, *quæ tandem eſſent hæ fabulæ*. Sic poſtea, ubi τὸ καὶ nullus eſſe locus poterat, quo factum ut intemerata Cebetis verba ad nos pervenerint, bis legimus τί ποτε; *quidnam tandem?* Ita & ἀλλὰ non poteſt ſemper reddi *ſed*, ut *adverſativam*, ſicut Grammatici loquuntur, vim habeat; neque γὰρ *enim* aut *nam*, quod attentè legenti memoratos jam Scriptores paſſim liquebit. Hoc cùm alii etiam, licèt minus frequenter, factitârint, multùm ad omnis generis Scriptores Græcos intelligendos conducet. Ipſum Novum Teſtamentum, præſertim Epiſtolas, nemo ſatis intellexerit, niſi hoc nôrit. Series enim orationis iis particulis continetur, quas proinde, niſi aſſequaris, oratio ipſa laborat. Ita Rom. X. 8. ſi voculam Ἀλλὰ vertas *ſed*, nullus eſt ſenſus; neque enim quod in iſto commate dicitur opponitur antecedentibus. Vertendum Latinè: Ἀλλὰ τί λέγει; *quid præterea dicit?* Ejuſdem Cap. Verſ. 17. Ἄρα vertendum eſt *ſanè*, *certè*, non *ergo*; alioqui ſenſus eſt intricatiſſimus.

7. Hiſce Scriptoribus lectis, pergendum erit ad *Xenophontis* libros Hiſtoricos, quorum dictio, ſuaviſſimâ ſimplicitate condita, admirationi præſtantiſſimis totius Antiquitatis viris fuit; à quibus dictus eſt * *Muſa Attica*. Cicero quoque, † *Xenophontis voce Muſas quaſi loquutas*, ait. Subjungendi e-

* *Diogen. Laërt.* in ejus Vita.
† *In Oratore.*

runt

runt libri Philoſophici, quos argumentum non adſuetis paulò obſcuriores reddit. Inde legendi erunt *Herodoti*, qui pater Hiſtoriæ dicitur, libri; in quibus elegantia Ionicæ Dialecti haud minùs enitet, quàm Atticiſmus in *Xenophontis* operibus. De hiſce duobus Scriptoribus, idem, ad Græcam Linguam quod atrinet, poſſumus dicere, quod *Quintilianus* de *Cicerone* ad Latinam reſpiciens dixit; nempe, quò magis *Herodotus* & *Xenophon* Studioſis placuerint, eò magis eos in Græca Lingua profeciſſe. Qui nondum illâ elegantiâ capiuntur, nondum Linguam ſatis aſſequuntur. Eſt & alius Scriptor Atticus, maſculâ eloquentiâ celeberrimus, *Thucydides*, ſed cujus eloquutio obſcurior multò eſt, attamen lectu digniſſimus.

8. Qui eò uſque proceſſerint conſiliis noſtris non indigebunt, de delectu Scriptorum faciendo; nec multùm laborabunt in lectione Oratorum Atticorum *Iſocratis*, *Demoſthenis* aliorúmque, niſi ubi nova quædam vocabula forenſia occurrent, quæ laborem etiam eruditis faceſſunt. At non debebunt prætermittere lectionem *Platonis*, cujus Philoſophia, pulcherrimâ dictione expreſſa, tanto in pretio apud Veteres fuit, ut innumeros admiratores non inter Ethnicos modò, ſed etiam Judæos & Chriſtianos invenerit; quo factum ut plurima ejus dogmata latiſſimè olim ſparſa fuerint, inter trium Religionum cultores, nec pauca etiamnum hodie inter nos eorum maneant veſtigia, quod proclive eſſet oſtendere, ſi res eſſet hujus loci.

9. Monebimus potiùs, quod memoria pœnè elapſum initio dictum oportuit, ante lectionem Græcorum Scriptorum, eſſe inquirendum in Græciæ conſuetudines, quantùm id fieri poterit. Reſpublicas Græciæ, & præcipuos mores tradidit *Ubbo Emmius* in ſua Græcia, quem juvabit legiſſe. Eſt etiam *Archæologia Attica* Anglicè Scripta, neſcio an & in alias Linguas verſa, * à *Franciſco Roo.* Hæc quamvis in multis jejuna, nec ſatis accurata, poterunt tamen tyronibus uſui eſſe. Sed in hiſce antiquitatibus eruendis, præ cæteris, deſudavit *Joannes Meurſius*, cujus Scripta optandum eſſet in unum Corpus colligi, & quæ ad Græciæ Antiquitates pertinent, in juventutis gratiam à viro docto in compendium redigi; ſunt enim vaſtiora, quàm ut initio legi queant. Itaque *Ubbone Emmio*, aut alio qui primus occurret, utendum erit, donec utiliorem aliam operam præſtet vir quiſpiam eruditus.

* Londini in 4. 1637.

SECTIO II.

Poëtæ.

1. POSTQUAM ſatis verſati erimus, in proſæ orationis Scriptorum lectione, ut eâ delectemur, & voluptatem, non moleſtiam dumtaxat, facilitate ſuâ pariat; deveniendum erit ad Poëtas. Inter eos non numeramus, propter allatas rationes, ubi de Latinorum Poëtis loquuti ſumus, Comicos, qui proſæ propiores verſus ediderunt. *Homerus* itaque & *Heſiodus* primi omnium erunt legendi, quòd facillimi ſint Poëtarum Græcorum; argumentum enim (ſi excipias librum qui *Opera & Dies* ab *Heſiodo* inſcriptus eſt) elegerunt nequaquam naturâ ſuâ obſcurum, & facili uſi dictione moleſtiam, ſtructuræ obſcuritate, non creant. Hæc una eſt difficultas, Dialectorum varietas, & inflectiones, ac mutationes Poëticæ verborum; ſed hæc facilè ſuperabitur, ope Lexicorum, in quibus omnia ejuſmodi vocabula accuratè expoſita ſunt, ut omnibus notum eſt. Præterea ſunt multæ & frequentes repetitiones, quibus fit ut, ſi quis ſex, ſeptem *Homeri* libros accuratè legerit, jam in iis intelligendis non multùm indigeat Lexico, útque facilè ſequentes ſit intellecturus; quod plus ſemel experientiâ deprehendimus. Utile erit, cùm initium fiet Homerici ſtudii, evolvere * libellum inſcriptum, ab ejus Scriptore *Everardo Feithio*, *Antiquitates Homericæ*, ubi deſcribuntur Heroïcorum temporum conſuetudines, ex *Homero* potiſſimùm hauſtæ. Quod quidem argumentum potuit accuratiùs & clariùs exponi, ſed quoniam nemo alius id præſtitit, eo Catone contentos nos eſſe par eſt.

2. Præter allatas rationes, ob quas ab horum Poëtarum lectione initium faciendum eſſe duximus, hæc eſt non contemnenda; quòd eorum qui ſuperſunt antiquiſſimi ſint, & ex eorum † fontibus ſequentium ætatum Poëtæ certatim plurima hauſerint. Multò autem meliùs intelligimus quæ ſunt aliunde deſumpta, cùm ſcimus unde ſint mutua accepta, quàm cùm id nobis latet. Sæpe enim alluſio quædam obſcurior eſt, ad ea quæ dicuntur à Scriptore, qui primus iis uſus eſt; in qua alluſione totus eſt orationis lepos, qui niſi ſentiatur, ipſa res non ſatis intelligitur. Atqui animadverti non poteſt, ab iis, qui rem in ipſo Poëta non legerunt; ut ii nôrunt quibus ejuſmodi alluſiones, inter legendum, occurrerunt.

* *Ed. Lugd. Bat.* 1677. in 12.
† Vid. *Ælian. Var. Hiſt.* Lib. XIII. c. 22. & *ad eum Intt.*

Huc etiam accedit, quòd & prosæ Scriptores passim ad *Homerum* & *Hesiodum* respiciant, & vix possint intelligi, innumeris in locis, nisi in Poëtis legerimus quæ ab iis proferuntur. Est aliud quoque, quod observatu indignum non est; nempe, neminem satis intelligere quare *Homerus* tantæ fuerit admirationi Veteribus, nisi, magna saltem ex parte, ab eo perlectus fuerit. Commisit nonnulla peccata contra Poematis Epici leges, & verisimilitudinem, quæ videntur iis qui Poëtam non legerunt, cùm narrantur, adeò absurda; ut contemni debuisse censeatur, útque judicium Antiquitatis totius in dubium vocetur. Exempli causâ, Lib. VI. in medio prælio, dum acerrimè Trojani à Diomede urgentur, auctor est Helenus Hectori, ut in Urbem eat, matri dicturus vovendum esse peplum Palladi, si fortè Trojanis placetur. Obsequitur Hector, & multùm temporis absumit, in colloquendo cum matre, cum Helena, cum Paride, cum Andromacha, qui ne momento quidem ab exercitu abesse debuit. Hoc certè peccatum est in Poëta ingens; at si quis eos sermones legat, in quibus tempus terit Hector, præsertim cum Uxore, peccati Poëtæ illico obliviscetur; tanta enim est eorum dulcedo, & elegantia, támque vividæ imagines, ut regularum Artis oblitus, & Homericis versibus, quasi carmine magico delinitus, lætaturus sit ita peccasse *Homerum*, & exclamaturus potiùs; felix peccatum, quod elegantes adeò versus nobis peperit!

3. Post *Homeri* & *Hesiodi* lectionem, poterunt adiri reliqui Heroïci carminis Scriptores, & in primis *Apollonius*, qui in *Argonauticis* antiquissimam Historiam persequutus est. Debent etiam studiosè legi *Bucolici* Poëtæ *Moschus*, *Bion* & *Theocritus*, ad quorum Doricam Dialectum intelligendam non parum proderit *Æmilii Porti* Lexicon Doricum, vel, qui in suum Dictionarium hoc transtulit, *Corn. Schrevelius*. Initiò enim ejusmodi subsidiis utendum est, modò semper omnes voces derivatas ad Radicem referamus; neque enim hoc parum, cùm ad memoriam, tùm ad vim vocum assequendam prodest: Utile tamen etiam erit ex Grammatico petere præcipuas Dialecti Doricæ regulas, ne vel minimæ voculæ negotium facessant. Horum Poëtarum editiones variæ sunt, sed omnium optima est *Heinsiana*, cum Scholiis Græcis, & observationibus *Jos. Scaligeri*, *Is. Casauboni*, ac *Dan. Heinsii*; quorum tamen hic, dum acumen perpetuò sectatur, sæpe inanem quamdam ἀκρίβειαν ostentat.

4. Post Bucolicorum Poëtarum perlecta volumina, adeundi erunt Tragici, inter quos primas tenet, cùm cæteris dotibus, tum facilitate eloquutionis, Euripides; cujus etiam

quot ſunt verſus, tot eſſe ſententias, ſeu γνώμας, *Cicero* meritò dixit. Hunc ſequetur *Sophocles*, Sophoclem *Æſchylus* qui durior & audacior eſt, & minorem multò adhibet artem. Poſtremus omnium legendus erit *Pindarus*, qui ipſum *Æſchylum* dithyrambis ſuperat, & duritiem ſtyli præ ſe fert numquam concoquendam, niſi Linguæ peritiſſimis.

5. Plura non addam, quia quicumque huc uſque progreſſus erit, duce viæ nequaquam opus habebit. Potuiſſem multò plura Poëtarum recenſere nomina, ſed ambitioſo indice abſtinendum duxi; quia quæ tacui ſatis nota erunt iis, qui nominibus appellatos evolverint. Præſtat monere cum lectione Poëtarum conjungendum eſſe Artis Poëticæ ſtudium, niſi enim leges Artis nôrimus, non ſatis intelligimus finem Poëmatum, peccata, aut eruditionem Poëtarum; quo fit ut certa hiſce de rebus ferre nequeamus judicia, aut cum tædio legamus, quæ legum Artis peritis ſummam admirationem ac voluptatem creant, vel admiremur quæ vituperanda ſunt. Cùm multi hac de re ſcripſerint, duos potiſſimùm cæteris prætulerimus; quorum alter eſt *G. J. Voſſius*, qui *Inſtitutiones Poëticas* Latinè ſcripſit: alter verò Gallus, nomine *Renatus le Boſſu*, † qui *de Carmine Epico* elegans volumen Gallicum publici juris fecit.

6. Poſſet hîc aliquid ſubjungi de Fabulis, quæ Poëtarum argumentum ſunt; ſed res ampliorem diſputationem, quàm inſtitutum noſtrum patitur, poſtulat. Monebimus tantùm eos errare, qui credunt eas omnes eſſe à Poëtis inventas; cùm plerumque nihil ſint, præter antiquam Hiſtoriam Græciæ, exornatam quidem illam, vel potiùs depravatam figmentis, ſed non prorſus confictam. Antiquiſſimæ Hiſtoriæ narrabantur verſibus, & cùm eorum dictio ſcateret tropis & figuris, hinc factum ut propriè intellecta, aut alieno ſenſu expoſita pepererit figmenta plurima, quibus poſtea datâ operâ à Poëtis alia adjecta ſunt. At veritas non eſt ubique adeò in illis occulta, quin magna ex parte figmentorum involucris liberari poſſit, ſi rem quis ſeriò aggrediatur; * quod experti dicimus, & facilè poſſemus oſtendere. Atque hoc obſervari debuit, ne deliros cenſeamus Poetas, quod fabulas tanto ſtudio narrent.

---

† *Traité du Poëme Epique* à Paris 1675. in 12.

* *Vide explicationem Fabulæ de Harpyis in Diſſ. De Statua Salma.*

CAPUT

CAPUT IV.

De Methodo in Hebraicæ Linguæ ſtudio obſervandâ.

SECTIO I.

Lectio Vocum.

1. PRIUSQUAM de Methodo Hebraïci ſtudii agamus, obſervandum eſt eſſe prorſus neceſſarium iis, qui Novi Teſtamenti libros penitùs intelligere optant, cujus rei hæ ſunt rationes. Religio Chriſtiana non eſt ita cœlo integra delapſa, ut nullam rationem habeat Religionum, quæ antea erant, ſed omnia nova hominibus afferat. Contrà eſt veluti Religionis Judaïcæ ſurculus, at ipſo trunco major ac viridior. Addit quidem Judaïcæ plurima, & iis interdicit Chriſtianis, quæ in Judæis à Deo, propter eorum σκληροκαρδίαν, tolerata fuerunt; attamen multis Judaïcæ Religionis dogmatibus inædificat, & ab hominibus, in Judaïca Religione educatis, primùm conſtituta eſt; unde fit ut in eorum libris, perpetuæ ſint ad Judaicas leges, ejuſdémque Gentis priſca Scripta alluſiones. Præterea qui Novum Teſtamentum ſcripſere, Græcis quidem uſi ſunt vocibus, ſed phraſi Chaldaïca; quòd hæc Lingua tunc temporis in Judæa, inter Hebræos, in uſu majore eſſet, quàm Græca; ita ut plebs, aliíque Judææ incolæ eâ Linguâ Helleniſmum, qui à Seleucidis & Lagidis eò fuerat illatus, inficerent. Itaque ad intelligendum Novum Teſtamentum, opus eſt aliquâ cognitione Chaldaïſmi, aut Hebraïſmi, qui ejuſdem Linguæ duæ fuere Dialecti.

2. Huc accedit quòd omnes rationes, quæ ſuadent Hiſtoricorum Græcorum & Latinorum lectionem utilem eſſe, imò validiores, militent pro Hebraïcorum Scriptorum lectione. Quod quia per ſe manifeſtum eſt, à nobis pluribus non probabitur.

3. Quoniam autem ſolent juvenes, ætate demum grandiores, animum appellere ad Linguæ Hebraïcæ ſtudium, hîc, ut in Græca & Latina Lingua fecimus, non ſtatuemus elementa jam eſſe nota, ſed ab iis incipiemus. Primùm literas Hebraïcas adſpicientes terrent ductus abſimiles planè literis quas novimus; licèt certum ſit Græcas, ex quibus Latinæ, à charactere Phœnicio ortas eſſe; characterem autem Phœnicium, qui vulgò Samaritanus dicitur, initio eumdem cum Aſſyrio, quo nunc utuntur Hebræi, fuiſſe. Ita, labente tempore,

pore, mutatur figura literarum. At facile eſt Conſonantium primùm figuram diſcere, ſi Alphabethum Hebraïcum aliquoties deſcribatur. Vocalium cognitio, utpote pauciorum, multò facilior eſt, & ſtatim ac attentè expenſa eſt, & ſonum Conſonantium, deſcriptione Alphabethi, didicimus, exercitatione lectio proclivis evadit.

4. Vocales antiquis Hebræis in pronunciatione quidem uſitatæ erant, cùm ſine iis nulla vox efferri poſſit; ſed inter ſcribendum nullas earum figuras apponebant, ut copiosè contra *J. Buxtorfium* probavit *L. Cappellus*, in *Arcano Punctationis*, ejúſque *Vindiciis*. Sed cùm Lingua Hebraïca jam dudum intercidiſſet, nec legerentur Hebraïci Codices, niſi ab iis, qui eam lectionem difficulter πατροπαραδότῳ traditione didicerant; docti quidam viri, fortè *Tiberienſes Maſſorethæ*, quadringentis minimùm poſt Chriſtum annis, figuras vocalium invenerunt; ne ob nimias Judæorum migrationes, traditio illa, quæ jam multas mutationes paſſa erat, prorſus intercideret. Sed quoniam inventio illa non ſimul ac ſemel, neque ab iiſdem hominibus videtur perfecta, & præterea ſemper moroſi & reconditioris neſcio cujus doctrinæ jactatores fuere Rabbini; leges lectionis impeditiores ſunt, & ſcatent exceptionibus, præter multitudinem inutilem vocalium; cùm ſatis fuiſſent quinque breves & quinque longæ, eæque diſtinctis figuris notatæ. Eodem modo hac in re ſe geſſere Rabbini ac Rhetores Græci in tradendis artis ſuæ præceptis; * *ne parum multa ſciſſe viderentur, ea conquiſiverunt quæ nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur*, útque proinde majori in pretio haberetur.

5. Verùm illis incipientes terreri non debent; primùm enim non diſcitur lingua Hebraïca, ut inter loquendum, aut in ſcribendo uſui ſit, ſed tantùm ut intelligatur; quam in rem non multùm confert moroſa pronunciatio, adeò ut non neceſſe ſit hac de re nos anxios eſſe. Secundò, ſi vel accuratiſſimè, ex hodiernis regulis, quis voces efferat, non eſt putandum eum ex veterum Hebræorum more pronunciaturum; ut apparet vel ex nominibus propriis, quæ aliter à Maſſorethis lecta ſunt, quàm à Septuaginta Interpretibus, aliiſque etiam Recentioribus.

6. Itaque primùm miſsâ illâ multiplici regularum, tot exceptionibus laborantium, cognitione, quæ paulatim poterit acquiri, initio hoc tantùm obſervandum; Conſonantem, ſub qua eſt figura Vocalis longæ, conſtituere ſemper cum ſua vocali ſyllabam, ut פָּקְדוּ *Phâ-kedou*; contrà ve-

* *Script. ad Herennium* Lib. 1. c. 1.

rò

rò brevem Vocalem Consonantem, sub qua est, conjungere cum sequente, ut syllaba constet duabus Consonantibus, ut פקד *pakked*. Hoc tamen in brevi Vocali non ita perpetuum est, quin interdum cum Consonante cui subjacet syllabam constituat; sed quando hoc usu venit, non potest aliter pronunciari vox à legentibus, ut nullus sit peccato locus. Rectiùs nihilominùs fecissent Massorethæ, si constantiores fuissent. Malè etiam fecerunt, quòd *Camets magnum* à *parvo*, si aliter efferri debuit, diversitate figuræ constanter non distinxerint. Sed hoc tenendum est semper esse magnum, cùm potest cum unica Consonante cui subjacet syllabam efficere; cùm verò aliter efferri nequit syllaba, nisi duæ Consonantes jungantur, esse parvum; ita in פקדו magnum est, in צורם *tsourom* est parvum, quia *Mem finale* necessariò conjungitur cum ר *Resch*. Sunt qui velint excipi terminationem in ה ut רמה *Ramah*, sed seu excipiatur, seu non excipiatur, perinde est. Imò ad omnes illas inanes difficultates resecandas præstaret fortè figuram ᴛ, aut semper τοῦ O sonum obtinere, aut pronunciari semper A; quandoquidem nominum propriorum quædam sub quibus est, ad eam syllabam quod attinet, modò per O efferantur apud Vett. Intt. modò per A; quod quomodo in aliis vocibus usurpatum fuerit cùm ignoremus, nec hoc faciat ad intelligentiam Linguæ, negligi prorsus id discriminis possit.

7. Ad vitandam molestiam distinctionis Vocalium in breves, & brevissimas, duo tantùm observanda: 1. *Scheva simplex* numquam esse pronunciandum, nisi cùm aliter vox ore efferri nequit; quod evenit ubi Consonante, cui subjectum est, inchoatur syllaba, ut in voce פקדו *phakedou*. Vel si id discrimen non arrideat, & confundi placeat sonum *Camets magni* cum *parvi* sono, legenda erunt vocabula, quasi nihil esset sub Consonantibus, sub quibus est *Scheva*, ut fit apud Syros. 2. *Scheva compositum* non esse sono distinguendum à brevibus Vocalibus, quibus constat. Accentuum nulla planè habenda est ratio, quippe qui sint sine causa inventi ab hominibus, quidem Linguæ legitima *accentuatio*, si ita loqui licet, æquè erat ignota, ac nobis; imò qui ne accentuum quidem naturam nôrant, quippe qui ope unius, ejusdémque accentûs Vocalem longam in brevem mutant, & brevem in longam.

8. Objicient qui Rabbinos nimis mirantur, ita futurum ut non pronunciemus, ut illi solent; quod verum est. At non minùs verum legitimam & antiquam pronunciationem illis non magis notam esse, quàm nobis. Et cùm illa nihil ad Linguæ intelligentiam faciat, nihil interest quocumque

modo pronunciemus; nisi quòd facilior sequendus est, ne inutili difficultate nos impediamus.

9. Itaque missis Rabbinis, statuendam etiam est, nullam rationem esse habendam τῷ *Dagesch*, nisi cùm literam duplicem facit; quod numquam fit, nisi antecedente Vocali brevi. Grammaticorum distinctio est profecta ex Rabbinorum vano ingenio, qui illâ distinctione imperitis persuadere voluerunt, se tenere pronunciationem Linguæ Hebraïcæ, non minùs quam cùm vigebat, quòd falsum & absurdum est; ut constat, cùm ex nominibus propriis, tùm ex re ipsâ, soni enim non possunt, sine mutatione, per plura sæcula servari.

10. Cæterùm si quid hisce Regulis contrarium occurrit, quod rariùs fit, id quasi punctationis mendum habendum est, non quasi exceptio. Postquàm enim Regulæ inventæ sunt; quæ naturâ ipsius pronunciationis nituntur, quales sunt antecedentes; non est putandum Librariorum errores, aut Rabbinorum inconstantiam, debere exceptiones in iis parere; quod sanè faciunt qui Anomalias omnes, quæ occurrunt in Codice Hebraïco, totidem esse exceptiones volunt. Idem est, ac si unicus superesset Latinus Codex, atque ex eo Codice Regulas colligeremus Linguæ; ita ut licèt passim observâssemus vocem *Homo* habere in plurali *homines*, alicubi tamen occurreret, culpâ Librarii, *humanes*, & hoc adnotaremus, quasi exceptionem Regulæ.

SECTIO II.

Monita de cæteris Grammaticis Regulis.

1. POSTQUAM in Lectione satis exercitati erunt Hebraïcæ Linguæ studiosi, ad sequentes Grammaticorum Regulas accedant oportet, adhibitis hisce cautionibus. Prima est ut sciant potissimas tantùm esse tenendas, quales sunt primùm Regulæ de terminationibus pluralium & quæ ad *statum constructum*, & *absolutum*, ad Nomina quod attinet, distinguendum, necessariæ sunt. Farraginem illam mutationis punctorum, quæ superstitiosè tradi solet, omittant oportet. Si enim necessaria esset, usui tantùm scribentibus foret & sunt plurima fortè in ea Librariorum menda, aut Massoretharum oscitanter punctantium errores, quæ à credulis Grammaticis veluti consecrata sunt.

2. Ad Verba quoque quod spectat, sunt regularia & generalia tantùm de *quiescentibus* & *defectivis* tenenda; cùm enim quæ ab iis discedunt, an veræ Anomaliæ sint, an menda scire nequeamus, non opus est ut in iis discendis nos excruci-

cruciemus. Præterea tot sunt, ut non nisi usu disci queant; quam in rem utile est habere ejusmodi Lexica, quæ illa vocabula ordine Alphabethico habent, ut quando occurrunt quæ ad Regulas commodè referri nequeunt, quid de iis censeant Grammatici sine labore discamus. Ita enim fiet, ut aliquoties quæsitam unam eamdémque vocem memoriæ haud difficulter mandemus, modò nullam prætermittamus, sine investigatione Thematis, & Radicis; hoc enim, ut de Lingua Græca diximus, non parum memoriam juvat.

3. Donec autem hisce tricis nos expedierimus; constanter labori incumbendum est, ut quotidie saltem aliquot Scripturæ commata legamus. Etenim continuâ illâ exercitatione, fit ut memoriæ meliùs insigantur voces, útque labor indies minuatur. Incipiendum autem est, à libris facilioribus, quales sunt Historici, ut libri Mosis, Samuëlis, Regum & Chronicorum; unde postea ad Psalmos & difficiliores libros Propheticos progrediendum erit. Primâ hac lectione, unicè spectandæ sunt difficultates Grammaticæ, omissis omnibus aliis quæ ad res pertinent. Primus enim ille labor eò tantùm spectat, ut significationes verborum, quales tradi solent, cognoscamus, & Grammaticas Regulas discamus.

SECTIO III.

De Literarum Hebraicarum ulteriore studio.

1. CUM memoriæ mandaverimus Grammaticas Regulas, & cognoverimus quâ ratione interpretes & Lexicographi voces Hebraïcas exponant; ulteriùs progrediendum erit, ut Linguæ illius indoles, quantùm fieri potest, perspiciatur, & Hebraïcæ antiquitates cognoscantur. Hanc in rem, cùm Libri Veteris Testamenti legentur, utile erit Librum secundum *J. Buxtorfij Thesauri*, ubi copiosè de Syntaxi agit, Libros III, IV & V. *Philologiæ Sacræ Salomonis Glassii* evolvere. Conducet etiam, prout comparari poterunt, legere libros varios ad Antiquitates Hebraïcas pertinentes, quales sunt *Cornel. Bertrami Politia Judaïca*, *Caroli Sigonii* & *Petri Cunæi Resp. Hebræorum*, *Thomæ Godwini Moses and Aaron*, Anglicè ab eo editus, & in Germania ab aliquot annis Latinè versus; *Joannis Seldeni* libri *de Synedriis Judæorum*, *de Jure Naturæ & Gentium*, *Uxor Hebraïca*, *de Diis Syris*, *de Decimis*, *Samuelis Bocharti Phaleg & Hierozoicon*, *Joannis Spenceri* opus *de Legibus Ritualibus* Hebræorum, *Lud. Cappelli Critica Sacra* & *Arcanum Punctationis*, *Joannis Buxtorfii* variæ Dissertationes, *Joannis Drusii* Opuscula omnia, *Salomonis Glassii Philologiæ Sacræ* reli-

qui

qui libri, aliáque similia; ubi res non Theologicè, sed Grammaticè, discutiuntur; hoc est ubi quæruntur Antiquitates Hebraïcæ, omissis ut plurimùm controversiis hodiernis, & consectariis, quæ inde ad conficienda systemata Theologica deduci solent. Hæc enim studia sunt alius planè generis.

2. Jam non erit in Lexico Buxtorfiano, & recentioribus versionibus duntaxat, ut prima lectione fit, hærendum; sed Textui Hebraïco conjungenda erit versio LXX. Intt. & Vetus Latina, adjectis fragmentis aliorum Vett. Intt. quæ à *Joanne Drusio* collecta, & notis illustrata sunt. Hinc enim hodiernarum versionum, quæ ferè ex recentiorum Judæorum interpretamentis, & Theologicis præjudiciis haustæ sunt, cognoscuntur plurima peccata. Utiles sunt *Conradi Kircheri* Concordantiæ versionis τῶν LXX, in quibus uno intuitu cernere est quot variis rationibus οἱ LXX unamquamque vocem verterint.

3. Qui in hisce eo, quo par est, studio versabuntur, animadvertent facilè plurima esse, adeóque longè plura, quàm vulgò censentur, quæ cùm in Lingua Hebraïca summatim considerata, tum in Libris Veteris Testamenti intelligi nequeunt. Cujus rei hæ sunt rationes, 1. quia superest tantùm nobis unicus liber Hebraïcus, ísque non magnæ molis, quo totius Hebraïcæ Linguæ indoles & dictiones contineri nequeunt; 2. quia in hoc libro fuerunt errata Librariorum, quæ sensum turbârunt, jam antequàm Versiones ullæ scriberentur, negligentiâ aut difficultate describendi, in Textum illapsa; 3. quia sunt plurimæ voces, quæ aut semel, aut pauculis vicibus occurrunt, & quidem iis in locis, in quibus nec natura rei, nec orationis series nos docent quo sensu sint accipiendæ; 4. quia constructio passim ambiguitates parit, & tempora confunduntur, nam & pauca habent Hebræi inflexione distincta, eáque subinde inter se miscentur; unde fit, ut nisi res ipsa moneat, nesciamus utrum res præterita aut futura agatur; 5. quia exceptis ritibus Mosaïcis, alíísque consuetudinibus divinâ auctoritate institutis, ignoramus prorsus, aut dubiis conjecturis ex pauculis locis plurimas opiniones Hebræorum colligimus; 6. quia habemus eorum Historiæ brevissimum compendium, quo fit ut passim hæreamus.

4. Ad hæc accedit, quòd certiora quæ nobis suppetunt, ad eas difficultates superandas, subsidia, sint eorum sæculorum in quibus Lingua Hebraïca dudum in desuetudinem abierat, nec aliter nota erat, nisi traditione inter pauculos eruditos. Antiquissima etiam Versio omnium est ea quæ LXX Viralis dicitur, confecta regnante *Ptolemæo Philadelpho*,

pho, ducentis quinquaginta minimùm annis, post reditum è Captivitate Babylonica, in qua Linguæ Hebraïcæ usus corruptus fuerat. Hinc factum, ut necessariò plurium vocabulorum & phrasium significatio intercideret, unà cum Linguæ quotidiano usu; etenim eo tempore non erant eædem studendi artes, quæ nunc sunt. Nulla tunc habebant Lexica, nullas Grammaticas, ut satis apparet ex multis locis Septuaginta Intt. ubi unam eamdémque vocem variè admodum vertunt, & interdum ita ut nulla significationum quas adhibent ulli locorum, in quibus vox occurrit, satis conveniat; & ubi certissimas Grammaticæ Regulas negligunt. Præterea in locis difficilibus adeò hæsitârunt, ut aut prorsus à verbis recesserint, aut sensum ex conjectura, prout potuerunt, effecerint; quorum omnium exempla suppeditabunt *Notæ Criticæ Lud. Cappelli*, & Commentarii nostri in *Pentateuchum*.

5. Sequentium temporum Versiones antiquæ iisdem vitiis laborârunt, donec tandem Judæi, meliore initâ methodo, post annum Christi millesimum, Grammaticas & Commentarios in Scripturam scribere cœperunt, quos postea sequuti sunt Christiani. Sed cùm quidquid Judæi recentiores dixerunt hanc in rem nitatur vel auctoritate Massoretharum, vel veteribus versionibus, vel eorum conjecturis, necesse est eos non minùs fluctuare, ac cæteros Interpretes; Massorethæ enim puncta vocalia addiderunt contextui, eo tempore quo legitima linguæ Hebraïcæ pronunciatio ignota erat, & menda codicis sui consecrârunt; ut apparet in Pentateucho, vel ex Codice Samaritano, è quo multa minuta menda, quæ in Hebraïco passim occurrunt, absunt. Veterum versionum non adeò certa est auctoritas, ut vidimus. Conjecturæ etiam Rabbinorum, quæ hac aut similibus opinionibus nituntur, Codicem hodiernum carere mendis, Linguam Hebraïcam perfectissimam esse, non possunt sine examine admitti; nec pluris debent fieri, quàm Christianorum in obscuris explanandis conatus. Imò verò ejusmodi sunt opiniones, ut stare nullo modo possint, cum iis quæ à perito Interprete fieri debent; útque qui in ejusmodi rebus manifestis peccat, nullius peccati possit esse immunis, & contemptu prorsus dignus sit.

6. Nostra Lexica hodierna, cùm sint omnia inde hausta, in plurimis peccent necesse est; nostræque Grammaticæ, cùm sint unicè ex Codice Massorethico formatæ, ut monuimus, necesse est etiam multis vitiis laborent. Unde colligere est plurimorum Interpretum hodiernorum laborem, qui nullo alio nititur fundamento, sæpe parum utilem esse, quandoquidem ei fidere non licet. Itaque fatendum est eum conari

χεδίν

σχεδίῃ περᾷν μέγα κῦμα θαλάσσης, qui ſperat ſe, ſubſidiis memoratis adjutum, mediocrem adepturum cognitionem Hebraïcæ Linguæ; hoc eſt, ſe eam ita intellecturum, ut pleriſque in locis, aut ſaltem plurimis V. Teſtamenti, poſſit certò ſibi perſuadere ſe æquè intelligere quid Scriptores Sacri velint, ac olim, dum vivebant, ab Hebræorum vulgo intelligebatur.

7. Si quis, ſuperioribus lectis, hîc ſubſiſteret, facilè crederet ea fortè hoc animo à nobis eſſe ſcripta, ut à Linguæ Hebraïcæ ſtudio juventutem deterreremus, cùm re ipsâ animos ei addere ad hunc laborem alacriter ſuſcipiendum inſtituerimus. Sed priuſquàm quidquam aggrediamur, quæ in eo occurrant difficultates probè tenendum eſt; cùm ut ad eas ſuperandas neceſſaria comparemus, tum ne iis prætermiſſis, ſatis eruditos nos eſſe putemus. Videmus enim ad hæc ſtudia plurimos accedere, & in iis etiam conſeneſcere, qui difficultates haſce ignorant, & ſe eruditos putant, cùm ne quidem viam ad eruditionem tendentem nôrint. Non parum etiam ad certam rerum cognitionem acquirendam conducit, ſcire quò uſque pervenire liceat; ne fruſtrà laboremus, aut nos id ſcire credamus, quod reverâ neſcimus.

8. Cùm, ut Poëta ait, *ſit aliquà prodire tenus, ſi non datur ultrà*, quamvis multùm abſit ut eam cognitionem Hebraïcæ Linguæ adipiſci queamus, qualem Linguarum Latinæ & Græcæ multi viri docti, poſtremis hiſce ſæculis, ſibi compararunt; attamen, propter rationes anteà allatas, nitendum eſt, ut, quantùm fieri poterit, eam cognoſcamus. Hæc autem ſubſidia adhiberi poſſunt, præter ea quæ memoravimus, ex Intt. veteribus & recentioribus hauſta.

9. Cùm conſtet Arabicam, Chaldaïcam & Hebræam Linguam Dialectos eſſe, potiùs quàm Linguas diverſas; quemadmodum Ionicam, Doricam, & Atticam Dialectos; prodeſt interdum, ad Hebraïcarum vocum ſignificationem adſequendam, confugere ad vicinas Dialectos. Quod fecerunt interdum feliciter viri doctiſſimi, & præ aliis *Sam. Bochartus*, *Lud. Cappellus*, & *Lud. de Dieu*, quorum poſtremus & primus enumeratis Linguis Æthiopicam etiam priſcam, quæ Hebraïcæ affinis fuit, conjunxerunt. Exempla paſſim in eorum libris occurrent, ut & in *Hiſtoria Æthiopica*, adjectóque ei Commentario viri celeberrimi *Jobi Ludolfi*, qui omnibus in ſtudio Æthiopicæ Linguæ præivit, & præſtitit. Nos quoque hoc ipſum non rarò, in Commentariis in *Pentateuchum*, oſtendimus. Itaque ſi cui animus eò propendeat, memoria firma ſit & vaſta, ac vitæ genus permittat, non inutiliter hiſce ſtudiis operam dederit; & ad conferendas quidem haſce

Linguas,

Linguas, multùm proderunt Lexica in quibus conjunctæ ſunt, qualia *Lexicon Pentaglotton Val. Schindleri*, *Heptaglotton*, *Edm. Caſtelli*, & Harmonicum *J. H. Hottingeri.* Hæc Lexica poſſunt eſſe uſui etiam Linguarum illarum haud valde peritis, modò earum lectio nota ſit, cùm affines Radices ſæpe juxta ſe invicem collocentur. Sed tenenda quoque eſt, quam ipſa Grammatices elementa ſtatim docent, permutatio literarum affinium.

10. Verùm hîc cavendum, ne putemus haſce Linguas ita ἐκ παραλλήλου ſibi invicem reſpondiſſe, ut eædem radices eamdem in omnibus, aut affinem ſemper ſignificationem habuerint. Sæpe evenit ut una eadémque vox in Linguis affinibus varia ſignificet, ut ex Linguis hodiernis ſatis conſtat. Exempli causâ, Linguæ Anglica & Belgica multa habent affinia, quæ idem ſignificant; ſed non pauca quæ planè diverſa, quorum unicum exemplum afferam, unde de cæteris judicium ferri poterit. Apud Anglos, *underſtand* ſignificat *intelligere*; apud Belgas, *onderſtaan moliri*, *niti*, item *ſubſiſtere.* Eâdem voce prognata *underſtanding intellectum* Anglis ſonat; Belgis *onderſtandt* eſt *auxilium*, *adminiculum.* Anglis *underſtanding* eſt *ſolers* etiam & peritus; Belgis *onderſtandig* eſt *auxiliarius.* Si interiiſſet Lingua Anglica, ſique unicus ſupereſſet liber Anglicus, & paulò plures Belgici; hi quidem ſæpe eſſent uſui intelligendo Anglico, ſed poſſent etiam in errorem interdum incautos conjicere; ut ſi vox allata locis tantùm aliquot exſtaret, quorum ſeries tam ferret ſignificationem *auxilii* ex Bellica Lingua, quàm *intellectûs*, facilè eò delaberentur qui Belgicè ſcirent, ut *auxilium* interpretarentur. Ita Pſalm. CXIX, 34. leguntur hæc verba in tranſlatione Anglica; *Give me underſtanding, and I ſhall keep thy Law*, cùm hæc verba ſignificent *da mihi intellectum, & ego obſervabo legem tuam*; verti ex Belgica Lingua poſſet, *geeft my hulp, da mihi auxilium.* Itaque ſi quid ſimile in interpretandis Hebraïcis tentetur, magna attentione utendum; nec quidquam affirmandum quaſi exploratum, quod non res ipſa & ſeries orationis manifeſtiſſimum * faciat.

11. Aliud eſt ſubſidium, quo uſi ſunt Intt. omnes; nempe, conjectura, quæ nititur rebus ipſis & ſerie ſermonis. Sæpe enim vocibus ſenſum certum adſignârunt Interpretes, quia putârunt eum neceſſariò requiri à loci circumſtantiis. Qua in re facillimum eſt falli, cùm plures ſenſus uni, eidémque loco convenire queant, nec nobis interdum Scriptoris ſcopus ſatis pateat. Solent potiſſimùm duobus modis falli Intt. in

* Vide *Diſſ. noſtram de Opt. Gen. Int. Script.* §. X.

ejuſcemodi

ejuſcemodi phraſibus & vocabulis; quòd attendant præconceptas notiones, quas ipſi habent earum rerum, de quibus agitur, cùm ſæpe Scriptor quem interpretantur eaſdem non habuerit; & quòd eam ſententiam ſtatuant ſine dubio eſſe optimam, qua poſitâ, elegantior aut validior eſt Scriptoris ratiocinatio; cùm neque elegantiam illam captaverit, neque demonſtrationes afferre voluerit. Verùm de hiſce copioſiùs, in ſecunda hujus Operis parte, agemus. Ita feliciter οἱ LXX Eſaiæ LII, 15. ex conjectura veterunt יזה *jazzeh, admirabuntur*, quâ ſignificatione נזה *nazah* alibi nuſquam occurrit, neque in vicinis Linguis reperitur. Hòc enim in verſu eſt ἀπόδοσις eorum, quæ habentur in antecedente. Senſus eſt: *quemadmodum multi piorum Iſraëlitarum clades admirati ſunt: ita multi eorum reditum admirabuntur.* Agitur enim ſenſu Grammatico eo in loco, de piis Iſraëlitis, quamvis res multò ſublimior ſub illo cortice Grammatico lateat. Quam ſe variè hîc torſerint Intt. qui ſcire volet *Lud. Cappelli* notas adeat.

12. Præter eam cognitionem conſuetudinum & morum Hebræorum, quam ex Sacris Libris potiſſimùm hauſtam, ſuppeditare poterunt Scripta virorum eruditorum, quos laudavimus; multa huc pertinentia invenientur apud Scriptores, qui de populis vicinis Hebræorum aut victoribus verba fecerunt. Multas enim vicinæ Gentes ſimiles conſuetudines habere ſolent. *Herodotus* & *Diodorus Siculus*, aliique Ægyptiorum & Chaldæorum res ſcripſere; unde non dubia lux multis Hebræorum moribus, ut oſtendit *Joannes Spencerus*, in Opere cujus titulum ſuprà attulimus. Idem & nos demonſtravimus, in Commentario in *Pentateuchum*, multis in locis, ita ut res ampliùs in dubium revocari nequeat. Præterea eò paſſim alludunt Hebræi Scriptores, nec quid velint intelligere licet, niſi res Ægyptiorum & Chaldæorum nôrimus. Sic Eſaiæ Cap. XVIII, 2. Ægyptii deſcribuntur hiſce verbis, גוי קו-קו *goi kau-kau*, ubi quis conjecerit legendum קי-קי *ki-ki*, aut potiùs varietatem eſſe Dialecti, quâ quod per ו ſcribebant Hebræi, id per י efferebant Ægyptii; quod ſæpe fit in Linguis, vel Dialectis Orientalium. Agitur enim de paluſtribus Ægyptiis, ut apparet ex eo quòd *fluvii* dicantur *diripere eorum terram.* De his autem ita *Herodotus*, Lib. II. c. 94. Ἀλείφατι, τῷ χρέωνται Αἰγυπτίων οἱ περὶ τὰ ἕλεα οἰκέοντες, ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τοῦ καρποῦ τὸ καλεῦσι μὲν Αἰγύπτιοι ΚΙΚΙ: *unguento autem utuntur Ægyptii qui circa paludes habitant, ex fructu ſillicypriorum, quod appellant Ægyptii Kiki.*

13. Exſpectaverit fortè quiſpiam, ut agamus hîc de ſtudiis Rabbinicis; verùm aut hæc ad noſtrum inſtitutum non pertinent, aut quæ diximus poſſunt etiam in eam rem partim dicta

dicta existimari. Sunt duplicia potissimùm eorum Scripta. Alia sunt Commentarii in Vetus Testamentum, qui non sunt difficiles admodum intellectu, iis qui contextum ipsum intelligunt, & mediocrem operam iis navârunt, *Rabbinico* Lexico *J. Buxtorfii* adjuti. Sed cùm sint recentiorum Rabbinorum, neque ullâ ratione conferri queant Christianorum laudatis Interpretibus, qui plura multò subsidia adhibent quàm Rabbinorum gens, & judicio multùm iis præstant; nullam causam video quare tanti fiant, quanti à nonnullis fieri solent, nisi quòd vulgò non leguntur, & pulcrum est videri, ea intelligere quæ aliis ignota sunt. Sed res ipsa si introspiciatur, cum Grammaticis ac Criticis Christianorum, nullo modo sunt æquiparandi. Sunt verò alia Scripta, aut allegorica, aut ad doctrinam Thalmudicam pertinentia, quæ nos docent quid senserint Judæi, aliquot sæculis post Christum; sed parum faciunt ad illustrationem Veteris Testamenti. Allegorici Doctores quidquid volunt fingunt, Thalmudici subtilissimè ritus omnes persequuntur, atque ex cerebro suo supplent, si quid deesse videatur Legi scriptæ, nulla pœnè Grammaticæ aut Historiæ ratione habitâ; quod studiosi facilè intelligent, vel ex variis Thalmudicis Codicibus Latine editis, & adnotationibus à viris doctis auctis. Itaque hæc ad institutum nostrum nihil faciunt, nec necesse est rem copiosiùs demonstrare.

CAPUT V.

Consilia varia ad Studiorum rationem pertinentia.

1. QUÆ diximus hactenus, de ratione studiorum in Latinis, Græcis & Hebraïcis, pertinent ad Linguarum cognitionem comparandam, potiùs quàm ad certæ cujuspiam disciplinæ inquirenda dogmata. At si quis sibi Linguæ cognitione comparatâ, & rerum etiam, quæ apud Veteres habentur, neque enim unum sine altero fit, velit penitiùs se cuipiam Disciplinæ addicere; alius erit ordo observandus, vel dudum perlecti Scriptores denuò, immutato ordine antea indicato, perlegendi. Hac ratione fiet cùm ut res, tum etiam ut voces & phrases rei propriæ meliùs intelligantur, quod posterius hîc potissimùm respicimus.

2. Qui Poëtas quidem ætate maturiore aggrediuntur legere, eos oportet ab antiquissimis initium facere; quia sequentes ad eos passim alludunt, atque ex iis plurima desumunt.

Ex

Ex *Homero Hesiodus* fortè, ex utroque ſequentium ætatum Poëtæ plurima hauſere. In Hiſtoricis verò non eſt ratio habenda ætatis Scriptorum, ſed rerum quas ſcribere aggreſſi ſunt; recentiorum enim cognitio nititur anterioribus. *Joſephus*, qui multò poſt *Herodotum* vixit, prior eſt legendus, ſaltem in iis quæ habet Herodoteis antiquiora. Qui ſit inter Hiſtoricos ordo, non neceſſe eſt hîc dicamus, quia vel ex librorum inſpectione innoteſcere poteſt. Si Hiſtoriam Eccleſiaſticam, aut veteres Chriſtianos Scriptores legere quis ſeriò aggrediatur, cum etiam ab antiquioribus quibuſque incipere oportet.

3. Cùm cuipiam rei cognoſcendæ operam damus, ei, quantùm fieri poteſt, ſine interjectis moris, inſtandum eſt; donec eam animo notitiam, quam quærimus, conceperimus. Si enim ſæpiùs omiſſum argumentum in manus identidem reſumamus, turbatur multùm Memoria & rerum ordo. Nàm licet interdum ea legamus, quæ non ſunt inter ſe connexa, ut unum neceſſariò ab altero pendeant; attamen eſt ut plurimùm neſcio quæ connexio, quæ ad intelligendum non parum juvat. Præterea illa nimiùm interrupta lectio faſtidium parit, quo fit ut tandem præ tædio eos Scriptores deponamus; quos ſi continuò, & ſine interpellatione legiſſemus avidè evolviſſemus. Huc etiam accedit, quod cùm quiſque Scriptor ſuum habeat characterem, ſuámque eloquutionem, opus ſit tempore, & perpetuâ lectione ut ei adſueſiamus. Hoc enim fieri nequit ſubinde depoſito & in manus denuò ſumpto Scriptore quod experientia nos docuit, & omnes, quicumque idem tentabunt, docebit.

4. Itaque licèt fieri nequeat, ut quotide totidem horas ſtudio tribuamus; non eſt tamen committendum, quantùm in nobis eſt, præſertim illâ ætate, quâ ſtudiis unicè operam dare licet, ut ullum diem præterlabi ſine lectione ſinamus. Hîc Pictorum illud celebre monitum, in ſtudiis Literarum, non minùs quàm in Pictura addiſcenda, neceſſarium, animo infigendum, *Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit. Habitus*, ſeu facilitas aliquid faciendi, ut loquuntur Ethici, non contrahitur, niſi repetitis *actibus*, nec aliter, niſi intermiſſis, deletur.

5. Cavendum quoque eſt ne in aliud peccatum incidamus quod frequenter admittitur à viris etiam Literarum ſtudio addictiſſimis, ut uno eodémque die ſtudiis diverſis operam dent; quâ ratione ſtudendi, non parum turbatur Memoria, &, quod rerum à Memoria congeſtarum ſtructor dici poteſt, Judicium; præſertim ubi ea quæ legimus attentionem animi majorem poſtulant; nam à gravi ſtudio ad levius ſine periculo & incommodo digredi poſſumus, aut etiam relictâ lectione

one rei facilis ad aliam æquè facilem transire. At ubi conatu quodam ingenii quidpiam intelligere nitimur; non potest subitò ea animi affectio mutari, quin cerebro veluti vis inferatur, quâ perturbantur Memoria & Judicium, ac sanè tunc temporis minùs facilè quæ legimus adsequimur & concoquimus. Hinc fit ut qui ita student multùm laborent, sed parum proficiant, aut nescio quam eruditionem confusam adipiscantur, quam redolent eorum Scripta; ubi neque perspicuitas, neque ordo ullus animadvertitur. Apparet ex Scriptis viri longè doctissimi *Joannis Seldeni*, eum ita studia sua perturbasse, ut eodem tempore de rebus toto genere diversis cogitaret; digressiones enim captat adeò remotas & interdum tam longas, ut nisi ita studia instituisset, non potuisset tantam ordinis & rerum perturbationem ferre. Ac sanè dum ordinem & perspicuitatem negligit, non parum tædii Lectoribus creat; quæ vera ac utilia habet, longè plurima, minùs facilè intelliguntur; & sicubi in errorem delabitur, vix origo erroris deprehendi potest. Plurimi viri docti, qui lecto ejus de *Synedriis* Opere, crediderunt cum eo Synedrium Septuaginta-Virale fuisse perpetuum, à Mose ad extrema Judaïcæ Reip. tempora, facilè deprehendissent esse hoc merum Judaïcum figmentum, si vidissent argumenta *Seldeni* perspicuè & ordine expressa. Sed confusio, digressiones, testimonia aliena, & immensa illa eruditionis congesta farrago facilè fucum faciunt, & perspicaces etiam obruunt.

6. Quoniam autem, pro celebri Aphorismo *Hippocratis*, *ars longa, vita brevis est*, neque ingenia nostra omnibus studiorum generibus æquè apta sunt, neque per vitæ institutum, aut facultates, licet per omnia exspatiari; optimè sibi consulere videntur qui, his expensis, uni potissimùm Disciplinæ operam dant; neque alias delibant, nisi quantùm, ad ruditatem pudendam deponendam, satis est. Itaque postquam studiorum jacta sunt fundamenta, & jam cœperunt Studiosi iis cum voluptate incumbere, oportet eos in se descendere, & dispicere quam in rem potissimùm naturâ ferantur; tum si cætera, quæ ad vitam pertinent, patiantur, eam sibi excolendam sumere. Exempli causâ, quandoquidem de Critica hîc agimus; si quis sentiat se potissimùm Poëtarum lectione affici, & in eorum lectionem toto animi impetu ferri, rectè faciet, si modò vitæ institutum ferat, si hoc studium, præ cæteris omnibus, colat. Si quis etiam Scriptorem quempiam singulari affectu amet, operâ non abutetur, si nitatur eum ad unguem intelligere, longiúsque tempus in eo, quàm in aliis collocet. Multò enim magis proficimus, ubi propensione naturæ adjuvamur; quàm cùm aut eâ invi-

tâ, aut ſola vi rationis aliquid aggredimur; & præſtat aliquid eximiè tenere, cætera verò mediocriter, quàm omnia delibaſſe, nihil penitus noſſe. Ubi præſtare dicimus, hoc volumus, utilius id eſſe, cùm ei qui id tenet, tum aliis etiam, quibus prodeſſe poteſt.

7. Huc poſſumus referre monita *Senecæ*, de vitanda nimia lectione, Lib. I. Epiſt. 2. *Certis*, inquit, *ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt qui ubique eſt.* Similia habet, Lib. VI. Epiſt. 1. *Non refert quam multos, ſed quàm bonos habeas.* Homini verò acre judicium, quod ante omnia excolendum, in lectione vetuſti cujuſvis Scriptoris, adhibenti, is Scriptor bonus fit; quia ejus vitia & virtutes pervidet, has imitatur, illa fugit. Quo magis eum verſat, eo minùs ejus vitiis fallitur, eo magis virtutes complectitur, atque ad eas ſe componit. Sed adeundus *Seneca*.

8. In Omnibus Diſciplinis, & præſertim in Linguarum ſtudio, Memoria eſt ſimul Penus & Promus-Condus. Judicium verò, ut diximus, Structor, qui quæ Memoria deprompſit ordine collocat. At ne Memoria rerum copia obruatur, eſt ordine aliquo adjuvanda; atque excerpenda, quæ uſui poſtea eſſe queant, adeò ut inveniri facilè poſſint. Inutilis enim eſſet lectio, niſi quæ legimus poſſemus uſibus noſtris accommodare; ut inutilis eſſet magna ſupellectilium copia, ſi, quando uſus urgeret, ubi id eſſet quo indigeremus neſciremus. * *Vetus eſt proverbium paupertatem certiſſimam eſſe, cùm alicujus indigeas, uti eo non poſſe, quia ignoretur ubi abditum deliteſcat quod deſideratur.* Multi multa hanc in rem ſcripſerunt, & nos etiam experti ſumus, ſed nulla occurrit methodus commodior & facilior eâ, quam ab amico acceptam Gallicè † dudum edidimus. Non modò enim Latinæ, ſed etiam Græcæ Linguæ aptatam, ab aliquot annis, utiliſſimam eſſe comperimus; neque umquam in manus Collectanea noſtra Latina aut Græca ſumimus, quin optimo & doctiſſimo viro, qui eam methodum nos docuit, gratias habeamus.

9. Initio quidem ſtudiorum, ubi judicium nondum ſatis firmatum eſt, neque cognitio ſat magna, ut quæ ſint excerpenda probè nôrint Studioſi; vix alia excerpuntur, quàm quæ in breve tempus utilia futura ſint; quia, matureſcente judicio, contemnuntur quæ antea in pretio erant. Attamen utile eſt excerpta ejuſmodi habere, cùm ut artem ea diſpo-

* *Columella ex Cicerone*, Lib. XII. c. 11.
† *In Biblioth. Univerſ.* T. 2. pag. 315.

nendi discant Studiosi, tum ut memoriæ meliùs mandent quæ legunt. Cæterùm duo hac in re diligenter observanda; primùm est, ut ea tantùm exscribamus, quæ eximia sunt, vel propter rem ipsam vel propter elegantiam eloquutionis; non quæcumque occurrunt, quo labore nimiùm sufflaminaretur lectionis impetus. Non est putandum ea omnia esse exscribenda, quæ γνῶμαὶ, aut *sententiæ* vocantur. Ea dumtaxat sunt seligenda, quorum nobis in mentem non veniret, aut quæ æquè bene exprimere ipsi non possemus. Ita, licèt memorabilis sit fabula eo in loco *Virgilii*, ubi hæc verba habentur, nolim ea describi:

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Nihil enim est in re, aut in eloquutione, quod sit supra captum cujusvis.

10. Alterum, quod hîc observari velim, est ne nimis multa exscribantur verba, sed tantùm observatu dignissima, adnotato Scriptoris loco. Nimium enim tempus alioquin in exscribendo absumeretur. Non est etiam excerpendum quidquam, dum lectione distinemur; ita ut propterea abrumpatur lectio, ut calamus in manum sumatur; hoc enim tædiosam lectionem efficit. Notanda sunt tantùm loca postea exscribenda in schedula, ut absolutâ lectione id fiat; neque etiam initio, post primam libri lectionem, id tentandum, sed post secundam dumtaxat.

11. Hæc quidem minuta videbuntur, at sine hisce magna non constant, & neglecta maximam perturbationem Memoriæ & Judicii, temporísque, quod rerum omnium pretiosissimum est, jacturam creant. Summa alioquin ingenia, hisce neglectis, ingentia peccata admiserunt; quæ si vitassent, erudito orbi, adeóque humano generi multò utiliora fuissent. Ac sanè qui talia contemnunt, id non tam magnitudine ingenii faciunt, quàm inopiâ judicii, quâ fit ut quanti usûs sint ordo & methodus non satis intelligant.

12. Coronidis loco, addemus singularem Methodum studiorum, quâ ii demum uti poterunt, qui eò usque pervenerint ubi consiliis nostris non ampliùs opus habituros diximus. Ea usum esse *Claud. Salmasium*, ἀμιθοδείας alioqui singulare in scribendo exemplar, docet nos * *Joannes Baptista Lantinus.* "Quidquid superest de Veterum libris cæ"terísque monumentis, inquit, diviso in certa spatia omni "ævo, ætatum & temporum ordine pervolvebat; initio ab

* *In Proleg. ad libros de Homon. Hyles Iatrices.*

"antiquissimis ducto, ita ut omnes unius ætatis Scriptores "perlegeret, conferrétque; donec illius sæculi Linguam, "mores, ritus, artes & quidquid ex iis quæ restant monu- "mentis colligi potest in numerato, & sub uno adspectu po- "sita haberet. Inde ad consequentia tempora, ad usque "ultima, simili ratione, progredi solitus, & observare quod- "cumque novi in Linguis, artibus, cæteris prædictis succedens "ætas invexerat quidquid à prioribus posteriores Scriptores "accepissent; id assequutus est, nihil ut illum fugeret, quod "ad Historiam omnis generis spectare posset.

13. Hoc si posset fieri, sine perturbatione studiorum, in legendis tot variorum planè argumentorum libris, utilissimum sine dubio esset. Sed nec accuratè hoc potuisse fieri à *Salmasio* crediderim; & multùm aberat ut omnes disciplinas, de quibus libros Veterum fortè legerat, calleret. Jurisconsulti certè & Medici, in iis, quæ ad Jurisprudentiam & Medicinam pertinentia scripsit, plurima non sine ratione carpsêrunt. Attamen in uno genere Scriptorum & per aliquot sæcula, observari hoc institutum, non sine maximo fructu, posset. Exempli causâ, in Scriptorum Ecclesiasticorum lectione, vix ullus alius ordo commodior est, ut antea observavimus. Cæterùm quæcumque de eruditionis monstris nonnullis jactentur, quasi omnia poenè ingenio complexa sint Disciplinarum genera; & illi (quidni enim verum profitear?) & alii, quotquot Literarum studiis operam dederunt, experti sunt verissimum esse illud Poëtæ:

—NON OMNIA POSSUMUS OMNES.

Partis Primæ Artis Criticæ Finis.

ARTIS

ARTIS CRITICÆ

PARS II.

De Vocum & Loquutionum significatione.

SECTIO I.

Regulæ generales de Vocum & Loquutionum significatione.

CAPUT I.

De Divisione Vocum.

1. CUM verba sint dumtaxat signa notionum, eæque ab hominibus pro arbitrio instituta, ut docent Philosophi; sequitur ut ad totidem classes vocabula possint referri, quot sunt notionum genera. *Notiones* autem, ne ulla sit ambiguitas in hac voce, quâ sæpe nobis utendum erit, vocamus *quæcumque animo nostro obversantur, cùm de re quapiam cogitamus.* Itaque *Notio* hîc nobis non est ipsa intellectio, seu id quod agit aut patitur animus noster, cùm intelligit, sed id quod ei intelligenti obversatur. Notiones igitur nostræ, diu & attentè eas animo lustranti, visæ sunt ad septem classes posse referri; ita tamen ut in singulis classibus plures sint, eæque sibi invicem contrariæ; alioqui classium major esset numerus constituendus.

2. I. Sunt notiones *simplices* & *compositæ.* Simplices sunt eæ, in quibus ne mente quidem plura distinguere possumus; compositæ, quæ pluribus simplicibus constant. Simplices sunt notiones sensuum, doloris, voluptatis, motûs, aliæque in quibus partes nullas possumus secernere. Itaque *amaror*, exempli causâ, *albor*, *sonitus*, aliáque id genus sunt nomina notionum simplicium. Compositæ sunt notiones corporum omnium, in quibus varias partes animo intelligimus, & sensibus etiam ut plurimùm deprehendimus; notiones item virtutum & vitiorum, in quibus singulis varia possunt considerari, & seorsim expendi. Igitur *aurum*, *justitia*, *ebrietas* sunt nomina notionum compositarum.

3. II. Sunt notiones *Subſtantiarum* & *Modorum.* Subſtantias vocamus ea, quæcumque tandem ſint, in quibus ſunt qualitates rerum quas novimus; modos verò qualitates quæ ſubſtantiis inſunt, nec ſine iis eſſe poſſunt. Subſtantiæ ſunt copora & mentes, quibus inſunt innumeri modi; quales figuræ, & cogitationes variæ. Hæc autem ſua nomina habent, quorum ſignificationem quandoque quærunt Critici, & in quibus facilè erramus, niſi diligenter animum attendamus.

4. III. Sunt notiones *Relationum*, quæ relationes ſunt inter omnia pœnè quæ animo contemplamur. Sic cùm *Patrem* Philippum appello, cogito de *Filio* ejus Alexandro, & vice versâ. Itaque *amor filii*, aut *reverentia patris* ſunt nomina relationum, ſeu virtutum quæ ad alia referuntur. Innumera ſunt ejuſmodi, de quibus Sectione II. ſubtiliùs agemus, & quæ diligenter expendiſſe maximi eſt, in hac noſtra arte Critica, momenti.

5. IV. Sunt notiones rerum, quæ reverâ ſunt, aut ſaltem eſſe creduntur, quas *concretas* vocant Philoſophi; & rerum quæ nuſquam ſunt, niſi in intellectu noſtro, quas illi *abſtractas* appellant. Ὑφιστάμενος ἄνθρωπος, *homo qui reverâ eſt*, nomen eſt concretæ notionis; ἀνθρωπότης verò *humanitas*, &, ſi lubeat, ὑπόστασις ſunt abſtractarum notionum vocabula. Non leves ſunt de hiſce Philoſophorum, aliorúmque hallucinationes, ut ſuo loco oſtendemus.

6. V. Notiones, quæ pluribus communes ſunt, vocantur à Philoſophis *univerſales*, aut *particulares*; quæ verò uni rei conveniunt *ſingulares*. *Humanitas* nomen eſt notionis univerſalis, *civitas* nomen particularis, *Cicero* ſingularis. Hæc autem nomina quandoque non ſatis intelliguntur, atque inter ſe miſcentur; unde multi nati errores, quos ope Criticæ deprehendere licet.

7. VI. Nulla notio eſt, quæ non poſſit *clara*, aut *obſcura* dici. Obſcuræ, exempli causâ, ſunt notiones omnium ſubſtantiarum; claræ ſimplices omnes. Licèt autem perſpicuitas & obſcuritas, haud aliter ac dies & nox, diverſæ ſint, mirum eſt quàm frequenter clara obſcura ab hominibus cenſeantur, & vice versâ obſcura clara; quod diligenter demonſtrabimus.

8. VII. Sunt denique notiones quæ integram rei, quam contemplamur, naturam animo noſtro ſiſtunt, quas *adæquatas*, uno verbo, vocant Philoſophi. Aliæ verò partem duntaxat rei, quam animo verſamus, nobis objiciunt, dicuntúrque *inadæquatæ*. Maximi cùm ſit momenti imperfectam cognitionem à plena diſtinguere, non malè mereantur de Literarum Studioſis, qui doceant quæ nomina ſint notionum adæquatarum,

quatarum, quæ inadæquatarum, quod nos facere conabimur.

9. Hæc sunt genera notionum, ad quæ omnes referri possunt, & ex quorum numero voces omnes à nobis dividentur. Atque hoc, ad institutum nostrum quod attinet, satis superque est. Cùm oratio sit collectio signorum, eodem ordine collocatorum, quo notiones, quarum sunt signa, menti obversantur; nec possint aliud significare, quàm quod cogitat is qui loquitur, si modò usum sequitur loquendi magistrum; necesse fuit paucula de notionibus dicere, priusquàm ad earum signa deveniremus. Qua in re si utamur vocibus ignotis, sensu quem iis tribuimus, auribus Latinis, nobis id condonabunt facilè, ut spero, Lectores; qui meminerint hujusmodi notiones, quemadmodum à nobis considerantur, numquam fortasse animo ullius Scriptoris Romani obversatas, ac proinde novis rebus nova imponenda fuisse vocabula. Sic certè fecerunt olim Latini, cùm primùm Linguâ suâ philosophari cœperunt; quod cur nobis hodie non liceat, nova proferentibus, nulla ratio afferri potest.

10. Verùm antequàm veniamus ad singulas notionum classes, aut potiùs antequàm earum nomina singillatim expendamus; nonnulla monenda nobis sunt, quæ ad omnia ferè ex æquo pertinent, aut ad plura simul; quibus allatis, singulas classes excutiemus.

CAPUT II.

Regulæ generales de Interpretatione.

I.

Linguas sibi invicem non satis respondere.

1. IS censetur Scriptorem intelligere posse, qui callet Linguam, quâ Scriptor usus est. Eum autem accuratè loquentes *callere Linguam* dicimus, qui dum legit aut audit alium loquentem, habet animo obversantes easdem notiones, quæ à loquente, aut scribente vocibus quibus utitur subjectæ sunt. Alioqui si quod sit discrimen, inter notiones loquentis & audientis; adeò ut ex alterutra parte sint clariores aut obscuriores, ampliores aut arctiores, aut ulla denique alia in re dissideant, qui audit non potest censeri perfectè intelligere sermonem loquentis. Quod re ipsâ rarò contin-

git, cùm paucis conveniat in notionibus compositis; dum aliis alii pauciores aut plures notiones simplices unâ voce designant; aut dum clariores, aut obscuriores, aliqua ex parte, uni obversantur, quàm alteri. Cùm verò sæpè vix ac ne vix quidem rescire possimus, an aliis eædem planè objiciantur notiones ac nobis, nisi plurimis interrogationibus, & in multis ne hac quidem ratione, ut ostendemus, ubi agemus de notionibus simplicibus; sequitur nos sæpissimè scire non posse, an nos invicem intelligamus.

2. Sed cùm ad summam ἀκρίβειαν pervenire nequeamus, oportet nos contentos esse modicâ intelligentiâ. Itaque eum *callere Linguam* dicemus, qui eatenus eam intelligit, ut habeat similes notiones loquentium notionibus, adeò ut si is verbis suis incipiat loquentium sententiam exprimere, ipsi sint agnituri sensum suum in ejus verbis, postquàm suis exposuerint. Quantùm fieri potest, qui sermones aliorum probè intelligere cupiunt, debent se veluti eorum loco constituere, & eorum verba interpretari, quemadmodum ipsi ea interpretarentur, sine additione, detractione, aut denique mutatione ulla.

3. Ut hoc fieri queat, usu discenda est Lingua quam intelligere volumus. Versantibus, scilicet, cùm iis qui eâ utuntur, observandum diligenter quas potestates subjiciant vocabulis, quibus utuntur. At ubi Linguæ sunt obsoletæ, ut eæ de quibus in hoc Opusculo agimus, usûs loquentium vicem præstant Libri & Dictionaria, in quibus demortuarum Linguarum voces exprimuntur, aliis vocibus Linguæ nobis notæ. Post diuturnam & multiplicem lectionem, non multùm quidem indigemus Lexicis, at initio aliter Linguas addiscere non possumus.

4. Verùm ex sequentibus Regulis, liquebit in Lexicis multa desiderari, partim eorum qui ea scripsere culpâ, partim Linguarum penuriâ & dissimilitudine. Hanc in rem, ante omnia observandum *Linguas sibi invicem satis non respondere*; hoc est, plurima esse in Lingua quavis vocabula, quæ alterius nullius totidem verbis exprimi possunt, aut saltem non nisi periphrasi; quo fit ut in Lexicis similibus tantùm vertantur, aut aliqua ex parte duntaxat respondentibus. Neque hoc tantùm contingit singulis vocabulis, sed etiam multis loquutionibus. Atque hac in re sita sunt Linguarum *Idiomata*, quibus ab aliis differunt, & quorum exempla aliquot ex Græca & Latina Lingua proferemus.

5. In Græca Lingua, præsertim in Atticorum sermone, innumeræ sunt particulæ, quæ à Grammaticis παραπληρωματικαὶ *expletivæ* dicuntur; quas interdum nihil significare certum quidem est; sed quas ut plurimùm gratiam & vim

orationi,

orationi, quâ careret si abessent, addere omnibus constat, qui Attico sermoni aures adsuetas habent. Tales sunt particulæ ἀλλὰ, γὰρ, δὴ, οὖν, ἂν, αὖ, μὲν, δὲ, &c. quæ passim in Scriptorum Græcorum Latinis versionibus resecantur, quòd nullæ sint in Latina Lingua similes. At si in ipsis Græcis circumciderentur, constaret quidem fortè constructio & sententia; sed elegantia & perspicuitas, & vis orationis perirent, quod illico experietur quicumque simile quid tentabit. Libet hîc initium Apologiæ *Socratis* à *Platone* conscriptæ, describere, particulis istis inter uncinos clausis, & in Latina versione, ubi verbum verbo transtulimus, omissis.

I. Ὅ [μὲν] ὑμεῖς, [ὦ] ἄνδρες Ἀθηναῖοι πεπόνθατε ὑπὸ [τῶν] ἐμῶν κατηγόρων οὐκ οἶδα, ἐγὼ [γ' οὖν καὶ] αὐτὸς ὑπ' αὐτῶν ὀλίγου δεῖν ἐμαυτοῦ ἐπελαθόμην. οὕτω πιθανῶς ἔλεγον. καίτοι ἀληθές [γε,] ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδὲν εἰρήκασι.

Quid vos, viri Athenienses, passi fueritis à meis accusatoribus, non novi; ego ipse ab iis parum abest ut mei ipsius oblitus sim; adeò aptè ad persuadendum dicebant, & tamen verum nihil ferè dixerunt.

II. Μάλιστα [δὲ] αὐτῶν ἓν ἐθαύμασα τῶν πολλῶν ὧν ἐψεύσαντο τοῦτο ἐν ᾧ ἔλεγον ὡς χρῆν ὑμᾶς εὐλαβεῖσθαι, μὴ ὑπ' ἐμοῦ ἐξαπατηθῆτε, ὡς δεινοῦ ὄντος λέγειν.

Præcipuè eorum unum miratus sum, ex iis quæ multa mentiti sunt, hoc in quo dixerunt oportere vos vereri, ne à me falleremini, quippe dicendi perito.

III. Τὸ γὰρ μὴ αἰσχυνθῆναι ὅτι αὐτίκα ὑπ' ἐμοῦ ἐξελεγχθήσονται ἔργῳ, ἐπειδὰν μηδ' [ὁπωστιοῦν] φαίνωμαι δεινὸς λέγειν, τοῦτό μοι ἔδοξεν ἀναισχυντότατον εἶναι εἰ μὴ [ἄρα] δεινὸν καλοῦσιν αὐτοὶ λέγειν [τὸν] τ' ἀληθῆ λέγοντα. εἰ [μὲν] γὰρ τοῦτο λέγουσιν, ὁμολογοίην [ἂν] ἔγωγε, οὐ κατὰ τούτους, εἶναι ῥήτωρ.

Nam non erubescere quod statim à me redarguendi essent opere, quandoquidem non appaream peritus dicendi; hoc mihi visum est impudentissimum esse. Nisi peritum vocant dicendi vera dicentem. Nam si hoc dicunt, fatebor ego, non juxta hosce, me esse Rhetorem.

Apparet quidem, ex Latina versione, quid sibi velit Socrates; attamen gratia orationis perit, nec parum imminuitur vis, quæ Græcis inest. Non sentient fortè hoc quidem qui non sunt in Græcis satis exercitati, ut neque lautitias ciborum dignoscunt, qui lautè numquam vixerunt; opus, nimirum, est hîc consuetudine. Verùm sequentia satis animadvertent, si attendant. I. In prima periodo occurrit 1. vox πεπόνθατε, quæ Latinè satis exprimi nequit, ut *Ficinus* paraphrasi uti coactus fuerit: *Quâ vos ratione affecerunt accusatores mei nescio,*

nescio, &c. 2. Idem addidit *me certè* sic affecerunt *ut mei ipsius penè oblitus fuerim*, nec aliter potuit intelligi; quò autem res paucioribus verbis, iisque perspicuis, dici potest, eò vividiùs exprimitur, & contrà. 3. Ὡς ἔπος εἰπεῖν est ad verbum, *ut dicere*, hoc est, *ut dicam*, *verbum*, quod vertit *Ficinus*, *ut ita loquar*; verùm apud Latinos ea formula est quâ duriorem metaphoram, aut figuram audaciorem emollimus; hîc verò nihil simile occurrit, nec aliud vult Socrates, nisi rotundè se dicere nihil veri ab adversariis esse objectum. Aliquoties, in hac ipsa Apologia, hæc formula eodem sensu occurrit. Sic loquens de Poëtis: ὡς ἔπος γὰρ εἰπεῖν, ὀλίγου αὐτῶν ἅπαντες οἱ παρόντες ἂν βέλτιον ἔλεγον περὶ ὧν αὐτοὶ ἐπεποιήκεσαν: *ut dicam quod res est*, *ferè omnes præsentes meliùs quàm ipsi loquerentur de iis de quibus poëmata fecerunt*. Itaque loquutione Græcâ non tam novitas tropi aut figuræ emollitur, quàm τὸ παράδοξον affirmationis. Sic intelligenda venit, Heb. VII. 9. ubi præstaret vertere, *ut dicam quod sentio*, quàm *ut ita dicam*. II. In sequentibus verti δεινὸς λέγειν, *peritus dicendi*, sed major est Græcarum vocum ἔμφασις. Significant enim *eloquentissimum*. Mirari subiit *Henricum Stephanum*, qui in *Thesauro suo*, δεινὸς φαγεῖν vertit *peritum edendi*, quasi sit aliqua in ea re peritia. Non meliùs *Justus Vultejus*, qui Æliani varias Historias transtulit, Cap. I. Lib. I. vertit: δεινοὶ κατὰ κοιλίαν, *firmo & robusto ventre sunt Polypodes*; nam ne dicam voce κοιλία *stomachum* significari, non *ventrem*, hæc phrasis designat ventriculi in appetendis cibis vehementiam, & in iisdem concoquendis firmitatem. Apud *Xenophontem* Inst. Cyri, Lib. * V. occurrit δεινόν τι κάλλος καὶ μέγεθος; quod Latinè exprimi nequit, nam *Joann. Leunclavii* versio, quæ habet *admirandâ formâ & proceritate*, affinem quidem significationem adhibet, & quæ eodem recidit; sed non satis exprimit vim vocis δεινὸς, quæ numquam *admirandum* significavit. Est & alius locus apud eumdem *Xenophontem*, † ubi hæc vox occurrit juncta verbo ποιεῖν, nec parvum negotium Interpretibus facessit. Ait de Paphlagonibus, Græcos armatos saltantes spectantibus: ὁρῶντες δὲ οἱ Παφλαγόνες δεινὰ ἐποιοῦντο πάσας τὰς ὀρχήσεις ἐν ὅπλοις εἶναι. Vertit *Joann. Leunclavius*: *quæ omnia cùm Paphlagones adspicerent*, *mirificum quiddam esse ducebant saltationes hasce universas in armis fieri*. *Romulus* verò *Amasæus*: *Hîc Paphlagones commoti sunt*, *quòd neminem videbant nisi armatum saltare*. Neuter vim vocis assequutus videtur; quæ, si posset

* P, 123. Ed. Vechel.
† De Exped. Cyri Lib. VI. p. 371.

Latinè

Latinè exprimi, meliùs verteretur *ab usu communi abhorrens censebant*. Alioqui δεινὸν ποιεῖν significat *indignè ferre, queri*, ut docet *Hen. Stephanus*; sed ea significatio hîc locum habere nequit, ut apparet ex sequentibus.

6. I. Οὗτοι [μὲν] οὖν, ὥσπερ ἐγὼ λέγω, οὐδὲν ἀληθὲς εἰρήκασιν· ὑμεῖς δέ μου ἀκούσεσθε πᾶσαν [τὴν] ἀλήθειαν. οὐ μέντοι, μὰ Δία, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καλλιεπημένους [γε] λόγους (ὥσπερ οἱ τούτων) ῥήμασί τε καὶ ὀνόμασιν· οὐδὲ κεκοσμημένους, ἀλλ᾽ ἀκούσεσθε εἰκῇ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασι· πιστεύω γὰρ δίκαια εἶναι ἃ λέγω, καὶ μηδεὶς ὑμῶν προσδοκησάτω ἄλλως· οὐδὲ γὰρ [ἂν] δήπου πρέποι ὦ ἄνδρες, τῇδε [τῇ] ἡλικίᾳ, ὥσπερ μειρακίῳ πλάττοντι λόγους, εἰς ὑμᾶς εἰσιέναι.

Hi ergo quemadmodum ego dico, nihil verum dixerunt, vos verò à me audituri estis omnem veritatem. Neque verò, per Jovem, ô viri Athenienses, elegantes sermones (quemadmodum sunt illi horum) verbis & nominibus, neque ornatos; sed audietis temerè dicta, nominibus quæ occurrerint. Nam credo justa esse quæ dico, nec quisquam vestrûm exspectaverit aliter. Neque enim profectò, decuerit, ô viri, hancce ætatem, quemadmodum adolescentulum componentem sermones, ad vos ingredi.

II. Καὶ μέντοι [καὶ] πάνυ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτο ὑμῶν δέομαι καὶ παρίεμαι· ἐὰν διὰ τῶν αὐτῶν λόγων ἀκούητέ μου ἀπολογουμένου δι᾽ ὧνπερ εἴωθα λέγειν, καὶ ἐν ἀγορᾷ καὶ ἐπὶ τῶν τραπεζῶν (ἵνα ὑμῶν οἱ πολλοὶ ἀκηκόασι, καὶ ἄλλοθι) μήτε θαυμάζειν μήτε θορυβεῖν τούτου ἕνεκα. ἔχει γὰρ οὑτωσί.

Quinimò vehementer, ô viri Athenienses, hoc vos oro & obsecro, si iisdem sermonibus audiatis me defendentem, quibus solitus sum dicere & in foro, & ad mensas (ubi plurimi vestrûm audiverunt, & alibi) neque miremini, neque perturbemini propterea. Sic enim *se res* habet.

III. Νῦν ἐγὼ πρῶτον ἐπὶ δικαστήριον ἀναβέβηκα, ἔτη γεγονὼς πλείω ἑβδομήκοντα· ἀτεχνῶς οὖν ξένως ἔχω τῆς ἐνθάδε λέξεως· ὥσπερ οὖν [ἂν] εἰ τῷ ὄντι ξένος ἐτύγχανον ὤν, ξυνεγιγνώσκετε δήπου ἄν μοι, εἰ ἐν ἐκείνῃ τῇ φωνῇ τε καὶ τῷ τρόπῳ ἐν ὧπερ ἐτεθράμμην· δὴ καὶ νῦν τοῦτο ὑμῶν δέομαι (δίκαιον, ὥς γέ μοι δοκῶ) τὸν μὲν τρόπον τῆς λέξεως ἐᾶν. (ἴσως μὲν γάρ τι χείρων, ἴσως

Nunc ego primum in locum, in quo jus dicitur, ascendi, annos natus plures *quàm* septuaginta; planè ergo peregrina mihi est dicendi ratio *quæ* hîc *obtinet*. Itaque quemadmodum si reverâ peregrinus essem ignosceretis utique mihi, illâ voce & modo, quibus innutritus fuissem, *dicenti*: certè & nunc vos precor (justum, ut mihi quidem videtur)

ἴσως δὲ βελτίων ἂν εἴη) αὐτὸ δὲ τοῦτο σκοπεῖν καὶ τούτῳ τὸν νοῦν προσέχειν εἰ δίκαια λέγω, ἢ μή. δικαστοῦ μὲν γὰρ αὕτη ἀρετή· ῥήτορος δὲ τἀληθῆ λέγειν.

tur) loquendi quidem rationem prætermittere (fortè quidem aliqua in re deterior, fortè verò melior sit) hoc verò considerare, & ad hoc animum attendere, an justa dicam, necne. Hæc enim quidem est virtus Judicis: Oratoris verò dicere vera.

7. I. Quamvis οὖν vertamus *igitur*, quia nulla aptior particula occurrit, non significat, sequentibus verbis, collectionem ex superioribus contineri ; est dumtaxat transitionis quædam particula. Scio eam sæpe abundare, sed si superiora & sequentia attentè legamus, eam nequaquam vacare hoc in loco videbimus. Scio μὲν οὖν simul sumpta verti *atqui*, *certè*, & *Ficinum* hîc habere, *quippe cùm* ; nam conjungit hoc cum superioribus, & à sequentibus divellit. Sed redit Socrates ad id quod primâ periodo dixerat, & incipit confutare quod adversarii de ipsius eloquentia jactaverant.

8. Πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. *Ficinus* vertit *vera omnia*, hoc est, nihil nisi verum. Hoc verò vult Socrates, se nihil velle celare judices, sed rem totam absque dissimulatione expositurum. Itaque hæc loquutio non nisi periphrasi Latinè exprimi potest, cùm hîc, tum infrà, ubi iterùm occurrit. Gallicè dixeris: *je vous dirai toute la verité*, expressâ ipsâ loquutione ad verbum ; nec prætermisso articulo, qui planè necessarius hîc est. Nam πᾶσα ἀλήθεια est quidquid verum est, ad quodcumque negotium pertineat ; sed articulus additus ostendit agi tantùm de eo, quod in hac causa quærebatur, utrum Socrates impius esset in Deos, & corruptæ juventutis reus ? Sic Joan. XVI. 13. Christus de Spiritu Sancto ad Apostolos mittendo, ὁδηγήσει ὑμᾶς, inquit, εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, hoc est, *in omnem illam veritatem*, quæ ad me & doctrinam meam spectat. Malè verterunt qui habent Gallicè, *en toute verité* ; nam oportebat verti, *à toute la verité*, & subintelligi, *concernant moi & ma doctrine* ; eo enim tempore dimidiam tantùm partem veri noverant Apostoli, quod de Christo nôsse eorum intererat. Alii deteriùs : *il vous fera entrer dans toutes les veritez*.

9. Quoniam de articulo loquuti sumus, insigne exemplum varietatis Linguarum, hac ipsa in re, afferemus. Observamus ergo Linguam Latinam, quòd articulo careat, maximâ quandóque ambiguitate laborare ; minùs Græcam, quæ præpositivum articulum habet unum ; minimè omnium Gallicam,

licam, quæ est duobus instructa, ut & aliæ hodiernæ. Si Latinè, exempli causâ, dixeris *Deus*, tribus modis potest Gallicè verti: 1. *Dieu* sine articulo, quâ voce significatur unus verus Deus, qui omnia creavit: 2. *un Dieu*, hoc est, quidam Deus, ut si Ethnici Scriptoris vertamus verba *Dei monitu*, dicemus, *par l'avertissement d'un Dieu*, hoc est, cujusdam Dei: 3. *le Dieu*, quâ loquutione significamus certum Deum, de quo sermo est; ut si loquamur de quopiam, qui oraculum consuluerit, dicimus: *le Dieu lui répondit*, &c. hoc est, Deus ille quem interrogârat, Apollo, putà. Græci etiam dicunt ὁ θεὸς, sed nec caret ea loquutio ambiguitate, nec semper addunt articulum, ubi intelligi debet, ut ex hac ipsa Apologia liquet.

10. Ambiguitas illa linguæ Latinæ effecit ut *Tertullianus*, aliíque Patres eum sequuti, argumentum futile ex loquutionibus quibusdam Ethnicorum duxerint, quo tamen eos *naturaliter Christianos* esse se probare posse sperabant. *Vultis*, inquit, Apologetici Cap. XVII. *ex animæ ipsius testimonio comprobemus? quæ licèt carcere corporis pressa, licèt institutionibus pravis circumscripta, licèt libidinibus evigorata, licèt falsis Diis exancillata, cùm tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur*, Deum *nominat; hoc solo, quia propriè verus hic unus Deus, bonus & magnus. Et* quod Deus dederit *omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum*, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. *O testimonium animæ naturaliter Christianæ!* &c. Christiani quidem, voce *Deus*, nullum alium intelligebant, nisi unum; quemadmodum hodiéque, quando dicimus *Dieu*, sine articulo. At Ethnici Latinè loquentes, in formulis allatis, intelligebant *Deum, quisquis esset*, qui iis, de quibus loquebantur, præesse existimabatur. Nomen verò nullum addebant proprium, quia sæpe nesciebant quodnam Numen esset invocandum. Nos cùm iis formulis utimur, nihil subintelligimus, quia nobis est unus Deus; at Ethnici dicentes *quod Deus dederit*, hoc volebant, quod Deus ille, qui me tuetur, aut qui præest rebus quas ago, mihi dederit. Nomen non adebant, ne fortè Numini cuipiam beneficium imputarent, quod alii deberent; hujúsque adeò iram moverent.

11. Græci, ut dixi, articulo suo quandoque ambiguitatem tollunt, quam Interpretes Latini vitare nequeunt. Ita Socrates, in hac Apologia: τοῦτο μὲν ἴτω ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον, *hoc eat quomodo Deo placebit*. Intelliget Gallus, Linguæ Græcæ non satis peritus: *que cela aille* (hac in loquutione idiomata Græcæ & Gallicæ Linguæ ad amussim sibi respondent)

dent) *comme il plaira à Dieu.* At ὁ θεὸς hîc eſt ὁ Σωκράτυς δαίμων, *genius Socratis.* Itaque ſi poteſtas vocum ὁ θεὸς eſſet Latinè exprimenda, pluribus verbis utendum foret, qualia eſſent hæc, *Deus ille, qui me tutatur*; *Deus ille, qui mihi cuſtos additus*, &c. Notum eſt quid Socrates diceret de ſuo Dæmone. Iiſdem verbis eum deſcribentem, ſæpiùs in ſequentibus, inducit *Plato*, ut in hiſce: ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν: *vos, ô viri Athenienſes complector quidem & amo, parebo tamen Deo, potiùs quàm vobis.* Si id voluiſſet, quod dicimus, *Dieu*, ſine adjectione, dixiſſet τὸ θεῖον, hoc eſt, *numen*; ſi verò quod ſolemus dicere *un Dieu*, θεός τις *Deus aliquis*.

12. Verùm ad allata Socratis verba redeamus. Paulò poſt ſequitur κεκαλλιεπημένυς λόγυς, quod Latinè non ſatis expreſſeris, niſi dicas *orationes delectu elegantium dictionum conſtantes*, hoc eſt, niſi quatuor voces pro una adhibueris; quod ſeriem orationis ſæpe corrumpit, aut enervat. Καλλιεπεῖν autem eſſe delectu verborum uti, cum vocis Etymologia, tum ſequentium oppoſitio oſtendit; nam Socrates opponit κεκαλλιεπημένοις λόγοις εἰκῆ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχᾶσιν ὀνόμασι, *ſine ſtudio*, & quaſi *temerè dicta, nominibus quæ* prima *ſe* animo *objiciunt.*

13. Οἱ τέτων, Gallicè optimè vertas *ceux de ces gens-ci*, Latinè non dixeris *illi horum*, niſi barbarè. Repetendum *ſermones*, aut *orationes*, quod gratiam orationi moleſta ejuſdem vocis, aut ſimilis repetitione detrahit.

24. Πιςεύω γὰρ, vertit *Ficinus*, *confido enim*, quod frigidum. Vertendum *credo*, ut velit Socrates, ſe uti oratione ſine ornatu ullo; quòd ea non eſſet dicturus, quæ non crederet eſſe juſta, ut ipſius accuſatores; qui ideò pigmentis eloquentiæ utebantur, quia contra animi ſententiam loquebantur, & contra id quod æquum eſſe nôrant, ut fallerent judices. Sed hoc ad comparationem Linguarum nihil attinet.

15. Πλάττειν λόγυς eſt aut *formare orationem magno ſtudio*, aut eam *pigmentis oblinere*. Gallicè dicimus *des diſcours plâtres*, hoc eſt, fucatos.

16. Θορυβεῖν quod hîc legitur, & poſtea etiam, in hac Apologia, poteſt quidem aliquatenus exprimi verbo *perturbari*; ſed hoc gravius quiddam ſignificat, & quod intelligitur non eſſe ſine affectu, ſeu *perturbatione animi*; Græca verò vox, hîc & in ſequentibus, ſignificat tantùm neglectim & ſine ulla animi attentione audire. Scio eſſe qui vertant *obſtrepere*, ſed hoc ipſum eſt quod volumus, nempe, garritu aut ſtrepitu dicenti contemptum ſignificare.

17. III. Ξένως ἔχειν est *esse in aliqua re instar peregrini*, qui primùm aliquò advenit, & loci mores ignorat, nec potest proinde ad eos sese componere. Inversâ phrasi, non malè dixit *Ficinus: reverâ peregrinus sum in eo genere dicendi*; sed ἀτεχνῶς debuisset vertere *prorsus*, non *reverâ*, quod in sequentibus verbis repeti necesse est, ut vertatur τῷ ὄντι.

18. In sequentibus verbis, post voculam μοὶ subintelligendum λέγοντι *dicenti*, cujus vocis omissionem in oratione Latina nescio an ferrent eruditæ aures. Certè similem Ellipsin observare me non memini. Attamen Græcè legentium oculos aut animum non offendit, nec obscuritatem ullam orationi creat.

19. Ὥσπερ μοι δοκῶ. Latini dicunt *ut mihi quidem videtur*, aut mutatâ loquutione, *justa petere à vobis mihi videor*. Verùm ita loquuntur Græci, ut docebit *H. Stephanus* in *Thesauro*.

20. Τρόπον λέξεως ἐᾷν est *missam facere dicendi rationem*, ut solas res, quæ dicuntur, attendamus. τὸ ἐᾷν significat contemptum quemdam testari, quod non satis exprimi Latinè queat; cùm, nimirum, quidpiam patimur, non quòd id probemus, sed quia non tanti esse putamus, ut impediamus.

21. Ex hisce satis apparet utriusque Linguæ discrimen, prout ex lectione, examinéque non multorum versuum animadverti potuit; nec opus est, ut integras ῥήσεις præterea addamus. Loquutiones dumtaxat aliquot ex eadem Apologia colligemus, & cum Latinis potissimùm conferemus.

22. De veteribus calumniatoribus suis ita loquitur Socrates: ὓς ἐγὼ μᾶλλον φοβοῦμαι, ἢ τοὺς ἀμφὶ Ἄνυτον, καίπερ ὄντας καὶ τούτους δεινούς, quæ verba sic vertit *Ficinus: quos magis formido, quàm Anyti adstipulatores, quamquam & hi sunt in persuadendo potentes*. At primùm ambigua est loquutio, οἱ ἀμφὶ Ἄνυτον, potéstque æquè significare ipsum Anytum simpliciter, quàm qui unà cum illo consentiebant in accusando Socrate, ut nôrunt omnes, útque Lexica quævis docebunt. Præterea loquutio Græca sine dubio Anytum complectitur, quamvis & ejus amicos significare statuatur; cùm Latina, si propriè intelligatur, non Anytum ipsum, sed eos qui ei adsentiebantur designet. Denique vox δεινὸς ita intelligit Interpres, quasi subaudiendum esset λέγειν. Sed quidni *formidolosum* vertamus, cùm hoc sit una significationum vocis Græcæ, eáque optimè hanc in rem quadret? Vide & sequentia.

23. Eosdem paulò post describit Socrates ἐρήμην κατηγοροῦντας ἀπολογουμένου οὐδενός, ad verbum *desertam accusantes* (nempe δίκην *causam*) *nemine defendente*, hoc est, hominem accusantes,

ſantes, quem nemo defendebat: ut fit quando reus malè ſibi conſcius fugit, atque abſens, inſtante accuſatore, damnatur. Elegans eſt Helleniſmus *accuſare deſertam*, qui, licèt cum Analogia non conſentiat, perſpicuus eſt, & multa paucis exprimit. Neſcio an ex ulla alia Lingua ſimile idioma proferri queat.

24. Ab hiſce accuſatoribus tranſverſos actos ait poſtea ἀπορωτάτους εἶναι, quod verti non debuit * *infinitos eſſe*, ut fecit *Ficinus*. Ἀπορώτατοι ſunt hîc quos invenire, & cum quibus jure diſceptare nullo modo poterat Socrates; non propter multitudinem, ſed quia eos non nôrat, nec ob ſermones privatim habitos in jus vocare poterat: Οὐδὲ γὰρ, inquit, ἀναβιβάσασθαι οἷόν τε ἐστὶν αὐτῶν ἐνταυθοῖ, οὐδ᾽ ἐλέγξαι οὐδένα, ἀλλ᾽ ἀνάγκη ἀτεχνῶς ὥσπερ σκιαμαχεῖν ἀπολογούμενόν τε καὶ ἐλέγχειν μηδενὸς ἀποκρινομένου: *neque enim fieri poteſt ut huc trahantur, neque ut ullus coarguatur; ſed neceſſe plane eſt veluti contra umbram dimicare, dum me defendo, & alios coarguo, nemine reſpondente.* Quibus in verbis obſervatu digna eſt vox σκιαμαχεῖν, quam non ſatis rectè vertit *Ficinus*, *in tenebris pugnare*; quamvis qui, nocte ſubluſtri, contra umbram ſuam pugnat in tenebris pugnet. Σκιαμαχεῖν is propriè diceretur, qui umbram ſuam hoſtem eſſe ratus, eam confodere niteretur; quia verò qui certat cum umbra nullum adverſarium habet, ideò qui aggreditur alium, quem nec nominat, nec ſatis clarè deſignat, hîc σκιαμαχεῖν dicitur. Vix puto, in alia Lingua, ſimilem exſtare vocem.

25. In ſequentibus, Socrates capita accuſationis ſuæ recitaturus, τὴν ἀντωμοσίαν, inquit, δεῖ ἀναγνῶναι αὐτῶν: *recitetur accuſatio in qua de calumnia jurarunt.* Qui accuſabant, nimirum, jurabant ſe non calumniari, ut reus ſe innocentem eſſe jurabat; unde factum ut ea capita accuſationis, aut defenſionis, quæ jurati probare conabantur, dicerentur ἀντωμοσίαι. Scio *Pollucem* propriè ἀνθωμοσίαν velle eſſe rei, προωμοσίαν verò accuſatoris. Sed erroris eum arguit hic *Platonis* locus, rectiúſque *Harpocration*: Ἀντωμοσία, γράμματά τινα γράψαντες ἀποφέρουσι πρὸς τὴν ἀρχὴν, οἵ τε κατηγοροῦντες καὶ οἱ κατηγορούμενοι, περὶ ὧν ἂν ἡ δίκη. καλεῖται δὲ οὕτως ἐπειδὴ ἀντώμνυον οἱ διώκοντες καὶ οἱ φεύγοντες. οἱ μὲν ἀληθῆ κατηγορήσειν, οἱ δὲ ἀληθῆ ἀπολογήσεσθαι: *ſcripto quædam complexi ad Magiſtratum deferunt, accuſatores & accuſati, de quibus lis intenditur. Sic autem vocantur, quia juramenta contraria dederunt perſequentes & fugientes, illi ſe vera accuſaturos, hi ſe vera defenſuros.*

* Neſcio an legerit ἀπείρους, quòd ἀπόρους non intelligerent. Vide *H. Stephanum*, & *R. Conſtantinum* in Lexicis.

26. Negat

26. Negat Socrates sibi ullo jure tribui posse, quæ *Aristophanes* in Comœdia objecerat, & sic defensionem suam contra eas calumnias orditur: ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω: *quorum ego nihil, neque magnum, neque parvum, scio.* Habet *Ficinus*: *neque multum, neque parum quidquam scio.* Si voluisset Latinè dicere, debuisset vertere: *quæ ego prorsus ignoro.* Est enim idioma Atticismi, *neque magnum, neque parvum,* pro eo quod est nihil. Sic paulò post loquitur Socrates: φράζετε ἀλλήλοις εἰ πώποτε ἢ σμικρὸν ἢ μέγα ἤκουσέ τις ὑμῶν ἐμοῦ περὶ τῶν τοιούτων διαλεγομένου; *dicite invicem an umquam parvum, aut magnum audiverit quispiam vestrûm me de talibus disserentem*; hoc est, quidquam omnino simile dicentem. Hebræi parem habent loquutionem, & eodem planè sensu, ut liquet ex 1. Sam. XX. 2. ubi ita loquitur Jonathan: *non facit pater meus* דבר גדול או דבר קטן, *rem magnam aut rem parvam, quam non aperiat mihi*; hoc est, nihil prorsus molitur quod mecum non communicet. In sequentibus semel atque iterum occurrit hæc eadem loquutio, & alibi apud *Platonem.*

27. In hac Apologia, legitur alia loquutio, quâ idem quoque significatur, & quam Attici communem habent cum Hebræis. Socrates loquitur de Politico, hoc est, de homine, qui verba ad populum de Republica facere solebat, aítque se illo interrogato intellexisse, videri quidem illum sibi aliísque sapientem, sed non esse. Tum subdit: πρὸς ἐμαυτὸν δ' οὖν ἀπιὼν ἐλογιζόμην, ὅτι τούτου μὲν τοῦ ἀνθρώπου ἐγὼ σοφώτερός εἰμι. *abiens ergo mecum reputabam me illo homine sapientiorem esse.* Κινδυνεύει μὲν γὰρ ἡμῶν οὐδέτερος οὐδὲν καλὸν, οὐδ' ἀγαθὸν εἰδέναι: *uterque enim versatur in periculo nihil sciendi, neque bonum, neque malum.* Ἀλλ' οὗτος μὲν οἴεταί τι εἰδέναι οὐκ εἰδώς. ἐγὼ δ' ὥσπερ οὖν οὐκ οἶδα, οὐδὲ οἴομαι: *sed hic quidem putat se aliquid scire, cùm nesciat, ego verò ut nescio: ita nec puto me scire.* Pro καλὸν *bonum* scripsimus κακὸν *malum*, ut opponatur τῷ ἀγαθῷ *bono*, nam quamvis Græci passim dicant καλὸν καὶ ἀγαθὸν & καλοκἀγαθὸν, attamen ita non distinguunt καλὸν, & ἀγαθὸν ut ea, particulâ *neque* interpositâ, sibi invicem opponant. Sed cùm Librarii non intelligerent vim phraseos, *neque malum, neque bonum novit*, mutarunt κακὸν in καλὸν; ídque eò faciliùs factum est, quòd majusculæ K&Λ non multùm differant, si dextrum cornu τοῦ K deletum casu aliquo fuerit. *Bonum & malum nescire* loquutio est παροιμιώδης, quâ significatur summa ignorantia, qualis infantum & puerorum. Sic, apud *Homerum*, Odyss. Υ. 310. Telemachus significans se ampliùs non esse puerili imperitiâ præpeditum, ita loquitur:

——————οἶδα ἕκαστα
Ἐσθλά τε καὶ χέρεια, πάρος δ᾽ ἔτι νήπιος ἦα.

Scio singula, bona & mala, antehac fui puer. Ita loquebantur Hebræi, qua de re vide quæ notavimus ad Gen. III. 5.

28. Verùm ut ordine in expendenda Socratica Apologia pergamus, cùm negasset se cujusquam sceleris reum esse, ait fortè aliquem rogaturum, ἀλλ᾽, ὦ Σώκρατες, τὸ σὸν τί ἐστι πρᾶγμα, πόθεν αἱ διαβολαί σοι αὗται γεγόνασιν; quæ vertit *Ficinus*; *quodnam, ô Socrates, tuum est opus? & unde adversùs te exortæ sunt hæ calumniæ.* Vertere potiùs debuit: *quomodo se habet res tua?* quamquam ne hoc quidem satis exprimit vim Græcæ vocis. At optimè Gallicè dixeris: *Quelle est vôtre affaire?* Hoc est, qua de causa in jus vocaris? Expone mihi totum tuum hoc negotium. Πρᾶγμα & *affaire* planè sunt, hoc in loco, ubi sensu forensi intelliguntur, synonyma. Sequentia Socratis verba legantur.

29. Non procul ab iis verbis, quæ modò expendimus, Socrates, cùm dixisset se ob *sapientiæ humanæ* famam invidiosum factum fuisse, ait, τῷ ὄντι γὰρ κινδυνεύω ταύτην εἶναι σοφός: quæ loquutio frequens est apud Platonem, cùm in hac Apologia, tum alibi passim. Exemplum alterum jam attulimus §. 37. Hæc autem loquutio nullo modo Latinè exprimi potest. Habet *Ficinus*: *Nam hac reverâ sapiens esse videor*, qui sensus non est quidem alienus ab hoc loco, sed nullatenus vim verbi κινδυνεύω exprimit. Nôrunt omnes eam vocem deduci ἀπὸ τοῦ κινδύνου, *à periculo*, & significare plerumque *periclitari*; verùm hac Latinâ voce hîc uti non licet, quia *periclitari* Latinè loquentes non dicunt, nisi de re quæ infeliciter cadere potest, & cujus eventus non sine metu exspectatur; vox verò Græca adhibetur etiam, ubi nulla metuendi ratio est, ut in hoc loco, & alibi sæpè, apud *Platonem*. Proximè accesseris ad vim hujus vocis, si verba allata Gallicè ita interpreteris: *cur je cours risque d'être sage de cette maniere.* Nam *courir risque*, est quidem *periclitari*, sed dicitur etiam de rebus quarum eventus timeri non potest. At infrà κινδυνεύω de lite dicitur, quam judicio dirimi vereri poterant contendentes. Exemplum antea protulimus, cui alterum dumtaxat addemus, ex ultimis Socratis verbis in *Phædone*, non procul à fine, ubi postquàm dixisset se non posse affirmare, quasi compertum, fore ejusmodi felicitatem post mortem, qualem descripserat, ita porrò infit: ὅτι μὲν τοι ἢ ταῦτ᾽ ἐστὶν, ἢ ταῦτ᾽ ἄττα, περὶ τὰς ψυχὰς ἡμῶν, καὶ τὰς οἰκήσεις, ἐπείπερ ἀθάνατόν γε ἡ ψυχὴ φαίνεται οὖσα, τοῦτο καὶ πρέπειν ἐμοὶ δοκεῖ, ἄξιον κινδυνεῦσαι

νεῦσαι οἰομένῳ οὕτως ἔχειν. καλὸς γὰρ ὁ κίνδυνος: *esse tamen vel hæc, vel talia quædam circa animos nostros, eorúmque habitationes, quandoquidem animum immortalem esse liquet, id verò & decere mihi videtur, & dignum quod ita esse existimanti periculum subeatur, honestum est enim periculum.* Gallicè eleganter dixeris: *il faut hazarder cette créance, c'est courir une risque, qui n'a rien que d'honête.*

30. Socrates cùm dixisset Chærephonti Oraculum respondisse *Socrate neminem hominem esse sapientiorem,* narrat se quæsivisse *sapientiam,* σοφίαν, inter Politicos & Poëtas, nec eam invenisse. Satis liquet, ex omnibus sermonibus Socratis, σοφίαν in ejus verbis plerumque significare cognitionem officiorum, quæ ad mores pertinent, quam solam magni faciebat. Attamen paulò pòst, ubi narrat se ad præstantissimos artifices ivisse, ut etiam inter eos *sapientiam* quæreret, σοφίαν alio planè sensu intelligit; eáque voce *peritiam* artium significat, quam magnifico illo *sapientiæ* nomine numquam vocarint Latini. *Sciebant,* inquit, *quæ ipse nesciebam,* καί μου ταύτῃ σοφώτεροι ἦσαν, *& in hac parte me sapientiores erant. Sed, ô viri Athenienses, eodem mihi visi sunt vitio laborare periti artifices, quo & Poëtæ. Quia pulchrè artem suam exercebant, quisque putabat & in aliis maximis se sapientissimum esse,* ἕκαστος ἠξίου καὶ τ' ἄλλα τὰ μέγιστα σοφώτατος εἶναι. Atque *hoc eorum vitium illam sapientiam occultabat,* καὶ αὐτῶν αὕτη ἡ πλημμέλεια ἐκείνην τὴν σοφίαν ἀπέκρυπτεν. Oportuit ab interprete Latino servari vocem *sapientia* utrobique, quia ambiguitate vocis σοφία nititur tota hæc Socratis ratiocinatio; at cùm *sapientia* apprimè conveniret superioribus verbis, ubi de Politicis & Poëtis, vix potuit Latinè de artificibus dici. Si Gallicè voces hosce homines *sages,* &. eorum peritiam *sagesse,* quæ voces solent adhiberi à nobis, cùm *sapientes* aut *sapientiam* vernaculo sermone dicere volumus, ludibrium audientibus debebis. At Hebræi, quorum Lingua alioqui dives non est, possent voce suâ חכמה *hhochmah* rem feliciter exprimere. Vide quæ notavimus ad Exod. XXVIII. 2. Similiter cùm, in *Phædro, Plato Anacreontem* σοφὸν vocat, non est putandum eum judicasse Poëtæ Teïo sanctum illud *sapientis* cognomen, quo sensu *Socrati* tribuebatur, deberi. Intellexit tantùm elegantem Poëtam, & in eo poëseos genere, quod excoluit, eximium. Is sanè nobis illudat, qui Gallicè dicat *le sage Anacreon*; & qui ex *Platone* probari posse putet in sapientium numero habitum illum Poëtam; quod nescio an voluerit vir eruditus, qui editioni suæ Anacreontis *Platonis* verba præfixit. Certè vir elegantissimi ingenii, qui *Dialogos Mortuorum* Gallicè edidit, *Lucianeis* anteferendos, videtur

detur eâ voce deceptus fuisse. Quod carpendi studio non dico, qui hominis facundiam & acumen mirari soleo.

31. Ex hoc *Platonis* libello plura non addemus, quibus, si omnia sigillatim & subtiliter ad examen revocarentur, exemplísque illustrarentur, justum volumen conflari posset. Paucula dumtaxat alia, quæ fortè occurrerunt, subjiciemus, ex quibus omnibus id esse Linguarum discrimen liquebit, ut qui Translationibus & Lexicis nimiùm confidunt, ac putant, sine diuturna lectione, posse se mentem Scriptorum quos legunt adsequi, in manifesto errore versari intelligantur.

32. Nulla quoque Lingua exprimat vim ὑποκοριστικῶν, quibus blandè sese invicem compellabant Græci ὦ δαιμόνιε, ὦ θαυμάσιε, quæ in Atticorum Scriptorum Dialogis passim occurrunt. Quin & compellatio δαιμόνιε interdum iram significat, ut apparet ex Iliad. N. 819. ubi Ajax iratus Hectorem ita compellat. *Eustathius* quidem ad Iliad. B. vers. 190. ita habet: * τὸ δαιμόνιε μέση λέξις. διὸ καὶ τὸν βασιλέα δαιμόνιον καλῶ, καὶ τὸν δημότην ὁμοίως δαιμόνιον· ἐκεῖνον μὲν ὡς εὐδαίμονα, τοῦτον μὲν ὡς δυσδαίμονα. τῶν μέσων γὰρ ἐστι καὶ ὁ δαίμων καὶ ἡ τύχη: *Dæmonie, media vox. Ideò & Regem voco dæmonium, & plebeium similiter dæmonium; illum quidem ut felicem, hunc ut infelicem. Sunt enim media Dæmon & Fortuna.* Verum est hasce voces ἐπαμφοτερίζειν, ut postea loquitur, hoc est, nunc in bonam, nunc in sequiorem partem sumi, sed falsum est significari hisce vocibus aut *felicem*, aut *infelicem*, ut apparet vel ex locis *Homeri*, in quibus occurrit. Est tantùm vox blandientis, aut irascentis, quæ instar interjectionum, affectum loquentis significat, potiùs quàm quidquam certum & clarum.

33. Cicero de Oratore Lib. II. n. 17. negat vocem *ineptus* Græcè unâ voce exprimi posse. *Qui aut tempus quid postulet non videt, aut plura loquitur aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus esse dicitur. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Græcorum natio. Itaque quod vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt; ut enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent non reperies.* Idem etiam negat Græcos dicere posse, quod quandoque Latini voce *vultûs* intelligunt, de Legg. Lib. I. c. 9. *Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur; & is qui appellatur* vultus, *qui nullo in animante esse præter hominem, potest; cujus vim Græci nôrunt, nomen omnino non habent.* Intelligit,

* Ed. Rom. pag. 200.

nempe

nempe, non πρόσωπον, seu *faciem*, sed id quod Gallicè dicimus *l'air* & *la physionomie.* Sed si liberet colligere nomina virtutum & vitiorum, quæ Latinè efferri nequeunt, longus eorum texeretur Catalogus.

Interdum Interpretes vocem cujuspiam Linguæ aut phrasin exprimunt aliâ, quæ non idem quidem sonat, sed solet usurpari eadem occasione, quod probè observandum. Ita quod Græci χαίρειν, & χαῖρε dicunt, Latini *salutem* & *salve*, vertunt, non quòd ea sit Græcarum vocum ἔμφασις; sed quia ut Græci, initio literarum adscribunt χαίρειν. Latini apponunt, *salutem*, & quando Græci χαῖρε, dicunt *salve*, quod in Linguis hodiernis *bona dies* dicitur. Atque hoc cùm facitent necessariò Interpretes omnes, ut possint intelligi; non attendentibus passim fucum facit, nec potest hoc caveri, nisi ab iis, qui sine interprete Linguam intelligunt.

35. Nescio an in Lingua ulla hodierna unicâ voce verti queant adjectiva Latina, *gratus* & *jucundus.* Posterius significat quod gaudium aut voluptatem creat, prius quod præstat habere quàm eo carere, licèt interdum tristissimum sit. Ita *Cicero* dicit de tristi nuntio * quod ab *Attico* acceperat: *ista veritas, etiamsi jucunda non est, mihi tamen grata est.* Idem post mortem *Tulliæ* ad *Lucceium* † scribens: *amor tuus*, inquit, *gratus & optatus*; *dicerem jucundum, nisi hoc verbum ad tempus perdidissem.* An in alia Lingua totidem verbis quis possit exprimere hanc exclamationem, *Proh Deûm, atque hominum fidem?* Imò ægrè ullus dixerit quid sibi velit *fides*, hoc in loco, licèt pluribus utatur verbis.

36. Similia passim observabunt Linguarum peritiores, semel moniti. Quæ cùm occurrunt in locis Veterum, de quibus eruditis nulla controversia est, facilè agnoscuntur; sed ubi lis de loco orta est, tum verò unusquisque, omnibus Criticis Regulis abjectis, affectibus litare incipit.

37. Usque adeò nota est dissimilitudo Linguarum etiam affinium, ut in dubium revocari nequeat; nec exemplis opus fuisset, nisi consultum judicâssemus rem oculis rudiorum Lectorum subjicere. Sed observationem addemus maximi hoc in negotio momenti, quæ à paucis fortè ad animum, ut debuit, revocata est. Cùm Linguam Latinam discere soleamus, ope Lexicorum & Magistrorum, qui ejus voces vernaculæ Linguæ vocibus exprimunt; cúmque Latinè scribendi consuetudinem primùm contrahamus, vertendo vernacula in Lin-

* *Lib. III. Ep.* 24.
† *Ad Fam. Lib. V. Ep.* 15.

guam Latinam; plerique non aliter intelligunt Linguam Latinam nisi prout eam comparare queunt cum Linguarum vernacularum vocibus, quas perpetuò cum Latinis animo conjungunt. Hinc fit, ut quando Latinè conantur loqui, aut scribere, non modò priùs cogitent quid sint dicturi; sed tacito etiam sermone vernaculo, apud animum suum, exprimant. Exempli causâ, finge hominem Gallum, non satis exercitatum, Latinè scribere aggredientem. Quidquid volet scribere id primùm tacitè, apud se, Gallicè exprimet, deinde quæret quibus vocibus Latinis Gallica possit transferre; quo fit, ut propter dissimilitudinem Linguarum, & Gallicismos pro Latinismis adhibeat; & vocibus barbaris Romanarum loco utatur. Non potest enim fieri, ut animo simul duarum Linguarum idiomata, sine confusione, obversentur; animúsque multiplicibus loquutionibus perturbatus in stylum variarum Linguarum, si non vocabula, at loquutiones imprudens transfundit. Sunt quidem, qui ea in re minùs peccent quàm alii, sed perpauci sunt ejusmodi peccatorum prorsus immunes.

At ut purè Latinè, vel aliâ quavis Linguâ aut peregrinâ, aut exsoletâ, scribere possimus, oportet ut statim ac rerum notiones animo nostro obversantur, ejus Linguæ quâ volumus scribere, & voces & loquutiones nobis accurrant. Latinè scribentes oportet nos, ut ita loquar, Latinè cogitare, ut sine ullius alîus Linguæ idiomatibus solius Latinæ Linguæ vim atque ingenium scribendo exprimamus. Hoc autem fieri nequit, nisi ab iis qui longâ ac studiosâ lectione, & scribendi exercitatione sunt planè Linguæ Latinæ adsueti; ita ut, cûm scribunt, de nulla alia Lingua cogitent quàm de Latina, perinde ac si solam eam Linguam à natalibus didicissent. Hoc cùm fieri potest, stylus merè Latinus est, nec ullâ fæce vernacularum Linguarum corruptus.

39. Similia possumus Græcæ Linguæ, quam, non nisi ope Latinæ addiscimus, aptare. Sed quia non tam de scribendo, quàm de intelligendo hîc laboramus, omissâ scriptione ad intellectionem solam nos convertemus. Existimamus igitur eum demum Latinè scire, qui Scriptorem Latinum legens, non opus habet, singulas voces & phrases in notiorem Linguam transferre, & animi sui notiones Latinis vocabulis & loquutionibus proximè, sine alîus ullius Linguæ interventu, subjicit. Idem affirmandum de eo, qui Græca aut Hebraïca legit, quæ probè intelligere censeri non potest, nisi earum Linguarum voces in ejus animum revocent, non verba aliarum Linguarum primùm, sed notiones ipsas Græcæ atque Hebraïcæ Linguæ vocibus subjectas; quemadmodum

in

in Græcorum ac Hebræorum, nullius alius Linguæ peritorum, animos revocabant.

40. Nisi hoc fieri queat, non est satis sincera eorum quæ leguntur intelligentia, cùm nullæ planè Linguæ ita sibi invicem respondeant, ut iis semper suppetant vocabula quæ easdem prorsus potestates subjectas habeant, ita ut nihil mutetur, nihil addatur, nihil detrahatur ; sicut exemplis antea allatis satis apparet, útque omnes qui rem expendent intelligent. Itaque si velimus Veteres probè intelligere ; oportet, ut aut longâ, & sedulâ lectione, ita eorum Linguis adsuefiamus, ut ipsi ab infantia iis erant adsuefacti. Dum multùm indigemus Dictionariis, aut Translationibus, certissimum est indicium, ex quo constare nobis potest, non modò nondum Linguas illas nobis plenè esse notas ; sed etiam nos de earum idiomatibus non temere judicare oportere, præsertim in rebus obscurioribus. Quæ enim nonnisi Dictionarii ope adsequimur, quamvis accurratum esse statuatur, quod raró contingit, eorum non exigua pars quandoque nos fugit. Rerum quidem faciem videmus, at nequaquam in clara luce, verùm peregrinæ Linguæ, si ita loqui fas est, umbrâ obscuratam. Corpus spectamus, interdum quidem formosum, sed carbaso tectum, quæ tenuis licèt, varia tamen tegit & conspectui nostro intercipit. Imò verò sæpe contingit interpretationem non esse instar umbræ, aut tenuis carbasi, sed instar densissimi veli aut larvæ, quæ figuram tantùm, eámque parum similem rei nos videre patitur. Igitur quisquis volet non temerè de Veterum sensis judicare, oportebit ut eò usque progrediatur, ut ea, sine perigrinarum Linguarum involucris, possit nuda introspicere.

41. Viri non indocti, sed qui nondum eò peritiæ pervenerunt, ut ne Linguas inter se taciti dum legunt comparent, facilè in errorem delabuntur ; à quo vix etiam possunt revocari, si ita fortè interpretentur Veteres, ut sensum non ineptum eis tribuant, etsi non esse verum eorum sententiam certis argumentis, ex ingenio ipsius Linguæ petitis, alii demonstrare queant ; quod frequentissimè in Interpretibus deprehendent, quicumque non perfunctoriè hæc studia colent. Exemplum potuit esse *Ficinus*, in versione *Platonis*, ut antea ostendimus. Sed ut rem imperitis Græcæ Linguæ probemus, proferemus & expendemus ex *Adelphis Terentii* Actûs V. Scenam IV. cum duplici versione Gallica, altera viri, altera matronæ, utraque elegante, & quæ Gallis lectoribus meritò placeat ; sed ex quibus Terentianas veneres nemo satis adsequatur, si nullo alio utatur adminiculo.

42. Ita ergo *Terentianus Demea*, suum & fratris Micionis vivendi institutum describit :

Numquam ita quisquam bene subductâ ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus, semper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat ; ut illa quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Ita vertit *Sanctalbinus : Jamais personne n'a si bien disposé toutes choses, pour le reglement de sa vie, que les rencontres differentes, l'âge & l'experience ne lui apprennent quelque chose de nouveau, & ne lui donnent quelque vuë nouvelle, qui lui fait reconnoître qu'il ne savoit pas en effet ce qu'il pensoit le mieux savoir, & le porte à rejetter dans la pratique, ce qu'il s'imaginoit lui devoir être le plus avantageux.* Ita verò *Anna Fabra : Jamais personne n'a si bien réglé & supputé tout ce qui regarde la conduite de sa vie, que les affaires, l'âge, l'experience ne lui aient encore appris quelque chose de nouveau, & ne lui aient fait connoître, qu'il ne savoit rien de ce qu'il croioit le mieux savoir ; de maniére que dans la pratique, on se voit souvent obligé de rejetter le parti qu'on avoit regardé d'abord comme le plus avantageux.*

43. Nihil dicam de multitudine verborum quæ à Gallicè scribentibus, & omnia exprimere studentibus vitari non potuit ; quâ tamen tota oratio languidior fit. I. Observabo utrumque sensisse quid sit *subducere rationem ad vitam*, unde factum ut vocibus *réglé* & *réglement* usi sit, quia Galli dicunt *régler un compte* ; sed metaphoræ rationem neuter exprimere satis potuit, quia Gallicè scribentibus vix poterat servari. Hîc qui certum vitæ iter ingrediuntur, quod constanter teneant, tacitè conferuntur * cum homine qui opus, quale esset ædificium, aggredi cupit, & priùs sumptuum *rationem subducit*, ut sciat num iis ferendis sit. Quemadmodum enim ejusmodi hominem plerumque res ipsa monet majores sumptus faciendos esse, quàm existimaverat ; ita etiam certum vitæ institutum amplexo sæpe multa improvisa accidunt, quæ id molestiis, de quibus non cogitaverat, quibúsque adeò ferendis paratus non erat, obnoxium esse ostendunt.

44. II. Verba *quæ tibi putaris prima*, ad sensum quod attinet, uterque non male expressit, sed neuter animadvertisse videtur, quantùm quidem ex ejus versione licet conjicere, verbum *putare* hîc esse ab eadem translatione petitum, nempe,

* *Vide hinc petitam Parabolam Lucæ* C. XIV. 28.

à nume-

à numerando. Nimirum, *putare*, quemadmodum Græcum λογίζειν, significat & *existimare*, & *numerare*. Itaque Gallicè vertendum fuerat, *le porte à rejetter dans la pratique ce sur quoi il avoit d'abord fait son compte.* Sic apud *Plautum*, in Aulularia, Act. III. S. 5. vers. 53. *putatur ratio cum argentario*, hoc est, initur. Vide etiam Mostellariæ Act. I. S. 3. vers. 141. & *Nonium Marcellum*. Hinc *computare*, *disputare*, & *supputare*, numerandi sensu.

45. Postea dicit Demea se re ipsâ reperisse,

Facilitate nihil esse homini melius, neque clementiâ.

Vertit *Sanctalbinus*: *qu'il n'y a rien de plus utile à l'homme, que l'accommodement & la douceur.* Meliùs *Fabra*: *que d'avoir de la complaisance & de la douceur*; nam nescio an umquam Gallicum fuerit *accommodement*, eo sensu. Attamen non est vox Gallica *complaisance*, hoc est, *obsequium*, sat commoda ad exprimendam *facilitatem* morum, quæ est potiùs Gallicè *une humeur commode & civile.* Sat exemplorum suppeditabit *Rob. Stephanus*, in Thesauro, si quis iis indigeat.

46. III. Paulò post Demea, de fratre Micione: *omnes bene dicunt, amant*, quod transtulit *Sanctalbinus*: *tout le monde le benit.* Meliùs *Fabra*: *chacun en dit du bien, chacun l'aime*; nam *bene dicere*, apud Scriptores Ethnicos, non est quod Gallicè dicimus *benir*, hoc est, fausta adprecari, sed laudare, *dire du bien.* Quod non opus est probemus. Scio in Ecclesiastico stylo id significare quod *Sanctalbinus* voluit, sed *Terentius* non est Scriptor Ecclesiasticus. Præterea usus Gallorum, Latinè non satis purè loquentium, eum fefellit.

47. IV. In sequentibus duobus versibus bis peccatum, eadem de causa, quòd Gallica verba, quæ ex Latinis orta sunt, & vulgò iis respondere putantur, animo sese illico ingesserint Latina legentibus.

Ego ille agrestis, sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem, Quam ibi miseriam vidi?

Vertit *Sanctalbinus*: *J'ai vécu comme un homme sauvage.* Rectè. *Fabra* malè, *bon campagnard*, quod Latinè dicas *rusticanum*, non *agrestem*, hoc est, ἄγριον. At pergit infeliciter *Sanctalbinus*, *criant & tempêtant toûjours*, quibus vertit vocem *sævus*; feliciùs Fabra *rude*, hoc est, χαλεπὸς, ut Latina vox in *Veteribus Glossis* vertitur. At uterque *tristis* malè vertunt *triste*, cùm debuissent *chagrin*; nam *tristis* hic in malam partem sumitur, éstque homo inquinatus vitio, quod *tristitia* dicitur, hoc est, *humeur chagrine*, non *tristesse*; quod ex *Cicerone*, & *Tacito* facilè probare possemus, si necesse esset.

Truculentum

Truculentum Sanctalbinus malè expressit voce *colere*, hoc est, iracundus; cùm significet vultum asperum, *rebarbatif*, ut non malè *Fabra*. Ambo *miseriam* putarunt esse *misere*, cùm significet laborem & molestiam, ut ex sequentibus liquet, ubi Demea:

———*miseriam ego omnem capio, ille potitur gaudia.*

Hoc est, ut rectè *Fabra*: *toute la peine est pour moi, tout le plaisir est pour lui*; nisi quòd *miseria* nòn laborem tantùm sonat, sed molestum laborem. *Sanctalbinus*, nec satis Gallicè, nec ad Terentii mentem: *Toute la misere est pour moi.*

48. Hinc satis liquet nos facillimè falli, dum Veteres in legimus, ut eos non ex usu ipso Linguæ, quâ usi sunt, sed ex collatione nostrarum, usúque scribendi, & interpretandi hodierno intelligimus. Ille demum, ut diximus, plenam ac perfectam cognitionem Linguæ adsequutus est, qui cum libros eâ scriptos legit, non magis cogitat de verbis quibus eos interpretari nunc solemus, quàm si nondum hæ nostræ Linguæ essent natæ. Sic si dubia sit significatio vocis Gallicæ, exempli gratiâ, Gallus de ea interrogatus non quærit quî Latinè exprimi possit; sed memoriam dumtaxat suam, & Linguæ hodiernum usum consulit. Atque hæc de dissimilitudine Linguarum satis, supérque.

CAPUT III.

II. *Voces variarum Linguarum, quæ planè ἰσοδύναμοι videntur, non prorsus sibi invicem respondere.*

1. VOCES sunt plurimæ, quæ quia constanter solent adhiberi, ad aliarum quarumdam potestatem exprimendam, & reverâ aliqua ex parte iis respondent, putantur temerè esse prorsus *ἰσοδύναμοι*, cùm magnum sit discrimen inter notiones, quæ iis significantur. Hoc autem minùs animadvertitur, cùm propter usum constantem, tum quia in Lingua, quâ utimur, nulla vox suppetit, quâ solâ accuratè vim alterius exprimamus.

2. In hodiernis Linguis, ut insigni exemplo rem demonstremus, priscas voces אלהים *Elohim*, Θεὸς, *Deus* unicâ voce non possumus exprimere, licèt vulgò adhibeantur voces *God*, aut *Godt*, *Dieu*, *Dio*, *Dios*. Voces enim hodiernæ significant, apud Gentes quæ iis utuntur, Naturam illam æternam à qua omnia

omnia creata sunt; quo fit ut unicum esse Deum dicamus, nec possimus eos ferre qui plures esse aiunt. Hinc quoque miramur Ethnicos tot vitia Diis suis tribuisse, & innumera de iis dictitâsse planè ἀσύστατα cum notione illius Naturæ.

3. At Veteres suis vocabulis easdem notiones non subjecerant, quas nos nostris conjunximus. Græci & Romani Numen sine initio nullum noverant, neque de perfectissima ejus natura cogitabant; & ne Hebræi quidem voce *Elohim* Deum, quatenus est ejusmodi Natura, designabant, licèt θεοπρεπεστέρως philosopharentur, ut exemplis ostendemus.

4. Philosophi quidem apud Ethnicos, præsertim Platonici, aliam Dei notionem fovebant, quàm vulgus; nec de summo Deo interdum multò aliter quàm Christiani loquebantur, sed usus Linguæ à Philosophis non pendebat. Poëtæ, qui antiquissimas Græcorum opiniones complectuntur, aiunt omnes suos Deos, quos αἰὲν ἐόντας *semper futuros* vocant, cœlo & terrâ esse prognatos; cœlum verò ac terram posteriora Chao faciunt, eorúmque initia narrant, ut videre est ex initio *Theogoniæ Hesiodeæ, Metamorphoseos Ovidianæ* & *Apollodori* Lib. I. Apud Romanos, postquàm Epicurea Philosophia Proceribus placuerat, interdum negabant Deos homines fuisse; sed tunc non loquebantur ex opinione vulgi & Religione Majorum, sed ex Philosophicis dogmatibus. Ita Epicureus *Velleius* apud † *Ciceronem, an Amphiaraus*, inquit, *& Trophonius Deus erit? Nostri quidem publicani, cùm essent agri in Bœotia Deorum immortalium excepti, lege Censoriâ, negabant immortales esse ullos, qui aliquando homines fuissent.* Ipse Cicero, frequente * Senatu, acerrimè invectus est in honores divinos, quos Antonius detulerat Julio Cæsari: *An me censetis*, ait, *quod vos inviti sequuti estis, decreturum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur, &c. ut decernerentur supplicationes mortuo?* &c. Attamen Romulus homo fuerat, uno & reliqui omnes Dii, ut fatebantur ipsi Initiorum Epoptæ.

5. Græci Θεῖον, seu Θεὸν vocabant præstantiorem Naturam humanâ, in qua præstantiore Natura varios gradus esse putabant excellentiæ; neque enim Δαίμονας, seu semideos æquabant Cœlestibus Numinibus, ut notum est. Hinc *divinum* antiquissimi Poëtæ vocant quidquid est eximium, in suo genere. Ita *Eustathius* ‡ observat πᾶν περισσὸν καὶ ὑπερφυὲς θεῖον λέγεσθαι παρὰ τοῖς ποιηταῖς, *quidquid mirabile est & eximium divinum dici, apud Poëtas*; quod passim, apud Home-

† *De Nat. Deor.* Lib. III. c. 19.
* Philip. I.
‡ *In Iliad. p.* 635. l. 14.

rum,

rum, observare est. Non necesse est Romanis immorari, quia Religionem suam Græcis debebant. Hi, ut obiter dicam, non modò *divinos* vocant eximios viros, sed etiam *Deos.* Cicero Lib. II. de Oratore, c. 42. *Qui ordo tibi placet*, inquit Catulus, *& quæ dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper Deus videri soles? Vide quàm sim in isto genere*, inquit, *Catule, Deus*, &c.

6. Hinc obiter colligere est plurimos ex veteribus Christianis, qui contra Ethnicos scripsere, non satis prudenter egisse, cùm definitâ voce *Deus*, haud multò aliter quàm eam definimus, collegerunt Ethnicorum Numina *Deos* non esse, nam ex usu Græcæ & Latinæ Linguæ poterant dici *Dii*, licèt alio sensu quàm ea vox apud Christianos sumitur. Quidam præstantes viri potuerant post mortem, uti putabant Ethnici, inter Naturas humanâ præstantiores versari, & iis similes fieri; quod non multum abest à Christianorum placitis, circa statum piorum animorum post mortem. Hinc *Sextus Empiricus*, contra Mathematicos, *pag.* 60. Grammaticis & Idiotis (inter quos *Laërtius*,) non immeritò prorsus indignatur, qui existimârunt Empedoclem κατ' ἀλαζονείαν, καὶ τὴν πρὸς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὑπεροψίαν, *præ jactantia & reliquorum hominum contemptu*, dixisse de se:

Χαίρετ'· ἐγὼ δ' ὑμῖν Θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς Πωλεῦμαι, &c. *Valete, ego vobis Deus immortalis, non ampliùs mortalis, versor*; quasi negasset esse se ejusdem naturæ, ac cæteri homines sunt, quod vix in tantum Philosophum cadit; cùm propter similitudinem, quæ ei erat cum Diis præ cæteris, Deum se vocaret, ἐπεὶ μόνος καθαρὸν ἀπὸ κακίας τηρήσας τὸν νοῦν καὶ ἀνεπιθόλωτον, *quod solus mentem à vitio puram & imperturbatam conservasset*: Pythagorei versus, qui aurei dicuntur, clauduntur simili loquutione: *ubi, deposito corpore, in æthera liberum veneris*,

Ἔσσεαι ἀθάνατος Θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός,

Eris immortalis Deus, non ampliùs mortalis;

Hoc est, ideò Creatori, ut exponit *Hierocles*, similis fies. *Epictetus* Enchiridii Cap. XXI. eum, qui nihil adpetat, ait futurum ἄξιον τῶν Θεῶν συμπότην, *dignum Deorum convivam*, sed eum, qui externa omnia despiciat, οὐ μόνον συμπότην τῶν Θεῶν, ἀλλὰ καὶ συνάρχοντα, *futurum imperii eorum participem.* Subdit: οὕτω γὰρ ποιῶν Διογένης καὶ Ἡράκλειτος καὶ οἱ ὅμοιοι ἀξίως θεῖοί τε ἦσαν καὶ ἐλέγοντο. *Sic faciens Diogenes & Heraclitus, & similes meritò divini erant & dicebantur.* Legendum Θεοὶ

dii,

dii, nam ſupra eos, qui accumbunt Deorum conviviis, non ſunt θεῖοι *divini homines*, ſed Dii ſoli. Vide *Hieroclem*, ad duos primos aureos verſus. Sic & Arceſilas Polemonem & Cratetem dicebat eſſe Θεούς τινας, ἢ λείψανα τοῦ χρυσοῦ γένους *Deos quoſpiam, aut aurei ſæculi reliquias*, ut auctor eſt *Laërtius*, Lib. IV. §. 12. Indidem exponendus Petrus 2. Ep. I. 4. ubi virtute nos dicit κοινωνοὺς γενέσθαι θείας φύσεως, *divinæ naturæ participes fieri*.

7. Apud Phœnicâas, quorum propria fuit Lingua Hebraïca, אלהים *Elohim* ſignificaſſe videtur quidquid aliquo honore, quicumque ſit, colitur. Apud Arabas, adhuc in uſu Radix, eſt, unde ea vox orta videtur, אלה *Alaha*, id eſt, *coluit, adoravit*. Iſraëlitæ qui eadem Lingua uſi ſunt, vocabant ideò nomine *Elohim*, primò quidem Deum illum ſummum & unicum, deinde Angelos, poſtremò Principes, quorum exempla in Lexicis invenientur. Utebantur etiam voce *Dei*, ad alicujus rei ὑπεροχὴν ſignificandam, ut oſtendimus ad Geneſ. XXIII. 6. Itaque licèt ſummum Numen אלהים vocetur ab Hebræis, attamen ea vox vi ſuâ denotat Deum, prout eſt colendus σεβάσμιος, non Naturam perfectiſſimam. Hinc fit ut eodem vocabulo alia deſignent, in quibus ejuſmodi natura à nemine eſſe credita eſt.

8. Cùm Judæi Græcè loqui cœperunt, voce Θεὸς eadem ſignificatione uſi ſunt, & quamvis acerrimè unitatem Dei contra Ethnicos defenderent, non dubitabant dicere plures eſſe Deos. Ita Paulus 1. Cor. VIII. 5, 6. *Nullus eſt Deus alius, niſi unus; etenim etiamſi ſunt in cælo & in terra qui dicuntur Dii, (ut reverâ ſunt,* Θεοὶ πολλοὶ *Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus eſt Deus, Pater ille ex quo omnia, & in quem ſumus, &c.* Supplevimus vocem *reverâ*, quæ ſanè hoc in loco debet ſuppleri, niſi frigidam & inutilem ταυτολογίαν in re clara hîc eſſe velimus. Quod cùm non ſit veriſimile, ſenſus Pauli erit: non modò eſſe qui dicantur vulgò ab Ethnicis Dii, ſed etiam qui ita à Judæis & Chriſtianis appellari queant, & ſint reverâ Θεοί, hoc eſt, σεβάσμιοι, honorandi, quiſque pro dignitate naturæ & muneris; at unicum eſſe ſummum, qui ut Creator & cæterorum omnium Dominus ſit colendus.

9. Lux haud dubia affulgebit verbis Pauli, ex loco *Philonis* Judæi * è libro de *Somniis*, ubi de Geneſ. XXXI. 13. Ἐγώ εἰμι Θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ Θεοῦ, juxta Septuaginta Intt. *ego ſum Deus tibi conſpectus in loco Dei*. Habetur meliùs in aliis verſionibus *in Bethel*, quod eſt nomen loci; ſed *Philo*, qui

* *Ed. Græco lat. Gen. p.* 464.

Hebraïcè

Hebraïcè nesciebat, ita de hisce verbis philosophatur, *μὴ παρέλθῃς δὲ τὸ εἰρημένον, ἀλλ' ἀκριβῶς ἐξέτασον εἰ δύο εἰσὶ θεοί. λέγεται γὰρ ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς ὁ ὀφθείς σοι, οὐκ ἐν τόπῳ τῷ ἐμῷ, ἀλλ' ἐν τόπῳ θεοῦ, ὡς ἂν ἑτέρου: τί οὖν χρὴ λέγειν; ὁ μὲν ἀληθείᾳ θεὸς εἷς ἐστίν, οἱ δὲ καταχρήσει γενόμενοι πλείους. διὸ καὶ ὁ ἱερὸς λόγος ἐν τῷ παρόντι τὸν μὲν ἀληθείᾳ διὰ τοῦ ἄρθρου μεμήνυκεν εἰπών, ἐγώ εἰμι Ο ΘΕΟΣ. τὸν δὲ καταχρήσει χωρὶς ἄρθρου, φάσκων, ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῷ τόπῳ οὐ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ἀλλ' αὐτὸ μόνον, θεοῦ. καλεῖ δὲ * θεὸν τὸν πρεσβύτατον αὐτοῦ νυνὶ Λόγον, οὐ δυσιδαιμονῶν περὶ τὴν θέσιν τῶν ὀνομάτων: ne cursim prætermittas quod dicitur, sed diligenter expende, num duo sint Dii. Dicitur enim:* Ego sum Deus ille qui tibi conspectus sum, *non in meo loco, sed* in loco Dei, *quasi alterius. Quid ergo dicendum est? Qui verè est Deus* (hoc est, cui id nominis eximio sensu & *κατ' ἐξοχὴν* convenit) *unus est, qui verò abusivè sunt, Dii, plures sunt. Ideò hoc in loco sacer sermo eum, qui verè est Deus, articulo* O *designavit.* Ego sum ille Deus; *eum verò qui Deus est abusivè, sine articulo, dicens:* conspectus tibi, *non in loco Dei illius, sed tantùm hoc,* Dei. *Vocat autem Deum antiquissimam ejus Rationem, nulla superstitione affectus circa impositionem nominum.* Hinc manifestò videmus Judæos voce *θεὸς* intellexisse etiam Angelos, quippe naturas *σεβασμίους*, licèt non habendas instar summi Dei.

10. Ita etiam loquuti sunt Patres Græci, ut *Clemens Alexandrinus*, qui de † Natura divina Christi verba faciens, his verbis utitur: *τούτῳ πᾶσα ὑποτέτακται στρατιὰ Ἀγγέλων τε καὶ Θεῶν, huic totus submissus est exercitus Angelorum & Deorum.* Hujus discipulus *Origenes* ex Philone videtur hausisse ‡ hæc verba, hanc in rem eximia, ubi postquàm dixit Deum Patrem designari articulo, addit: *καὶ τὸ πολλοὺς φιλοθέους εἶναι εὐχομένους ταράσσον, εὐλαβουμένους δύο ἀναγορεῦσαι θεοὺς, καὶ παρὰ τοῦτο περιπίπτοντας ψευδέσι καὶ ἀσεβέσι δόγμασιν, ἤτοι ἀρνουμένους ἰδιότητα υἱοῦ ἑτέραν παρὰ τὴν τοῦ πατρὸς, ὁμολογοῦντας θεὸν εἶναι τὸν μέχρι ὀνόματος παρ' αὐτοῖς υἱὸν προσαγορευόμενον. ἢ ἀρνουμένους τὴν θεότητα τοῦ υἱοῦ, τιθέντας δὲ αὐτοῦ τὴν ἰδιότητα καὶ τὴν οὐσίαν κατὰ περιγραφὴν τυγχάνουσαν ἑτέραν τοῦ πατρὸς, ἐντεῦθεν λύεσθαι δύναται: Et hinc solvi potest quod perturbat multos pietatem profitentes, dum metuunt duos prædicare Deos; & præterea eos qui incidunt in falsa & impia dogmata, vel negantes proprietatem Filii,* (id est, exsistentiam propriam) *diversam esse à*

* *Vitiose legitur, & contra sensum Philonis τὸν θεὸν, cum articulo, ut cùm ex hisce verbis, tum ex sequentibus apparet.*

† *Strom. VII. p.* 702. *Ed Colon.*

‡ T. 2. *in Joan, Ed. Huet. p.* 46.

proprietate

proprietate Patris, & fatentes Filium à se prædicari Deum nomine tenus (Noëtum perstringit qui aiebat *Patrem & Filium* esse nomina unius essentiæ) *vel negantes divinitatem Filii, & ponentes ejus proprietatem, & essentiam diversam esse definitione à Patris proprietate & essentia*; hoc est, aliter definiendam Filii exsistentiam & essentiam, quippe alterius speciei, subdit, Λεκτέον γὰρ αὐτοῖς ὅτι τότε μὲν αὐτόθεος ὁ θεός ἐστι, διόπερ καὶ ὁ σωτήρ φησιν ἐν τῇ πρὸς τὸν πατέρα εὐχῇ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν. πᾶν δὲ τὸ παρὰ τὸ αὐτόθεος μετοχῇ τῆς ἐκείνου θεότητος θεοποιούμενον οὐχ Ο ΘΕΟΣ, ἀλλὰ θεὸς κυριώτερον ἂν λέγοιτο, οὗ πάντως ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως ἅτε πρῶτος τῷ πρὸς τὸν θεὸν εἶναι, σπάσας τῆς θεότητος εἰς ἑαυτὸν, ἔτι τιμιώτερος τοῖς λοιποῖς παρ᾽ αὐτὸν θεοῖς ὧν ὁ θεὸς θεός ἐστι, κατὰ τὸ λεγόμενον. θεὸς θεῶν κύριος ἐλάλησε καὶ ἐκάλεσε τὴν γῆν. διακονήσας τὸ γενέσθαι θεοῖς, ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀρύσας εἰς τὸ θεοποιηθῆναι αὐτοὺς ἀφθόνως &c. *Dicendum est enim illis tunc illum Deum, cum articulo, esse eum qui est per se Deus. Ideò & Servator dicit in prece ad Patrem*: ut cognoscant te qui solus es ille verus Deus. *Quidquid verò est præter hunc, qui est per se Deus, participatione illius divinitatis Deum factum, non illum Deum cum articulo, sed Deum sine articulo magis propriè dicendum esse. Qua in re omnino primogenitus omnis Creaturæ, honorabilior est reliquis Diis, quippe qui primus est in eo quod est apud Deum, & in se divinitatem traxit; honorabilior*, inquam, *reliquis Diis qui sunt apud illum, quorum Deus ille Deus est, juxta id quod dictum est*: Dominus Deus Deorum loquutus est, & vocavit terram: *cùm illis dederit esse Deos, & hauserit copiosè ab illo Deo, quo eos Deos faceret.* Scriptor Const. Apostolicarum *Dei* nomen tribuit Episcopo, Lib. II. c. 26. de quo ita loquitur: οὗτος ὑμῖν ἐπίγειος θεὸς μετὰ θεὸν, *hic vobis terrestris Deus post Deum.* Tum ei aptat Ps. LXXXII. 6. Exod. XXII. 26. & dicit: ὁ γὰρ ἐπίσκοπος προκαθεζέσθω ὑμῶν, ὡς θεοῦ ἀξίᾳ τετιμημένος: *Episcopus enim præsit vobis, ut Dei dignitate cohonestatus. Gregorius* Nazianzenus Sacerdotem, *Orat.* I. p. 31. dicit, θεὸν ἐσόμενον καὶ θεοποιήσοντα, *Deum futurum & Deos facturum.* Oratione XX. p. 349. ita *Basilium* Arianismum repudiantem inducit: οὐδὲ κτίσμα τι προσκυνεῖν ἀνέχομαι. Θεοῦ τε κτίσμα τυγχάνων, καὶ Θεὸς εἶναι κεκελευμένος: *neque sustineo adorare Creaturam, qui sum Dei creatura, & Deus esse jussus sum.* Idem θέωσιν vocat pii animi inusitatum motum Or. XI. p. 140. ubi dicit diem festum esse καιρὸν θεώσεως, ἧς οἱ μάρτυρες μεσιτεύουσι, *tempus divinitatis consequendæ, quam in rem martyres mediatorum munere funguntur.* Oratione verò XXIII. p. 410. ait sacra facientem Sacerdotem in sacra mensa μυσταγωγεῖν τὴν θέωσιν *esse mystagogum divinitatis.* Orationis

rationis verò II. initio, solitudinem vocat *θεοποιὸν*, *Deum facientem*. Ex quibus omnibus, aliisque similibus liquet vocem Θεὸς non semper significasse, in Scriptis Veterum, ut in nostris hodiernis, unam illam Naturam à qua omnia creata sunt.

11. Hæc satis ostendunt voces hodiernas, quibus utimur ad vertendas voces *Elohim*, Θεὸς & *Deus*, iis ad amussim non respondere. Hinc colligere est ex eo quòd vox Hebraïca, Græca, aut Latina, unâ voce alius Linguæ verti soleat, existimandum semper non esse voci Linguæ exsoletæ eamdem prorsus subjectam fuisse potestatem, ac ei quâ illa hodie vertitur. Legentibus plura quotidie exempla occurrent, si modò moniti attendant.

CAPUT IV.

III.

Multa videri in versionibus Emphatica, quæ in ipsis Fontibus nullam Emphasin habent.

1. CUM Linguæ discendæ operam dare incipimus, versione Linguâ notiori scripta indigemus; at si contingat nos numquam posse ejus auxilio carere, multa errorum nobis imminebunt pericula, inter quæ hoc longè maximum est; ne putemus verba fontium eamdem ἔμφασιν habere, ac in versione videntur. Sæpissimè enim contingit ut translationis vocabula nescio quam vim habere videantur auribus imperitis, quam non habent in ipso *Originali*, ut vocatur, textu, apud aures Linguæ adsuetas.

2. Hebræi exempli causâ, passim conjungunt infinitivum verbo suo, quasi nomen. Ita dicunt *Moriendo morieris* תמות מות *moth thamouth*, pro *morieris morte*. Idem aut simile fuit idioma Atticæ Dialecti, quæ conjungebat verbis nomina affinia, ut *ἀγορὰς ἀγορεύειν concionem concionari*, Homeri Iliad. B. vers. 788. ad quem locum, *Homerum* Atticè loquutum esse observat * *Eustathius*, hisce verbis: Τὸ δὲ ἀγορὰς ἀγόρευον Ἀττικόν ἐστι, ὡς καὶ τὸ βουλὴν βουλεύειν, καὶ λόγον λέγειν καὶ ὅλως τὸ παρατιθέναι τοῖς ῥήμασι τὰ ἐξ αὐτῶν ὀνόματα. *Hoc autem conciones concionabantur Atticum est, ut & consilium consulere*, dictum dicere, *& universum addere verbis nomina ex iis derivata*.

---

* *Ed. Rom. p.* 348. *l.* 29.

3. Hæc

3. Hæc adjectio ejusdem verbi, aut nominis affinis, nullam habet in Hebraïca, aut in Attica Lingua Emphasin. De Attica res nota est, nec minùs certa erit de Hebraïca, si quis * expendat loca Scripturæ in quibus occurrit ea phrasis. Ita Gen. II. 16. *Ex omni arbore*, ait Deus, *hujus horti comedendo comedes*, hoc est, simpliciter *comedes*, ut apparet ex sequentibus, ubi de eadem re sermo est. Versu sequente *morte morieris* est simpliciter *morieris*, ut apparet etiam ex collatione locorum, in quibus occurrit.

4. Attamen Interpretes, qui in Scriptura passim quærunt quæ in ea non sunt, nescio quam miram Emphasin in hac phrasi repererunt; unde factum ut multi aut Linguæ Hebraïcæ ignari, aut non satis accurati Critici ambabus ulnis amplexi fuerint *Augustini* interpretationem, qui ita † comminationem mortis interpretatur. *Quacùmque die ederitis ex eo, morte moriemini, non tantùm animæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo; nec tantùm posteriorem, ubi corpus privatur animâ; nec solùm ipsam totam primam, ubi anima & à Deo & à corpore separata punitur; sed quidquid mortis est, usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & quâ est nulla posterior, comminatio illa amplexa est.* Nescio an eadem causa alios impulerit, ut hæc verba interpretarentur, *mortalis eris*, contra usum constantem Hebraïcæ Linguæ; an verò, ut hanc comminationem opinionibus suis accommodarent.

5. Constans etiam est Hebræorum consuetudo, ut Eruditi observârunt, omnia ita Deo tribuere, quasi Deus ipse omnia efficeret, ne exceptis quidem malis actionibus. Quæritur an illæ loquutiones habeant aliquam ἔμφασιν, qualem videntur habere iis qui versiones tantùm legunt, aut qui ex consuetudine hodiernarum Linguarum Hebræorum sermonem intelligunt. Alii negant, quorum in numero sumus; alii affirmant, iique à temporibus *Augustini* non pauci. Inde etiam colligunt Deum, quidquid fit boni, ipsum facere, & partem mali haud minimam.

6. Primùm contendimus ex ipsa phraseos ratione, nisi aliunde nobis de re constet, neminem posse colligere, veteres Hebræos voluisse Deum esse auctorem omnium malorum, æquè ac bonorum. Ratio nostræ negationis hæc est, quòd sint Scriptores in aliis Linguis, qui ita loquuntur, cùm tamen nihil simile crederent. *Homerus* ‡ passim omnia Deo tribuit, non minùs mala quàm bona. Dicit, exempli causâ, He-

* *Suppeditabit plura Sal. Glassius in Gram. Sac. Lib. III. cap. 3. can. 37.*
† *De Civ. Dei Lib. XIII. c. 12.*
‡ *Vide Homericum Lexicon* p. 52. & 387.

lenam impulsam fuisse à Deo, ut rem faceret intolerandam. Odyss. Ψ. 232. τὴν δ' ἤτοι ῥέξαι θεὸς ὤρορεν ἔργον ἀεικές. Si hæc & similia loca *Homeri* essent urgenda, sequeretur hominibus non esse imputanda mala quæ iis eveniunt, & ne vitia quidem, sed Diis; quod tamen non credidit, ut apparet ex hisce verbis, quibus Jovem graviter querentem inducit, apud Deos, Odyss. A. 32.

Ὢ πόποι οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται!
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι. οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Papæ! quantopere mortales Deos accusant!
Ex nobis enim aiunt esse mala, illi verò ipsi
Suis stultitiis, præter fatum, dolores habent.

7. Itaque neque apud Scriptores Sacros, ex nuda phrasium consideratione, erui potest sententia, quam illis solent quidam tribuere. Atque hoc eò manifestius apparebit, si, ut cæteras rationes omittam, alia quæ apud eosdem Scriptores occurrunt, expendamus. Etenim passim inducunt Deum, quasi invitum plectentem homines, & ægrè ferentem eorum crimina; quod esset longè absurdissimum si ipse eos ineluctabiliter eò impulisset, aut impulisse crederetur. Ita Psalm LXXXI. 13. postquàm Deus beneficia sua in Israëlitas commemoravit; *utinam*, inquit, *populus meus obtemperâsset mihi, & Israël in viis meis ambulâsset!* Hinc liquet verba præcedentia: *tradidi eos duritiei cordis eorum & ambulaverunt in consiliis suis*, non esse ita urgenda, quasi intelligeretur permissio efficax, ut loquuntur quidam Theologi.

8. Putant nonnulli magnam esse ἐνέργειαν in hisce vocibus, apud Jeremiam XXXI. 33. *Ponam legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribam eam*, quasi Deus vellet significare se necessariò effecturum ut observaretur à populo suo Lex sua. Verùm tota verborum horumce ἔμφασις in eo sita est, ut hic sit eorum sensus, nempe, Deum effecturum ut Israëlitæ tenerent Legem suam memoriter, nec monitore indigerent; quod liquet ex versu sequenti, ubi antecedentia, mutatis verbis, more Hebræis consueto, in sequentibus repetuntur. *Nec docebit ultrà vir proximum suum aut vir fratrem suum dicens, Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me*, &c.

9. Ita Paulus Rom. II. 15. verba faciens de cognitione Dei & virtutis, quæ potest solâ ratione, sine revelatione, colligi, ait ἔργον νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, nempe

Ethnicorum

Ethnicorum. Quæ voces aliud nihil ſignificant, niſi ſine doctore hæc diſci, & memoriæ facilè mandari; nec quiſquam, ut opinor, adeò erit emotæ mentis, ut velit Paulum dixiſſe ab Ethnicis obſervatam fuiſſe Legem. Conſuli poteſt ad eum locum *H. Grotius*, qui exempla ſimilium loquutionum ſuppeditare poterit. *Æſchylus*, in Prometheo vincto, ita Prometheum alloquentem Ionem inducit p. 48. πολύδονον πλάνην φράσω, ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσι δέλτοις φρενῶν. *Vagum errorem dicam, quem tu ſcribe in memoribus tabulis mentis*, hoc eſt, cujus tu memento. Scholiaſtes *Pindari* ad Olympion. Oden X. profert hunc *Sophoclis* verſum, ex *Triptolemo*: Σὲ δ' ἐν φρενὸς δέλτοισι τοὺς ἐμοὺς λόγους, nimirum, ſcribere oportet. *Antiſthenes* familiari commentariorum jacturam deflenti: ἔδει γὰρ, ἔφη, ἐν τῇ ψυχῇ αὐτὰ, καὶ μὴ ἐν τοῖς χάρταις γράφειν: *atqui oportebat*, inquit, *ea in animo, non in chartis ſcribere.* Ita quoque interdum loquebantur Latini. Apud *Terentium* * in Andria, cùm dixiſſet Myſis: *Unum hoc ſcio, meritum eſſe ut memor eſſes ſui*, reponit Pamphilus, quaſi indignans ſibi in memoriam revocari quod altâ mente repoſitum geſtabat:

Memor eſſem! ô Myſis, Myſis, etiam nunc mihi,
Scripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis,
De Glycerio.

Seneca pater, in Præfatione Lib. I. Cont. ubi de *Porcio Latrone*: *In eo non tantùm naturalis memoriæ felicitas erat, ſed ars ſumma & ad adprehendenda quæ tenere debebat, & ad cuſtodienda; adeò ut omnes declamationes ſuas, quaſcumque dixerat, teneret. Jam itaque ſupervacuos ſibi fecerat Codices. Aiebat ſe* SCRIBERE IN ANIMO. Tot Scriptoribus Ethnicis Judæum unum adjiciemus, de eadem re loquentem, de qua Jeremiæ verba protulimus. Is eſt *Joſephus* Lib. II. in Apionem p. 1072. Ed. Genev. ἡμῶν ὀντινοῦν εἴτις ἔροιτο τοὺς νόμους; ῥᾷον ἂν εἴποι πάντας, ἢ τοὔνομα τὸ ἑαυτοῦ. Τοιγαροῦν ἀπὸ τῆς πρώτης εὐθὺς αἰσθήσεως αὐτοὺς ἐκμανθάνοντες ἔχομεν ἐν ταῖς ψυχαῖς ΕΓΚΕΧΑΡΑΓΜΕΝΟΥΣ: *Si quem noſtrûm interrogaverit quiſpiam de legibus, faciliùs omnes dixerit, quàm nomen ſuum; nam ex quo primùm intelligimus, eas diſcentes habemus in animo ſcriptas.* Ita idem Scriptor loquitur etiam Antiq. Jud. Lib. IV. c. 8. §. 12. Ed. Oxonii inchoatæ, ubi prolatâ lege, de Lege ſeptimo quoque anno in ſacra Urbe publicè legenda, ita pergit: Καλὸν γὰρ ταῖς ψυχαῖς ΕΓΓΡΑΦΕΝΤΑΣ αὐτοὺς καὶ τῇ μνήμῃ φυλαχθῆναι, ὡς μηδέποτε ἐξαλειφθῆναι δυναμένους: *utile enim eſt animis inſcriptas leges, &*

* *Act. I. §. 6.*

memoriæ servari; ut nunquam deleri queant. Paulò post: οἵτε νόμοι πολλὴν πρὸς ἁμαρτάνοντας ἕξουσι παῤῥησίαν· ὡς προλεγόντων αὐτοῖς ἃ πείσονται, καὶ ταῖς ψυχαῖς ἐγγραψάντων διὰ τῆς ἀκοῆς ἃ κελεύουσιν. ὥστε εἶναι διὰ παντὸς ἔνδον παρ' αὐτοῖς τὴν προαίρεσιν αὐτῶν: *leges multam apud peccantes habebunt auctoritatem, quippe quæ prædicent illis quæ passuri sint, & quæ inscripserint eorum animis per aures quæ jubent; ita ut semper sit intus apud ipsos earum voluntas.*

Atque hoc in memoriam mihi revocat dictum Turcarum de Tartaris haud ineptum. † *Aiunt reliquas quidem nationes scriptam in libris habere sapientiam, Tartaros libros suos devorasse; ideò in pectoribus eam habere reconditam, quam promant cùm opus sit, & veluti divina fundant oracula.*

10. Phrasis *aperire oculos* videtur vim quamdam habere plerisque qui non sunt idiomati sacrorum Librorum adsueti. At nihil aliud est, nisi facere ut aliquis quidpiam cognoscat, aut observet. Ita Gen. XXI. 10. dicitur Deus *aperuisse oculos Hagaræ*, ut videret fontem, hoc est, fecisse ut animadverteret. *Aperit oculos* Bilhamo, Num. XXII. 31. ut videat Angelum; hoc est, facit ut eum animadvertat. Similiter Gen. III. 5. *aperientur oculi vestri*; hoc est, plurimarum rerum periti eritis; & versu 7. *& aperti sunt oculi amborum*, idem est ac si dixisset Moses, ambo animadverterunt se esse nudos.

11. Eodem sensu occurrit Act. XXVI. 18. *Aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem.* Sermo enim est de Paulo prædicatione suâ Ethnicorum errores tenebricosos expulsuro, útque lucem Evangelii adspicere possent effecturo. Nec multùm hinc abscedit sensus phraseos, quæ occurrit Lucæ c. XXIV. 45. *Aperuit eis mentem ad intelligendas Scripturas.* Evangelista enim nihil aliud vult, nisi Christum interpretationibus suis effecisse ut Apostoli intelligerent loca Scripturæ, quorum sententiam antea non adsequebantur. Idem Scriptor Act. XVI. 14. de Lydia dicit, *Dominum aperuisse ejus cor, ut attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo*: hoc est, divinâ providentiâ factum esse, quibuscumque tandem machinis usus sit Deus, ut Lydia attentè aurem præberet Paulo. Ita *Plutarchus*, in libello de audiendis Poëtis, pag. 75. Ed. Grotianæ, dicit lectionem Poëtarum: προανοίγειν καὶ προκινεῖν τὴν τοῦ νέου ψυχὴν τοῖς ἐν φιλοσοφίᾳ λόγοις: *aperire & inclinare juvenis animum sermonibus Philosophicis.*

12. Viri doctissimi singularem Emphasin quæsivere in verbis minarum Mosaïcarum, quæ exstant Levit. XXVI. 26.

† *Ex Busbequii Ep. 4.*

Frangam

Frangam vobis scipionem panis, quasi Deus minaretur se vim nutriendi pani detracturum, ut ad eum locum monuimus. At, ut ostendimus, hoc vult dumtaxat Deus, se effecturum ut penuria panis esset. Igitur Emphasis frustra quæsita hîc est, nec scio an ejusmodi error Erisichthonis fabulæ occasionem dederit. Eam narrat *Callimachus* Hymno in Cererem, atque ex eo *Ovidius* Metam. VIII. ille

Σχέτλιος, ὅσσα πάσαιτο, τόσων ἔχεν ἵμερος αὖθις.
Εἴκατι δαῖτα πένοντο, δυώδεκα δ' οἶνον ἄφυσσον.

Miser, quo plura gustavisset, eo plurium tenebatur desiderio. Viginti ministri epulum apparabant, duodecim vinum hauriebant.

Vel, ut verbis Ovidianis rem exprimamus:

—— Appositis queritur jejunia mensis,
Inque epulis epulas quærit, quòdque urbibus esse,
Quòdque satis populo poterat, non sufficit uni,
Plúsque cupit, quo plura suam demittit in alvum.

Fortasse hinc primùm ficta fabula, quòd Poëtæ legissent, aut audîssent *Erisichthonem non potuisse satiari*, aut quid simile, quod ita interpretati sunt, quasi omnibus rebus affluentis famem nihil sedare potuisset, cùm debuissent de frugum penuria intelligere.

13. Hinc denuo colligimus aures adsuetas Linguis hodiernis, facilem erroris occasionem præbere, dum quædam Emphatica videntur & sunt in Linguis, aut hodie vigentibus, aut hodierno usu inter Doctos tritis, qualis est Latina; quam Emphasin olim non habuerunt apud Hebræos, Græcos, aut Latinos. Itaque cavendum est quàm maximè, ne ex hodiernarum Linguarum ingenio, de priscis judicemus; quod ut faciliùs caveri queat, nihil est ita de sensu ullius phraseos affirmandum, ut à sententia discedere non simus parati, nisi Linguæ, de qua agetur, multam operam dederimus, & Scriptorem cujus sensus quæritur diligenter legerimus.

CAPUT V.

IV.

Plurima esse vocabula ambigua in omnibus linguis, cum ipsarum Linguarum inopiâ tum negligentiâ Scriptorum.

1. OPTANDUM esset Scriptores omnes cùm Veteres, tum Recentiores, aut potiùs omnes homines ita constantes in sermone fuisse, ut vocibus semper easdem potestates subjecissent. Verùm tantùm abest ut constantes fuerint ut contrà nihil sit loquentium usu inconstantius; atque hoc adeò in omnibus Linguis invaluit, ut accurati alioqui Scriptores ab ambiguitatibus sibi cavere vix queant; unde fit ut intelligendi difficultas non parum augeatur.

2. Observandum autem est vocabuli significationem mutari, non modò quando designat rem prorsus diversam, aut similem, sed non eamdem; verùm etiam ubi unam, eamdémque notionem compositam, ad præcipuas ejus partes quod attinet, significat, at mutatis relationibus; seu quando notionis compositæ partes quasdam designat, omissis aliis, aut etiam paulò plures complectitur. Vel minima additio, aut detractio mutat notionem, adeóque significationem vocabuli. Ita cùm Judæi & Christiani de *Scriptura* loquuntur, convenit quidem iis de voce, non verò de significatione. Judæus enim intelligit solos Veteris Testamenti libros Hebraïcos; Christianus verò addit libros Novi Testamenti, & interdum etiam Libros Græcos Veteri Testamento adjectos, qui vulgò Apocryphi dicuntur.

3. In re tam manifesta pauci quidem errant, sed occurrunt passim voces ambiguæ, quarum variæ significationes non ita notæ sunt. Ipsa illa vox *Scriptura* aliud interdum significat apud Apostolos, quàm apud Theologos hodiernos. Intelligimus enim hodie eâ voce Libros Sacros, sine additione ulla & per se intellectos; Apostoli autem eâ voce Traditionem in illis libris non comprehensam intelligunt. Hinc laudant quasi ex Scriptura quædam, quæ in ea non occurrunt, ut Matth. II. 23. Eph. V. 14. In Epistola *Barnabæ* laudantur etiam quædam ex Veteri Testamento, quæ nusquam exstant; nimirum

mirum, ex Traditione, Cap. VI. quasi ex Mose hæc affert de Hirco ἀποπομπαίῳ : * *Expuite in illum omnes & pungite & imponite lanam coccineam circa caput illius, & sic in aram ponitur, & cùm ita factum fuerit, adducite qui ferat eum in eremum,* &c.

4. Ambiguitates autem omnes oriuntur vel ex Linguarum inopia, quæ destituuntur vocibus necessariis, vel ex negligentia scribentium. Quàndo deest vox ad rem quampiam exprimendam, vox jam usitata, aliâ significatione, detorquetur in novam, per *translationem.* Interdum etiam uni voci variæ prorsus affinguntur significationes, licèt non desint quibus eæ res significentur. Dignus est *Seneca,* † qui hanc in rem audiatur. *Ingens est copia,* inquit, *rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alienis commodatisque.* Pedem *& nostrum dicimus, & lecti & veli & carminis;* canem *& venaticum & marinum & sidus. Quia non sufficimus, ut singulis singula adsignemus; quoties opus est, mutuamur.* Fortitudo *est virtus pericula justa contemnens; aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum. Dicimus tamen & gladiatorem* fortem virum, *& servum nequam, quem in contemptum mortis temeritas impulit.* Parcimonia *est scientia vitandi sumptus supervacuos, aut ars re familiari moderatè utendi; parcissimum tamen hominem vocamus pusilli animi & contracti, cùm infinitum intersit inter modum & angustias. Hæc alia sunt naturâ, sed effecit inopia sermonis, ut & hunc & illum* parcum *vocemus; ut & ille* fortis *dicitur, cum ratione fortuita despiciens, & hic sine ratione in pericula excurrens. Sic* beneficium *est & actio benefica, & ipsum quod datur per illam actionem, ut pecunia* &c. Horum exempla Lexica passim suppeditant, ut necesse non sit nos iis immorari. Quædam magni momenti monebimus potiùs, quæ ex Dictionariis cognosci non possunt.

5. Primum est, haud semper facile esse dignoscere loquutiones metaphoricas à propriis; quæ difficultas occurrit, ubi sermo est aut de rebus per se non satis notis, aut de vocibus rariùs usurpatis, & quarum origo non est manifesta, Ingens orta est concertatio inter Theologos quærentes, utrum voces λύτρον *redemptionis pretium,* ἀπολυτρῶν *redimere* & ἀπολύτρωσις *redemptio* debeant propriè intelligi, ubi de Christi redemptione sermo est ? Alii contendunt hîc ἀπολύτρωσιν esse ‡ *redemptionem, seu liberationem alicujus ab incommodo,* λύτρῳ *interce-*

* Vide ad eum locum *Hug. Menardum* alióſque Int.
† *De Benefic.* Lib. II. *c.* 34.
‡ *H. Grotius* de Satisf. Ch. C. VIII.

dente. * Alii fatentur quidem λύτρον propriè significare *pretium quod ad redimendum captivum datur*, sed contendunt hîc minùs propriè sumi pro facto, quo liberati sumus à peccato, non pro pretio soluto. Utrique agnoscunt quandoque hasce voces impropriè sumi, ubi de simplici liberatione agitur; at qui propriè hîc intelligi volunt hoc nituntur argumento, quòd sine necessitate non sit à proprietate verborum recedendum; hac autem in re nihil sit, quod ad metaphoricum confugere necessariò adigat. Alii negant huic regulæ hîc locum esse posse. "Nam, inquiunt, ideò in re dubia, propria videtur sequenda significatio, potiùs quàm impropria; quòd verisimilius sit propriè loquutum fuisse Auctorem, quàm impropriè. At si longè frequentior sit improprius vocabuli usus, apud aliquem Auctorem, quàm proprius, cessat illa ratio & contrarium potiùs videtur esse statuendum; atque ei, qui propriam significationem omnino urget, ratio afferenda, cur impropriam respuat, quæ adeò illi auctori sit familiaris. Præterea volunt rem ipsam necessariò requirere sensum metaphoricum.

6. Ut κριτικῇ ἀκριβείᾳ solveretur ejusmodi difficultas, primò videndum esset quis sit ejus vocis usus, apud Scriptores Sacros; secundò, conandum esset rescire ex locis, ubi aliis verbis utuntur, quæ fuerit eorum hac de re sententia. Nam ad rem ipsam quod attinet, per se planè est ignota; neque possumus, in hoc negotio, Dei voluntatem aliunde quàm ex revelatione cognoscere. Revelationem autem oportet, ut sit clara, conceptam esse vocibus proprio sensu sumptis, ita ut hoc constet; alioqui tralatitiarum significatum non satis adsequimur, aut dum dubitamus propriæne sint an impropriæ, necesse est sensus verus nobis sit dubius.

7. Secundò, si concedamus voces, aut phrases esse metaphoricas, superest dubium quidpiam, quod solutu facile non est. Nempe, per translationem vox usurpatur, aut quòd res de qua usurpatur sit simillima rei ex qua desumpta est metaphora, aut quòd aliqua tantùm ex parte eam referat. Rarò metaphora nititur plenâ similitudine, satis est modò intersit levis affinitas inter rem cui vox propriè convenit, & rem cui metaphoricè tribuitur. Itaque rarò tralatitiæ voces totâ nativæ significationis amplitudine urgendæ sunt; quod facile est intellectu. At difficilius multò est scire, quousque vox aut phrasis metaphorica urgeri possit ubi is qui eâ usus

* F. Socinus & J. Crellius, quorum hunc vide, in Resp. ad Grotium.

est

est præsens non est ut interrogari queat, nec aliunde de ejus mente nobis constat.

8. Quæritur quid tunc temporis faciendum, ut veram vocis significationem, & quousque urgenda sit, possimus scire? Si utraque res, quæ, eâ voce exprimitur, sit notissima; ut dubium non sit quin loquuto probè nota fuerit, possumus existimare illum eâ voce usum, propter similitudinem quàm in iis rebus ipsi videmus; nisi orationis series ostendat eum aliquid singulare in mente habuisse. Si res sit ignota, vel obscura aut loquenti, aut nobis; vix scire possumus quænam sit metaphoricæ significationis amplitudo; seu quot notiones complectatur, & quatenus urgeri possit.

9. Exemplo res ut clarior fiat, Scriptores Sacri leges, quas Deus hominibus tulit, vocant בְּרִית *brith* Latinè *fœdus*, aut *testamentum*, per translationem; neque enim propriè Leges divinæ sunt fœdus, aut testamentum. Sunt, ut rectè *Livius*, Lib. XXXIV. c. 57. tria genera fœderum. Unum cùm bello victis dicuntur leges; ubi enim omnia ei qui armis plus potest dedita sunt, quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius jus atque arbitrium est. Alterum cùm pares bello, æquo fœdere, in pacem atque amicitiam veniunt. Tertium cùm qui hostes numquam fuerunt, ad amicitiam sociali fœdere, inter se jungendam coëunt. Hi neque dicunt, neque accipiunt leges; id enim victoris & victi est. Fœdus Dei cum hominibus simile est primo generi, cùm Deus leges fert; sed alio prorsùs jure, nempe, creationis & providentiæ quâ homines curat. Legislatoris populi utilitatem quærentis partes agit, potiùs quàm fœdus facientis; sed nec amittit jura Domini, ex quibus volentibus aut invitis imperare potest, pœnásque à contumacibus aut delinquentibus exigere. Itaque nemo ex voce בְּרִית *fœdus*, quam & *testamentum* vertunt, colligat perfectam esse similitudinem inter Leges Dei & testamenta, aut fœdera, quod illæ horum nomine insigniantur; aut si quid quærat, in Legibus divinis, quod observavit in fœderibus ac testamentis; oportebit ut probet hanc metaphoricam appellationem niti perfectâ similitudine. Quod cùm fieri nequeat, hoc unum affirmare poterit esse aliquam inter ea similitudinem, unde nata est similis appellatio. *Non enim res tota toti rei necesse est similis sit, sed ad ipsum ad quod confertur similitudinem habeat oportet*, quæ verba sunt Scriptoris ad *Herennium*, Lib. IV. c. 46.

10. Supererit tum quærendum, quanam in re illa similitudo sita sit? Cùm Scriptores Sacri nossent quidquid continebatur in fœderibus, & voluntatem etiam Dei, quatenus revelata

revelata fuit; ut sciamus quænam essent, & judicarentur ab iis similia inter leges Dei, testamentáque ac fœdera; illa sunt introspicienda, & videndum quidem primùm quâ ratione Deus agat nobiscum, remotis, ut ita dicam, omnibus metaphoricis notionibus. Secundò, quærendum quid agant homines, ubi fœdera contrahunt. Tandem ex utriusque collatione, cognoscemus quæ sint in iis similia.

11. Hoc peracto, quæretur utrum is qui primus fœderis voce usus est, Moses putà, ea usus sit ad significandum esse similitudinem, quanta à nobis cernitur, inter leges Dei & fœdera; an verò in ea appellatione rationem tantùm habuerit partis similitudinis, de cæteris quas deprehendimus, non cogitaverit? Partes similitudinis hæ sunt: 1. In fœdere sunt partes duæ contrahentes: ita & in Divinis Oeconomiis: 2. In fœdere interdum est Mediator, sicuti in Divinis Pactis: 3. Sunt utrobique conditiones & promissa, ac minæ: 4. Quandoque in fœderibus fuere victimæ, nec Deus aliter cum Judæis & Christianis egit. Alia fortè adjici possent, sed dubia, cùm Historia Mosaïca horum tantùm disertè meminerit. Ex plurimis locis, verisimillimum est Mosem ideò Leges Divinas fœdus appellâsse, quòd hæc habuerint cum fœdere communia.

12. At perspicaciores Theologi hîc non subsistunt. Aiunt enim in fœderibus tabulas, in quibus scribuntur Leges, sigillo muniri contrahentium; unde fit ut in Mosaïco fœdere, quia Circumcisio *signum fœderis* vocatur aliquoties, dicant Deum hoc signo veluti fidem datam confirmare, & sese arctiùs obstringere ad præstanda promissa; hominésque vice versâ obsequium, eâ ratione, solenniùs polliceri. At primùm, hoc est discrimen, quod in fœderibus duo sigilla adhibeantur, ab utraque, nempe, parte suum; quod hîc non fit, etenim unicum est *signum fœderis*, & quidem à Deo solo institutum. Secundò sigilla imprimuntur in tabulis fœderis, non in Fœderatorum corpore. Denique ea pars similitudinis inter divinæ Oeconomiæ signum circumcisionem, & sigilla fœderum humanorum, nullibi urgetur, nec etiam ullâ allusione subinnuitur. Itaque quando circumcisionem Deus vocat *signum fœderis sui*, Gen. XVII. 11. nihil aliud vult, quàm hoc signo Israëlitas ab omnibus gentibus distinctum iri, seu inde Dei fœderatos agnoscendos. Igitur hæc vox meliùs exponeretur Latinâ voce *tessera*, quàm vocabulo *sigillum*; tessera enim signum fuit quo socii socios, amici amicos dignoscebant. Lacedæmonii, apud *Justinum*, Lib. III. *de sepultura solliciti* priusquàm prælium contra Messenios inirent, *tesseras, insculptis suis & patrum nominibus, dextro brachio deligarant; ut si*

omnes

omnes adversum prælium consumpsisset, & temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturæ possent. Sed neque hæc metaphorica vocis אות *oth, signum* explicatio nimiùm urgeri potest.

13. Hinc cognoscimus quæ tantâ subtilitate disputârunt multi de natura *Sacramentorum*, hoc est, rituum quorumdam à Deo institutorum, statuentes eos ritus per omnia sigillis fœderum respondere, ea in auras abire omnia; nisi vocem signum necessariò in eum sensum urgendam esse probent; quod nemo hactenus fecit, neque ullus in posterum, ut opinor, præstabit.

14. Vox Διαθήκη, uno in loco Novi Testamenti, nempe, Hebr. IX. 15, 16. sumitur pro *Testamento*; nam licèt puriori quidem Hellenismo hoc significet, Alexandrini Græcè loquentes, ex quorum sermone Judææ incolæ, qui eamdem Linguam didicerant, multa traxere) eâ utebantur, ubi alii Græci vocem Συνθήκη, id est, *fœdus* adhibebant. Scriptor autem Epistolæ ad Hebræos, qui puriore aliquantùm utitur stylo, alludit ad significationem *Testamenti*. Certè ut in Testamento, morte sequente, donatio rata fit; ita moriente pro nobis Christo, cœlo donati sumus. Hæ duæ solæ similitudinis partes inter rem, cui propriè convenit appellatio διαθήκης testamenti, & eam cui metaphoricè aptatur eo in loco, urgentur. Nec si præterea possint inveniri quædam similia, inter Testamentum & Oeconomiam Evangelicam; ideò possunt, quasi Apostolicâ auctoritate nixa, urgeri. Attamen hoc Theologi non satis cauti, & cogitationibus suis nimiùm indulgentes factitarunt; ac consectariis inde deductis novas Institutionum Theologicarum methodos inædificârunt.

15. Duabus antecedentibus observationibus tertia addenda est; nempe, vocem unam, prout cum aliis variè construitur ac jungitur, varias induere significationes. Quod nisi attentè observetur ex eo quòd uno loco vox aliquid significet, & in certis circumstantiis, sæpè perperam colligemus, idem eâ ubique significari aut in locis ubi aliis vocibus conjungitur, & aliâ occasione adhibetur. Unum proferemus hîc exemplum, petitum ex voce Hebraïca רוח *rouach*, Græca πνεῦμα & Latina *spiritus*, quæ idem sonant & sunt, cùm apud Sacros Scriptores, tum apud Ethnicos πολύσημοι, pro occasionibus & vocibus quibus conjunguntur.

16. I. Hebraïca vox pro *vento* passim sumitur, ubi conjungitur verbo *flare*, cùm agitur de tempestatibus, de navigatione, &c. Vid. Jerem. XLIX. 36. & Ezech. XLII. 20. &c. Idem significat πνεῦμα in verbis Christi, Joann. III. 8. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, &c.* Ita *Columella*, Lib. III. c. 19.

III. c. 19: *Præstat eligere sationi silentis, vel certè placidi spiritûs diem.* Præterea πνεῦμα pro secundo vento sumitur, adeóque pro fortuna. Apud *Euripidem*, in Hercule furente:

——Βίαν δὲ δράσῃς μηδὲν, ἢ πείσῃ λίαν
Ὅταν θεοῦ σοὶ πνεῦμα μεταβαλὸν τύχῃ.

Nihil vi feceris, aut nimiùm patieris, cùm Dei tibi spiritus mutatus fuerit. *Aura* quoque, quæ vox est συνώνυμος, apud Latinos *favorem* passim sonat, ut omnes nôrunt. Hinc paulùm deflexâ significatione, vaporem quemvis significat, & odorem, apud *Lucretium*, Lib. III.

——*Bacchi cùm flos evanuit, aut cùm*
Spiritus unguenti suavis diffugit in auras.

II. Apud Latinos, significat *Aërem*, ut auctor est *Plinius*, Lib. II. c. 5. *Proximum, spiritus quem Græci nostrique eodem vocabulo aëra appellant.* Ita manifestò sumitur, apud *Virgilium, anima* Ecl. VI. 31.

Námque canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarúmque, animæque, marísque fuissent,
Et liquidi simul ignis.

Hebræi quidem, si Lexicographis credimus, nullam vocem habebant, quâ *aërem* exprimerent, exceptâ voce *cælum*; quæ præcipuè tamen eam aëris partem, quæ paulò superior est, significat; sed fortasse רוח aërem interdum signabat, eúmque sensum sunt qui suspicentur inesse vocibus obscuris, quæ occurrunt, Gen. I. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas*; adeò ut hoc velit Moses, terram aquis fuisse tectam, aquas aëre involutas; quæ fuit etiam Phœnicum Theologia, si modò eam rectè exposuit *Philo Byblius*, seu ex *Sanchoniathone*, seu ex alio. *Eusebius* enim Præp. Evangel. Lib. I. c. 10. ita de ejus sententia loquitur: τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, καὶ χάος θολερὸν, ἐρεβῶδες: *principium omnium ponit aërem tenebricosum & ventosum, seu spiritum aëris tenebricosi, chaósque turbidum & caligine circumfusum.*

III. Passim apud tres, quas memoravimus, Gentes, voces allatæ *halitum* significant; neque in re notissima opus erit exemplis. Circumstantiæ locorum dumtaxat attendendæ sunt, & phrases in quibus occurrit, ut *ducere, trahere, suspendere, elidere spiritum &c.* Apud Hebræos, præterea *spiritus*

ritus oris non halitum modò, sed & loquelam significat, ut Psalm. XXX. 5. *Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Vid. Esai. XI. 4. 2 Thessal. II. 8.

IV. Quia autem, dum spiritum ducimus, adest corpori Mens nostra; seu quòd Veteres putarent Mentem haud absimilem esse flatui; vocibus iisdem, quibus flatum, seu halitum significabant, designârunt Mentem, & præsertim tribus aliquoties allatis. Exempla ubique occurrunt. Vide Act. XIX. 21.

V. Propter eamdem rationem, subinde spiritus vitam significat, seu eam dispositionem quâ corpus movetur, ac nutritur. Ita Paulus, Act. XX. 10. dicit ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἐστιν, hoc est, vita ejus in eo est. *Virgilius* Eclog. IV.

O mihi tam longè maneat pars ultima vitæ,
Spiritus, & quantùm sat erit tua dicere facta!

Hoc sensu sæpiùs apud *Justinum* occurrit. Illustrat locum Actorum, hic *Livii* Lib. XLII. c. 16. de Eumene lapidibus prostrato: *Ad corpus Regis primò amici, deinde satellites ac servi concurrerunt, tollentes sopitum vulnere, ac nihil sentientem. Vivere tamen, ex calore & spiritu remanente in præcordiis, senserunt.* Nempe cordis palpitatio non cessaverat.

VI. Philosophi vocibus πνεῦμα & *spiritus* significârunt eam vim, quæcumque sit, quâ plantæ vivere, id est, ali & vigere putantur; seu tenuissimam auram eam crederent, seu aliud quidpiam. Ita Scriptor libri *de Mundo* πνεῦμα vocat τὴν ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις καὶ διὰ πάντων διήκουσαν ἔμψυχόν τε καὶ γόνιμον οὐσίαν, *substantiam animatam, & genitalem, quæ est in plantis & animalibus, & per omnia sparsa.* Vide & *Theophilum Antiochenum*, Lib. II. p. 67. Ed. Oxoniensis, ubi πνεῦμα vocat brutorum animas, mentem humanam, & materiam lucis, quæ ante Solem condita fuerat. Eodem sensu, sumi videtur רוח *rouach*, Ps. CIV. 25. ubi Psaltes de plantis, non minùs quàm de animalibus, loquutus, subjicit: *Aufers spiritum eorum, deficiunt, & in pulverem suum revertuntur; mittis spiritum tuum, creantur, & innovas faciem terræ.*

VII. Lexica quævis Hebraïca docebunt רוח pro affectibus animi passim sumi, ut *spiritus Zelotypiæ*, pro zelotypia, & *alius spiritus*, Num. XIV. 24. pro alia affectione; quâ ratione πνεῦμα sæpiùs sumitur in Novo Testamento, ut *spiritus servitutis*, *spiritus adoptionis*, &c. Latini *spiritum* ἐνικῶς & *spiritus* πληθυντικῶς adhibent, ad significandam animi elationem, quorum exempla suppeditabit *Rob. Stephanus.* Apud *Horatium*,

spiritus

ſpiritus avidus, Carm. II. Od. 2. eſt idem ac *aviditas divitiarum*; *ſpiritus hoſtiles* in *Tacito* Hiſt. Lib. IV. c. 57. eſt animi affectio hoſtilis. Affinis huic ſignificationi eſt ea, quâ indolem ſignificat, ut Luc. I. 17. *Spiritus Eliæ*, hoc eſt, indoles quæ in eo fuit; & 1 Joan. IV. 3. *Spiritus Antichriſti*. Ita cùm Chriſtus Apoſtolis exprobrat *quòd neſcirent cujus ſpiritûs eſſent*, eos reprehendit quòd ignorarent quænam eſſe deberet affectio animi eorum, qui Evangelio inſervituri erant. Sola etiam vox רוח, apud Hebræos, ſine adjectivo, & ſubſtantivo, *iram* ſonat, ut Jud. VIII. 3. de Ephraïmitis, quos molli alloquio iratos placaverat Gideon: *remiſit ſe ſpiritus eorum ab eo*; hoc eſt, eorum lenita eſt ira. Ei juncta vox רעה, *malus* diſcordiæ ſignificationem infert, Jud. IX. 23.

VIII. In Novo Teſtamento, peculiariter ſumitur non pro Mente tantùm, ſed pro Mente oppoſita affectibus, ex corporeis rebus orientibus. Paulus præſertim voce illâ hoc ſenſu utitur, ut cum opponit, Rom. VII. & VIII. *carnem ſpiritui*, & dicit *vivendum eſſe ſecundùm ſpiritum*, hoc eſt, ſecundùm lumina Mentis affectibus ſolutæ.

IX. Hebræi ſpiritum vocant rem quamvis, aut incorpoream, aut ſaltem craſſiori corpore non impeditam, Eſ. XXXI. 3. *Ægyptii homines, non Deus; & equi eorum caro, nòn verò Spiritus* ולא רוח *vlo rouach.*

X. Angelos ſeu bonos, ſeu malos, vocant iidem *Spiritus*; fortè quòd crederent eos corpore indutos tenui auræ ſimili; neque enim putandum eos Angelos intellexiſſe, ſine ulla corporis miſtura, ut Philoſophi hodierni. Putabant, ut paſſim liquet, cerni eos poſſe, ſed corpora eorum tenuiora cenſebant, ut apparet ex dicto Chriſti: *Spiritus non habet carnem, neque oſſa* Luc. XXIV. 37, & 39. quo oſtendit ſe eſſe hominem, non Angelum.

XI. Deum quoque ipſum *Spiritum* vocabant, *Deus eſt Spiritus*, Joan. IV. 24. In Veteri Teſtamento paſſim *Spiritus Dei* pro Deo ipſo ſumitur, ſi credimus Lexicographis & Interpretibus. Sed licèt id quod *Spiritus Dei* vocatur videatur eſſe ipſe Deus, attamen qui eâ phraſi uſi ſunt videntur cogitâſſe de aliquo attributo divino, potiùs quàm de Deo ipſo, qui *ratione*, ut loquuntur Scholaſtici, à ſuis attributis diſtingui poteſt. Hoc liquebit expendenti loca, in quibus ea phraſis occurrit; etenim nullus eſt, in quo commodiùs non poſſit exponi potentia divina, aut vis quædam oculis non conſpicua.

XII. Theologi Chriſtiani veteres & recentiores plurima horum locorum *Spiritui Sancto* aptabant, hoc eſt, tertiæ Sanctæ Triadis Perſonæ. Quo ſenſu paſſim in Græcorum & Latinorum Patrum, hodiernorúmque Theologorum occurrit.

XIII.

XIII. Sed nonnulli ex antiquioribus Christianis non hanc modò, quam tertiam dicimus, Personam *Spiritum Sanctum* vocarunt, sed etiam secundam, ut apparet ex hisce *Theophili* * *Antiocheni ad Autolycum* verbis, ubi περὶ τοῦ λόγου loquutus addit: οὗτος οὖν ὢν πνεῦμα θεοῦ, καὶ ἀρχὴ, καὶ σοφία, καὶ δύναμις ὑψίστου κατήρχετο εἰς τοὺς προφήτας: *Hic ergo cùm esset Spiritus Dei, & initium, & sapientia, & potentia altissimi descendit in Prophetas.*

XIV. At praeterea *Spiritus Sanctus* vocatur potestas miracula edendi, quorum multa in N. Testamento mentio; hoc est, divinae potentiae effectus. Sumitur & pro *spiritu sanctitatis*, seu pro ea animi affectione quâ sancti sumus, & sanctè officiis à Christo praescriptis fungimur.

XVI. Apud *Hermam*, Apostolicorum temporum Scriptorem, *Spiritus Sanctus* sumitur pro *mente humana*, ut Simil. V. c. 7. *Corpus hoc tuum custodi mundum atque purum, ut Spiritus ille, qui inhabitabit in eo, testimonium referat illi*, &c. *Si in futurum non maculaveris corpus tuum, & Spiritum, consortes sunt enim ambo, & alterutrum sine altero non inquinatur.* In eadem similitudine, §. 5. mentem Christi vocabat bis *Spiritum Sanctum*, & de quovis homine ita loquitur: *Accipiet mercedem omne corpus purum, ac sine macula repertum in quo habitandi gratiâ constitutus fuerit Spiritus Sanctus*, hoc est, mens sancta.

XVII. Hae sunt potissimae notiones vocis *Spiritus*, prout cum variis jungitur vocibus, aut diversis occasionibus usurpatur. Ut verba perspicua rebus non notis lucem foenerantur: ita & res notae vocibus ignotae, aut ambiguae significationis. Quod si res ipsa sit obscura, aut planè ignota, & vocabula quibus exprimitur ambigua; tum frustra simus, si nos eorum ope rem clarè intellecturos speremus. Praeterea scire nos oportet quàm latè patuerit cognitio ejus qui loquitur; alioqui periculum est maximum, ne ex nostrae cognitionis modo de ejus cognitione judicantes in errorem delabamur. Si autem hoc etiam ignotum sit, & accedat ad ambiguitatem vocum, & obscuritatem ipsius rei; tum planè est ἀδύνατον intelligerē quid voluerit Scriptor, quem legimus. Atque hoc saepe in rebus, quae sensus non afficiunt, evenit. Hinc conficiendus hic Canon: *quando Scriptor quispiam, de re obscura verba faciens, utitur vocibus ambiguis, nec aliunde nobis constat quousque ejus cognitio, in hoc negotio, porrecta fuerit, confugiendum esse ad* ἐποχὴν *tamquam ad anchoram sacram.*

---

* *Lib. II. p. 81. Ed. Oxon. in 12.*

CAPUT VI.

V.

Significationes vocum earumdem modò ampliores esse, modò arctiores.

1. UT notiones compositæ plures aut pauciores habere possunt partes: ita etiam vocibus, quibus exprimuntur, amplior aut arctior est significatio. Id contingit cùm in sermonibus omnium Gentium, tum in unius ejusdémque Scriptoris libris, atque in colloquiis quotidianis. Hinc nascitur maxima intelligendi difficultas, quæ aliter superari nequit, quàm cognitione opinionum eorum qui loquuntur, undecumque tandem hauriatur, atque acri attentione, qua consequentia cum antecedentibus, rebúsque ipsis & dogmatibus loquentium diligenter comparentur. Nam cùm loquela homini data sit, ad animi sensa exprimenda, Linguarum aut hominum vitio passim fit ut ex animi sensis, aliunde notis, verba sint intelligenda; quod exemplis clarius fiet.

2. Variæ Gentes & diversarum Sectarum homines utuntur voce *Justitia* aut aliis, quæ idem significare censentur, in aliis Linguis; sed omnes æquè amplam voci non subjecerunt potestatem: *Cicero* Justitiam * ita describit: *Justitiæ primum munus est ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuriâ; deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis.* Alii brevius: *justitia est, quâ unicuique suum redditur.* Ut cognoscamus penitiùs quousque pateret notio virtutis, quam Romani *Justitiam* vocabant, observandum eam primùm spectasse eos, qui non *lacessiverant injuriâ*, seu publicè, seu privatim. Itaque si quis lacessivisset, poterat vir justus injuriam sibi illatam privatim, privatis opibus ulcisci. Si quis pariter populus Rempublicam læsisset, omnibus qui Reipublicæ membra fuerunt, post indictum per Fecialem bellum; non modò licitum sed etiam præceptum fuit hostiles agros invadere, prædas agere hominum & pecudum, omnia igne & ferro vastare, non pro ratione injuriæ; quæ numquam tam levis fuit, quin Populi Romani majestas læsa videretur, adeoque armis etiam in vastissimarum provinciarum innocuos incolas vindicanda. Si qui socios Populi Romani, armis ab

* *Officior. Lib. I, c. 27.*

hisce

hisce impetiti, quamquam iniquè, bello persequerentur, *æquum* censebat Populus Romanus sociorum hostes injuriam acceptam sibi condonare, nisi vellent in se Romana arma convertere; quamvis ab ullo simile quidpiam sibi imponi non paterentur.

3. Secundo, quod dicitur *suum* unicuique reddendum, non caret obscuritate; neque enim definierunt accuratè, quid unicuique *suum* dici possit. Itaque nec privati, nec populi probè nôrant quod ab se unicuique redditum oportuit. *Sua* videtur unicuique esse vitæ tranquilitas, & pacata facultatum fruitio; saltem dum aliena jura, quæcumque tandem illa sint, non invadit. Hæc non diffiteantur Romani, sed si adjicias, eum cui *suam* tranquilitatem deberi fatebantur, dum ab eo lacessiti non erant, injuriam illis intulisse; jam verò negabunt se ullâ justitiâ teneri, ne eam tranquilitatem turbent.

4. Tertiò, ultioni modum statuendum à viro justo aiebant, seu illa ultio fieret ex Legibus, seu iis viis, quas impunè licuit ingredi. Verùm ita loquuntur, ubi sermo est de civibus Romanis, aut sociis; sed ad hostes quod attinet, nihil non licitum fuit, & summa sævitia virtutum etiam nominibus velabatur; * *auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atque ubi solitudinem fecerant, pacem appellabant.* Neque hæ sunt dumtaxat Romani nominis hostium querelæ, habemus reum confitentem *Sallustium*, cujus hæc sunt verba initio *belli Catilinarii*, de priscorum Romanorum moribus, quorum laudes persequitur: *Jurgia, discordias, simultates cum* HOSTIBUS *exercebant: cives cum* CIVIBUS *de virtute certabant.* Cùm hostibus nihil condonarent, *in pace* (domi) *beneficiis magis quàm metu, imperium agitabant; & acceptâ injuriâ, ignoscere quàm persequi malebant.* Hinc meritò † Carneades omnibus populis qui florerent imperio, & Romanis ipsis, qui totius orbis potirentur, si justi esse vellent, hoc est, si aliena restituerent, ad casas fuisse redeundum, & in necessitate ac miseriis jacendum dictitabat. Si Romani candidè interroganti respondere de *justitia* voluissent, fassi profectò essent, quod faciunt Athenienses apud *Thucydidem* Lib. V. ὅτι δίκαια μὲν ἐν τῷ ἀνθρωπείῳ λόγῳ ἀπὸ τῆς ἴσης ἀνάγκης κρίνεται, δυνατὰ δὲ οἱ προύχοντες πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς ξυγχωροῦσι· *justa quidem ex hominum æstimatione, ab æquali utrimque necessitate dijudicari; superiores potentia sua uti, infirmiores verò concedere.* Ejusmodi etiam *justitia* fuit

* *Tacitus in vita Agricolæ. c. XXX.*
† *Lactantius Inst. Div. Lib. V. c. 16.*

Alexandri Macedonis, qui *Musicano* bellum illaturus erat, quòd alios Indos subigenti sibi obviam non processerat, se & ditionem suam diditurus, neque per legatos amicitiam petierat, neque dona miserat, neque quidquam ab Alexandro petierat; eique non pepercit priusquàm cum ingentibus muneribus veniret, se & gentem dedens, καὶ ὁμολογῶν ἀδικεῖν, *fassus se injuriâ affecisse* Alexandrum, cui nihil debebat: ὅπερ μέγιστον παρ' Ἀλεξάνδρῳ ἦν, ἐς τὸ τυχεῖν ὧν τις δέοιτο, *quod maximum erat, apud Alexandrum, ad ea quæ quis petiisset impetranda*, hoc est, ut fateretur jure id deberi, qui nullis legibus tenebatur. Hæc *Arrianus* Lib. V. p. 134. Ed. *H. Stephani.*

5. Igitur, quotiescumque apud Romanos Scriptores legimus quempiam *justitiæ* amantem fuisse, aut simile quid, semper intelligendum erga cives, & quidem non lacessentes. Nam justissimi Romanorum iniqui semper lacessentibus, iniquissimi Reipublicæ hostibus fuere; quod omnibus, qui eorum Historiam legerunt, notissimum est. Exemplo indubitato, hoc licet cernere in gladiatorum ludis, ad quos captivos damnabant. Quid enim injustius, quàm cæde hominum innocentium gaudere? Quid crudelius, quàm cum voluptate promiscuas cædes spectare? At hoc Romanorum sanctissimi factitabant. Id spectaculi genus erat, *quod omni frequentiâ atque omni genere hominum celebrabatur, & quo multitudo maximè delectabatur*, ut docet *Cicero* in Orat. pro P. Sextio, *num.* 124. Verùm tamen hoc spectaculo nimiùm gaudere interdum visi sunt viri Principes. Ita Druso Tiberii Imp. F. vitio versum, quòd cæde gladiatorum delectari videretur: *Edendis Gladiatoribus*, ait * *Tacitus*, *quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus præsedit, quamquam vili sanguine nimium gaudens; quod vulgus formidolosum & pater arguisse dicebatur.* Consuli potest Suëtonius in *Claudio* & *Nerone.* *Arbiter*, in Poëmate de Bel. Civili, inter ævi sui corruptelas hanc recenset:

——premit advena classes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum, populo plaudente, cruorem.

Vide & *Senecam* Ep. 7. Lib. I. Pulcrè ille Ep. XCV. seu Lib. XV. *Homo, sacra res, homini jam per lusum & jocum occiditur, & quem erudiri ad inferenda, accipiendáque vulnera nefas erat, is jam nudus, inermisque producitur, satisque spectaculi in homine mors est.*

* *An. I. c.* 76.

6. Eadem

6. Eadem cautione utendum est, erga alias omnes Gentes, in quibus consuetudines aut leges vigent justitiæ contrariæ. Quotiescumque laudatur inter eas natus, quasi justitiæ addictus, excipienda sunt semper ea, quæ consuetudine Gentis abreptus contraria justitiæ facit. Ita, apud Parthos, abjecti animi esse putabatur Vonones Romæ educatus, quòd humanior illis esset. *Prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia ; & quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis & honestis.* Verba sunt *Taciti* An. II. 2. Egregiè *Sallustius*, in Conjur. Catil. Catonem contra Cæsarem dicentem inducit : *Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri* liberalitas ; *malarum rerum audacia* fortitudo *vocatur.*

7. Contrà, apud Novi Testamenti Scriptores, justitia multò latiùs patet, etenim extenditur ad omnes omnino homines, cives, peregrinos, amicos, inimicos, quibus quod *suum* est tribuere jubemur ; *suum* autem est, quidquid nobis ipsi tribui vellemus, si eorum loco essemus. Ideò quotiescumque de *justitia* sermo est, intelligenda est virtus multò Romanâ justitiâ amplior & nobilior. Vide *Heur. Hammondum*, ad Matth. I. 19. Græci, nequiores alioquin in aliis quàm Romani, primùm conspecta ejusmodi spectacula horruerunt. *Livius* Lib. XLI. c. 20. *Gladiatorium munus Romanæ consuetudinis primò majore cum terrore hominum insuetorum ad tale spectaculum, quàm voluptate dedit ; deinde sæpiùs dando, & modò vulneribus tenus, modò sine missione etiam, familiare oculis gratiúmque id spectaculum fecit.* Ἀθηναίων σκεπτομένων κατὰ ζῆλον πρὸς Κορινθίους καταστήσασθαι θέαν μονομάχων, προσελθὼν Δημώναξ εἰς αὐτοὺς, μὴ πρότερον, ἔφη, ταῦτα ὦ Ἀθηναῖοι ψηφίσησθε, ἂν μὴ τοῦ ἐλέου τὸν βωμὸν καθέλητε : *cùm Athenienses consultarent, Corinthios imitati, de spectaculo gladiatorum constituendo, accedens ad eos Demonax : non priùs, inquit, Athenienses hæc decernetis, quàm misericordiæ aram sustuleritis.* Verba sunt *Luciani*, in Demonactis vita.

8. In iisdem libris, ἀγάπη *amor*, aut *charitas*, non minùs latè patet quàm justitia, nec multùm ab ea differt. Etenim extenditur ad omnes homines, cujuscumque sint Gentis, ac Opinionis ; quos *proximos* nobis esse Christus docuit, adeóque charitatis nostræ participes esse oportere ostendit. Charitas non spectat modò ea quæ ad hanc vitam mortalem, aut ad corpus ; sed ea etiam quæ ad animum, & alteram vitam pertinent.

9. Attamen, apud varias Christianorum familias à multis sæculis usu receptum est omnia humanitatis jura iis negare, qui audent consecratis sententiis fidem derogare, eósque ex-

quisitis suppliciis & morte, cætera innocentissimos, plectere. Creditur illa immanitas nequaquam *charitati* repugnare; unde colligamus oportet eas familias voci *charitatis* tam amplam non subjecisse potestatem, ac olim Apostolos.

10. Igitur cùm id genus Christiani *Sanctos*, quos vocant, nuperos laudant, ob summam charitatem, quâ flagrabant; intelligenda est non charitas Apostolica, quæ in Judæos ipsos incredulos & Samaritas ferebatur, sed charitas quæ ad *Hæreticos*, ut vocari solent, nequaquam porrigitur. Ita charitate, at non Apostolicâ, flagrabat *Dominicus* ille novæ Monachorum familiæ Princeps initio sæculi decimi tertii, qui ob *charitatem* laudatur, & teste * ejusdem familiæ Scriptore, *prædicans contra Albienses in adjutorium sumpsit quasdam devotas personas, zelantes pro fide, quæ corporaliter illos Hæreticos gladio materiali expugnarent, quos ipse gladio verbi Dei amputare non posset.* Hinc satis liquet charitatem, si quæ fuit in Dominico, multùm ab Apostolica discrepâsse.

11. Hinc colligere est diligenter esse cavendum, ne, quia intelleximus quæ sit definitio virtutis aut affectionis animi, certo nomine appellatæ, apud celebrem quempiam Scriptorem, ideò putemus. quotiescumque id nomen occurret, seu apud Scriptores alii Religioni addictos, seu etiam apud alios, qui eodem nomine censentur, ideò nos scire quâ ratione ubique sit intelligendum. Quod nisi caverimus, in gravissimas hallucinationes passim delabemur, & diversissimas notiones, ob communionem nominis miscebimus. Possemus ostendere non rarò, in Ecclesiastica præsertim historia, ita peccatum, & quotidie peccari.

12. Exempla allata ex Gentibus integris, aut certè ingenti hominum numero petita sunt, sed sæpe evenit, ut Scriptor singularis vocem quampiam arctiori multò aut latiori sensu intelligat, quàm alii. Ita, apud Apostolum Jacobum, *fides* significat adsensum dogmatibus Religionis præbitum, etiam sine probis moribus; at, aliis in locis N. Testamenti, πίστις denotat universum præceptis divinis præbitum obsequium, tam in vita, quàm in persuasione situm; alibi etiam alia, ut docebunt *H. Grotius* in Procemio Ep. ad Romanos & *H. Hammondus* in Matth. VIII. 10. ad quem etiam vide additamenta nostra.

13. Imò in uno eodémque Scriptore, interdum elegantiæ est vocem eamdem contiguo loco, sensu alio, arctiore aut latiore, ponere. Species est ea in re ἀντανακλάσεως. Est

* *Antonin. in Chron. P.* 3. *tit.* 23. *c.* 14. §. 2.

ἀντα-

ἀντανάκλασις, ait summus * eloquentiæ Magister, *ejusdem verbi contraria significatio. Cùm Proculeius quereretur de filio, quòd is mortem suam* exspectaret; *& ille dixisset se verò non* exspectare; *imò, inquit, rogo* exspectes. Verùm ubi manifesta est ἀντανάκλασις, res in proclivi est, at sunt loca, in quibus obscurior multò est; aut in quibus non Rhetoricâ figurâ mutatur vocis significatio, & datâ operâ, sed consuetudine quadam minùs accuratè loquendi. Ita Rom. IV. 9. πίστις est magnifica persuasio, de potentia & constantia divina, ab Abrahamo concepta; vers. verò 13. πίστις est *Evangelium*, aut obsequium Evangelio præbitum, cujus ope credentes, seu filii Abrahami in omnibus Gentibus fuere; adeò ut dicere queamus ob fidem posteritatem spiritualem Abrahami orbem terrarum possidere. Idem illâ voce significatur Cap. V. vers. 1. & alibi, in eadem Epistola. Præterea Cap. IV. 5. vox πίστις innuit oppositionem quamdam operibus legalibus, quasi πιστεύειν & ἐργάζεσθαι sint opposita. Vult eo in loco Paulus homines salutem non consequi Mosaïcæ legis observatione, sed fide Evangelicâ; quæ docet præterita omnia in Legem peccata, imò & rituum neglectum, in posterum non effectura ut quis damnetur, si modo Evangelio credens eidem obsequatur.

14. Hinc videmus, in unius orationis contextu, vocem unam sæpe habere plures aut pauciores subjectas notiones. Manifestum enim est πίστιν Abrahami nihil esse, præter magnificam existimationem de Dei potentia, bonitate, & veracitate. Nec minùs perspicuum est, Paulum, ubi de Christianis loquitur, intelligere aut Evangelium, aut fidem Evangelio adhibitam; ex cujus vocis notione excludit tantùm obedientiam legalem, non Evangelicam.

15. Igitur non licet semper hujusmodi ratiocinatione uti: *Vox quæpiam significat aliquid primâ, mediâ, aut desinente oratione; ergo eadem est ejus in omnibus orationis locis, in quibus occurrit, significatio.* Scriptores enim passim aut incauti, aut datâ operâ, voci cuipiam in eadem oratione plures vel pauciores notiones subjiciunt, non monitis Lectoribus; aut, quod eodem redit, vocum significationem urgent non semper totam, sed tantùm quatenus hæc aut illa complectitur, licèt quàm latè pateret vocum significatus in usu vulgari, non ignorarent. Atque hoc fieri certum est ab omnibus pœnè Scriptoribus, si Geometras excipias, quibus non licet ab allata vocis definitione latum unguem discedere.

---

* *Quintil. Inst. Lib. IV. c. 4.*

CAPUT VII. VI.

Propriam vocum significationem cum tralatitia non esse confundendam.

1. PROPRIAM vocamus potestatem eam, quæ, ante omnes alias, est voci subjecta. *Tralatitia* verò est quævis alia, licèt ad rem ipsam quod attinet coïncidat cum propria. Ita vocis *mortalis* propria significatio est, quâ morti obnoxium significat; sed *minùs proprie hominem* designat, quia homines morti obnoxii sunt. Sæpe tamen significat simpliciter hominem, non magis prout morti obnoxium, quàm prout ratione utentem, aut ornatum quavis aliâ dotum, quibus præditus est.

2. Exempli causâ, *Tacitus* de Nerone, Annal. XV. 23. *Memmio*, inquit, *& Verginio Rufo COSS. natam sibi ex Poppæa filiam ultra* mortale *gaudium accepit, appellavitque Augustam.* Licèt *mortale gaudium* sit affectus hominis, attamen ita non vocatur *mortale gaudium*, quod hominis fuerit, sed quia fuit in Natura morti subjecta. Voluit indicare *Tacitus* Neronem lætitiam majorem testatum, quàm quæ decuit morti obnoxium; qui non debet nimiùm lætari, ob natos liberos morti itidem obnoxios, quique adeò parentum non sunt proprii, sed iis fortè in breve tempus mutuo dati. Itaque incommode Paraphrastes Gallus nuperus interpretatus est hæc verba: *ultra humanam lætitiam.* Hoc satis apparet ex sequentibus, ubi *Tacitus* de honoribus in infantem collatis: *quæ fluxa fuere, quartum intra mensem defunctâ infante.*

3. Eadem vox quandoque humanum genus, non prout est morti obnoxium, sed simpliciter homines denotat. Ita * *Claudius Quadrigarius* Annal. XIII. dixit *concione dimissâ, Metellum in Capitolium venisse cum mortalibus multis*, quæ loquutio apud *Sallustium* etiam occurrit. Scio quidem ἔμφασιν quandam in illa voce, eo in loco, quæsitam; sed ea non ita urgetur, quasi de morte cogitarit *Quadrigarius*.

4. Sæpe in confundendis significationibus propriis & tralatitijs peccatum cujus peccati ex celebri Pauli loco proferemus exemplum. Galatas, Cap. IV. 8. ita alloquitur: οὐκ εἰδότες θεὸν ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *ignorantes Deum servivistis iis, qui* naturâ *non sunt Dii. Hugo Grotius*, post aliquot ve-

* *A. Gell. Lib. XIII. 28.*

teres Interpretes, interpretatur: *qui reipsâ Dii non erant*, quales certè fuere ii, de quibus Paulus loquitur. Verùm licèt ab ipsa re non aberret, à vi propria loquutionis multùm recedit. Quod ut animadvertatur, negante particulâ demptâ; quærendum est quid significetur vocibus φύσει θεός. Hacce Phrasi nihil significari posset aliud, nisi is qui κατ' ἀντίθεσιν ad Ethnicorum Numina, dici à Judæis & Christianis quivit *naturâ suâ Deus*, non hominum institutione, vel opinione. Igitur ὁ φύσει θεὸς est Numen quod hominum tantùm voluntate colitur, sua autem naturâ divinum nihil habet. φύσις. nempe, hîc opponitur θέσει, adeò ut ὁ φύσει θεὸς idem sit ac θέσει θεός. Ita dicebat *Chrysippus* in Libro περὶ καλοῦ, φύσει τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μὴ θέσει. *naturâ esse justum, non institutione*, ut auctor est in ejus vita *Laërtius*.

5. Ne videamur divinare, exempla hujusce phraseos proferemus, quæ rem extra dubitationis aleam collocabunt. *Ælianus* Var. Hist. Lib. II. c. 19. irridet Alexandrum, quòd vellet, decreto Urbium Græciæ, Deus haberi: γελοίως γε. οὐ γὰρ ἅπερ οὖν ἐκ ΤΗΣ ΦΥΣΕΩΣ οὐκ εἶχε, ταῦτα ἐκ τῶν ἀνθρώπων αἰτῶν ἐκεῖνος ἐκέρδαινεν: *ridiculè, neque enim quæ à naturæ non habebat, ea ab hominibus petita adipiscebatur.* Ethnici, qui suos Deos contendebant naturâ ejusmodi esse, non hominum voluntate in cœlum sublatos, dicebant eos esse κατὰ φύσιν, *secundùm naturam*; Christianorum verò Deum, nempe, Christum, esse παρὰ φύσιν *præter naturam.* Æmilianus Ægypti præfectus ita Dionysium Alexandrinum, aliósque Christianos, apud *Eusebium* Lib. VII. c. 11. alloquitur. Δεδώκασιν ἐξουσίαν ὑμῖν σωτηρίας, εἰ βούλοισθε ἐπὶ τὸ ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ (Θεῖον δηλονότι) τρέπεσθαι, καὶ θεοὺς τοὺς σώζοντας αὐτῶν τὴν βασιλείαν προσκυνεῖν, ἐπιλαθέσθαι δὲ τῶν ΠΑΡΑ ΦΥΣΙΝ: *Domini potestatem vobis fecerunt saluti vestræ consulendi, si modò velitis converti ad* (Numen) *quod est* SECUNDUM NATURAM, *& Deos qui ipsorum imperium tuentur adorare, eorum verò qui sunt* PRÆTER NATURAM *oblivisci.* Cùm respondisset Dionysius se solum Deum omnium rerum opificem culturum, reponit Æmilianus: τίς γὰρ ὑμᾶς κωλύει καὶ τοῦτον, εἴπερ ἐστὶ θεός, μετὰ τῶν ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ θεῶν προσκυνεῖν; *Quis verò vos prohibet & hunc, si Deus est, cum ijs qui* NATURA *sunt Dii, adorare?* Eodem modo loquitur * *Hierocles*, in LXXI Versuum Phythagoricorum, in hæc verba: ἔσσεαι ἀθάνατος θεός. ὁμοιώμενος, ait, τοῖς ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπῶν λεχθεῖσιν ἀθανάτοις θεοῖς, ΟΥ ΦΥΣΕΙ ἀθάνατος θεός: *Fies Deus immortalis*, id est, *similis factus iis, qui initio versuum dicti sunt immortales Dii, non naturâ Deus immortalis.* Dein,

* *Ed. Lond. p.* 313.

 paginâ

paginâ ſequente, docens quî illa ἀποθέωσις fiat, ait Poëtam dixiſſe poſtmodum ἄμβροτος, ὐκ ἔτι θνητός, *immortalis, neque ampliùs morti obnoxius*, ἵνα κατὰ ἀφαίρεσιν τοῦ θνητοῦ ἡ θεοποιΐα ἡμῶν νοῆται, ἅτε μὴ φύσει μηδὲ κατ' ὐσίαν ἡμῖν ἐνυπάρχυσα, ἀλλ' ἐκπροκοπῆς καὶ κατ' ἐπίδοσιν ἐπιγινομένη: *ut, ejus quod morti obnoxium eſt ademptione, nos Deos fieri intelligamus, quippè cùm ea Divinitas nobis neque* naturâ; *neque eſſentiâ inſit, ſed progreſſu & profectu adventitia.*

6. Non ſubſtitit error, in præpoſtera interpretatione vocularum ὐ φύσει, ſed poſito iis interdum ſignificari *reverâ*, eam interpretationem aliò perperam tranſtulit. Paulus de Judaïca Gente loquens Epheſ. II. 3. ἦμεν, inquit, τέκνα ΦΥΣΕΙ ὀργῆς, *eramus naturâ filii iræ, ut & reliqui*, nempe, populi. Ad hunc locum vir ſummus, modò laudatus, affert Gal. IV. 8. ut probet Paulum hoc velle, Judæos fuiſſe *reverâ iræ filios.* Sanè qui ſunt φύσει τέκνα ὀργῆς reverâ ſunt irâ digni, nec ad rem ipſam quod ſpectat, à ſenſu aberrarunt ii ex Veteribus, qui, ante *Grotium*, ita verba Pauli intellexerunt. At non eſt ea propria vocis ſignificatio.

6. Ubi agitur de Gentibus integris, ut in loco Pauli allato, φύσις ſignificat indolem Gentis. *Iſocrates* vocat in Panegyrico Perſas: ἀνθρώπυς μάλιστα τὰς φύσεις διεφθαρμένυς, *homines indolis corruptiſſimæ.* Scriptor libri de Eloquutione, qui *Demetrio Phalereo* tribui ſolet: φύσει, inquit, ἐβραχυλόγυν οἱ Λάκωνες, *naturâ paucis loquebantur Lacones.* Anonymus, apud *Diogenianum* in Βαρυδαίμων: Κρὴς ὑπάρχων καὶ φύσει ποικιλος, *cùm eſſet Cretenſis & naturâ varius.* Sic *Cicero* Lib. I. in Verrem, num. 81. ait Lampſacenos *homines fuiſſe &* NATURA *& conſuetudine, & diſciplinâ leniſſimos.* Pro L. Flacco, ſic de Lacedæmoniis loquitur, num. 63. *Adſunt Lacedæmonii, cujus civitatis ſpectata ac nobilitata virtus, non ſolùm* NATURA *corroborata, verùm etiam diſciplinâ putatur. Salluſtius* initio belli Catilinarii, de priſcis Romanis; *Jus, bonúmque apud eos non legibus, magis quàm* NATURA *valebat.* Itaque Paulus hoc duntaxat vult, Judaïcæ Gentis naturam, ſeu indolem fuiſſe nequiſſimam & irâ divinâ dignam; quod veriſſimum eſſe oſtendit tota Hiſtoria Judaïca. Allata exempla ſatis demonſtrant non in ſingulis modò, ſed etiam in Gentibus integris, ſpectari φύσιν, ſeu *indolem.* Hoc experientia etiam docet, quod verbis Livii exprimemus, non ut ejus auctoritate, in re omnibus nota, utamur, verùm ut Lectoris attentionem eleganti ſermone nobis conciliemus. * *Tam civitatum, quàm ſingulorum hominum,* inquiunt apud

* *L. XLV. c.* 23.

eum

eum Rhodii, mores (φύσεις) *sunt: Gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ; in vinum, in Venerem proniores aliæ sunt. Athenienſium populum fama eſt celerem, & ſupra vires audacem eſſe ad conandum; Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea, quibus fidit ingredientem. Non negaverim & totam Aſiæ regionem inaniora* PARERE *ingenia, & noſtrorum tumidiorem ſermonem eſſe, quòd excellere inter finitimas civitates videamur.* Ita Judæis inſita veluti erat à natura σκληροκαρδία, quam illis paſſim exprobrant Prophetæ.

8. Ex dictis apparet vocabula quædam eſſe quidem ἰσοδύναμα, ad præcipuas partes notionis eis ſubjectæ, quod attinet, quamvis in aliis partibus differant. Cavendum autem eſt ne, prætermiſſo diſcrimine, voces ejuſmodi confundamus; quaſi ſatis ſit, ſi in præcipua ſignificatione iis conveniat. Etenim miſceremus notiones aliqua in re ſimiles, ſed diverſas in aliis; unde parum accurata rerum naſceretur cognitio.

9. *Tacitus*, * in *Germania* ſua, de honore, quem Germani mulieribus exhibebant verba faciens: *ineſſe quinetiam*, inquit, *ſanctum quid & providum putant, nec aut conſilia earum aſpernantur, aut reſponſa negligunt.* Quæri poteſt quid voce *ſanctus* hoc in loco ſignificetur, & nuperus quidem Paraphraſtes interpretatur *divinum*, quæ vox hoc in loco ſynonyma eſt cum voce *ſanctus*, magna ex parte. Attamen quia prorſus idem non ſignificat, ſenſum non adſequetur quicumque in Paraphraſi acquieſcet, nec ulteriùs quidquam inveſtigabit. *Sanctus* hìc ſignificat *venerandum*, & quod *religioſo quodam horrore proſequi par eſt*; nec aliud vult Tacitus, niſi Germanos crediiſſe in mulieribus eſſe neſcio quid veneratione religioſa dignum, & quod futura præſagiret. Ita ‡ eodem libro, ubi narrat Romanos Septentrionalem Oceanum navigare non auſos, ut quærerent, num aliqua Herculis veſtigia iis in locis ſupereſſent: *Sanctius*, ait, *ac reverentius viſum de actis Deorum credere, quàm ſcire*; hoc eſt, viſum eſſe majoris venerationis ac reverentiæ, ſi crederetur potiùs quod narrabatur de Diis, quàm curioſiùs inveſtigaretur navigatione, ut veritas inſpectione comperta eſſet. Paulò poſt † loquitur de neſcio qua quorumdam Germaniæ populorum Dea, quam vulgò ferebant in lacu quopiam lavari coram ſervis, qui poſtea ſubmergebantur, ſubditque: *Arcanus hinc terror*, ſanctáque *ignorantia, quid ſit illud quod tantùm perituri vident.* Ignorantia *ſancta* eſt quæ ex religioſa veneratione proficiſcitur.

* *Cap. VIII.*
‡ *Cap. XXXIV.*
† *Cap. XL.*

Hinc

Hinc factum etiam ut *ſanctus* verendum oris majeſtate ſignificaret, ut in hiſce verſibus *Ovidii Faſtorum* Lib. VI. de Carmenta reſponſum editura :

Vix illam ſubitò poſſes cognoſcere ; tantò
Sanctior, & tantò quàm modò major erat.

10. In Tranſlationibus omnibus periculum maximum eſt, ne proprias ſignificationes cum tralatitiis, & ſynonyma ex parte, cum prorſus ſynonymis miſceamus ; quia, ut alibi diximus, Linguis ita inter ſe non convenit, ut habeant voces planè ἰσοδυνάμους. Hinc vel optimi Interpretes ſatis habent, modò voces quàm maximè ſignificatione iis quas vertunt affines adhibeant ; alioqui ſi vim vocum, quas interpretantur, perfectè ſemper exprimere vellent, paſſim utendum eſſet circumloquutionibus ad voces ſingulas transferendas, quod eſſet moleſtiſſimum, & orationis ſeriem interturbaret. Verùm moniti Lectores caveant ſibi oportet, ne nimiùm Interpretibus credant. Debent quidem tranſlationes haberi adminicula, ad intelligendos Veteres ; ſed non oracula, ex quibus de eorum ſententia certò conſtet.

CAPUT VIII.

VII.

Plurimis vocibus eſſe obſcuras notiones ſubjectas.

1. INTELLIGENDI ſermonis difficultas non ex alia re major naſcitur, quàm ex vocibus obſcuræ notioni ſubjectis Hinc paſſim contingit, ut videamur nobis perſpicuè intelligere, quod non adſequimur ; aut fruſtra laboremus in quærendo quæ notio clara voce deſignetur, cùm nulla clara notio ei ſit ſubjecta. Horùm quidem exempla afferemus in II. Sectione hujus Partis Secundæ ; verùm quædam etiam hîc obſervari queunt, quoniam res ad omnis pœnè generis notiones pertinet.

2. Omnia, quæ nota nobis eſſe dicimus, non ſunt tamen ex æquo nota ; quædam enim penitiùs, alia tantùm ἐξ ἐπιπολῆς nota habemus. Hinc fit ut, cùm de minùs notis loqui neceſſe nobis eſt, cogamur obſcuris notionibus vocabula imponere. In ſermone enim idem evenit, ac in Algebra, ubi quantitati aut planè ignoratæ, aut non diſtinctè notæ, certum

tum nomen imponitur, ut A. B. &c. interea dum ex regulis Artis ad ejus cognitionem contenditur. Ita quoque in quotidiano sermone de innumeris loqui cogimur, quæ obscurissima sunt; quamvis Vulgus interdum notissima esse sibi persuadeat; qua in re differt ab Algebræ cultoribus, qui nomina quidem imponunt quantitatibus ignotis, sed quas ignotas sibi esse nôrunt.

3. Exempli causâ, nemo est qui non quotidie proferat voces, *Vita*, *Animal*, aliásque ex iis ortas, aut similes; at quotusquisque est, qui dicere queat quid animo sibi obversetur, cùm ea vocabula pronunciat? Negant omnes lapides *vivere*, aiunt esse *inanimatos*; contrà plantas *vitâ* frui, & belluas *animâ* esse præditas; at si quæramus à plerisque, qui hæc in ore habent, quid sibi velint, interpretari vix ac ne vix quidem possint. Attamen si ejuscemodi vocibus uti vetarentur, vitam sæpe in silentio degere cogerentur.

4. Cùm adulti innumeris vocabulis hujus generis in sermone & usu quotidiano mentem suam exprimant; infantes, qui primùm loqui addiscunt, aut pueri, qui paulò provectiores sunt, hancce etiam consuetudinem à teneris unguiculis incauti contrahunt. Notiones quas ex occasione sensuum, vel ratiocinatione, seu attentione animi sibi comparant, indigitant certis vocabulis, quantumvis obscuras. Atque hoc quidem vituperandum non esset, si modò scirent ea notionum obscurarum esse nomina; sed quia ita sunt iis vocibus adsueti, ut statim ac proferuntur, adsint animo notiones quarum nomina sunt; & viceversâ, ubi notiones animo obversantur, in promptu habeant vocabula quibus eas indigitent; ideò, inquam, existimant se intelligere optimè quæ dicant, seu claras eorum animo suo obversari notiones.

5. Hinc nobis, ubi legimus Veterum Scripta, duplex nascitur labor, ísque non adsuetis molestissimus. Primò, distinguenda sunt vocabula, quibus subjecerunt potestates claras, ab iis quæ obscuras tantùm subjectas habuerunt. Secundò, ea sermonis eorum comparanda est consuetudo, ut obscuræ illæ notiones non clariores, non obscuriores quàm iis obversabantur, animo nostro præstò adsint, audito vocabulorum illorum sonitu, aut conspectis characteribus, quibus exprimitur is sonitus.

6. Tum demum eos à nobis intelligi existimare debemus, ubi vocabulis eorum lectis; eædem nobis obversantur notiones, seu claræ, seu obscuræ sint, quæ illorum animo aderant, eo tempore quo ea quæ legimus scribebant. Cavendum est vel maximè, ne eum putemus esse oportere verborum, quibus usi sunt, sensum, seu id eorum dogma, quod nos maximè

maximè rationi consentaneum putamus; sic enim sæpissimè quod sentire debuerant, si quod dicebant rectè pensitassent, confunderemus cum eò quod reapse senserunt. Debebant, quantùm fieri poterat, claras potestates vocibus tribuere; sed passim hoc neglexerunt. Itaque frustra conaremur id intelligere quod voluerunt perspicuè, cùm nihil perspicui eorum menti sese objecerit.

7. In Theologia veterum Ethnicorum multa fuere, quæ verbis exprimebantur ejusmodi, quibus verisimile est eos nullum distinctum attribuisse significatum. A Tullo Hostilio dicuntur fana consecrata esse PAVORI & PALLORI, ob eam pugnam, quâ Fidenates & Vejentes vicit. Cùm in media pugna desertum se audiret ab exercitu Albanorum, * *in re trepida duodecim vovit Salios, fanáque Pavori ac Pallori.* Quæri potest an reverâ Tullus existimaret *Pavorem* ac *Pallorem* esse Deos? an verò, illa delubra essent tantùm monumenta, non tam Numinibus consecrata, quàm memoriæ posteritatis? Non videtur posterius, quo posset defendi stultum trepidi Regis facinus, hìc locum habere, quia vota in rebus trepidis concepta eo fine nuncupabantur Diis, ut adjutores essent; quod ut celeriùs facerent, aliquid eis promittebatur. An ergo Tullus credidit, & clarè intellexit duo Numina esse quæ ita vocarentur, & metum hominibus injicerent? At hoc nullo alio ex loco Historiæ Romanæ, à Romanis creditum apparet, & nimis absurdum est; neque, ut opinor, annuisset Tullus, si quis ab eo petiisset, an crederet Pavorem & Pallorem esse Deos, seu Naturas quasdam humanâ præstantiores? Quid ergo tum animo versabat, cùm votum adeò absonum conciperet? Nempe, nescio quid obscuri de Deo, quicumque esset, qui metum suorum pelleret, propitiando.

8. Iidem Romani habebant, in mœnibus suis, fana *Mentis, Virtutis, Honoris, Pietatis, Fidei, Spei, Pudicitiæ, Concordiæ, Pacis, Quietis, Salutis, Felicitatis & Libertatis.* Mihi non fit verisimile totidem Deos, claro animi adsensu, à Romanis esse creditos. Videntur potissimùm voluisse commendare eas virtutes, vel res sanè quàm optandas; licèt fortasse nescio quid obscuri, de Diis mentibus hominum illas virtutes ingenerantibus, aut beneficiis illis homines donantibus, animo versarent. Haud absimili modo mentem Romanorum *M. Tullius*, † in Libris de Natura Deorum, interpretatur: *Quidquid magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine di-*

* *T. Livius Lib. I. c.* 27.
† *Lib. II. c.* 23.

vina

vina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud quod erat à Deo natum, nomine ipſius Dei nuncupabant; ut cùm fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum, &c. *tum autem res ipſa, in qua vis ineſt major aliqua, ſic appellatur ut ea ipſa vis nominetur Deus, ut* Fides, *ut* Mens, *quas in Capitolio dedicatas videmus proximè à M. Æmilio Scauro. Ante autem ab Atilio Calatino erat* Fides *conſecrata. Vides* Virtutis *Templum, vides* Honoris *à M. Marcello renovatum; quod multis ante annis erat, bello Liguſtico, à Q. Maximo dedicatum. Quid* Opis, *quid* Salutis, *quid* Concordiæ, Libertatis, Victoriæ? *quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit.*

9. Credibile eſt priſcos Romanos, neſcio quid ſimile obſcurè cogitaſſe; & ipſe *Cicero* fortè non parum impeditus fuiſſet, ſi ab eo quis quæſiiſſet quid intelligeret voce *Vis*, quam ait Deum nominatam? Nec rectè etiam faceret, ut opinor, quicumque notiones claras ſubeſſe crederet ſequentibus verbis: *Quo ex genere* Cupidinis, *&* Voluptatis, *&* Lubentinæ Veneris *vocabula conſecrata ſunt, vitioſarum rerum, neque naturalium; ſed tamen ea ipſa vitia naturam vehementiùs ſæpe pulſant.*

10. In Philoſophia quoque innumera ſunt vocabula, quibus obſcuriſſimam adjunctam eſſe notionem nemo dubitare poterit, qui vel aliquantiſper expenderit. Si quis legat *Ariſtotelis* præſertim ſcripta Phyſica, facilè animadvertet virum illum, quidquid ejus diſcipuli aut admiratores jactarint, non tam abſcondiſſe datâ operà obſcuris verbis quod clarè intelligeret, quàm obſcuras cogitationes obſcurè expreſſiſſe. Ita initio Lib. I. φυσικῆς ἀκροάσεως, ait ita nos progredi ſolitos, in inveſtigatione naturæ rerum, *ut ab iis quæ ſunt nobis manifeſtiora & clariora viam affectemus ad ea quæ ſunt naturâ clariora & manifeſtiora.* Primò voces σαφὴς & γνώριμος ſunt *relativæ*, nec umquam proferuntur niſi ad aliquem, cui res eſt manifeſta, reſpiciatur. Itaque nihil eſt quod poſſit dici γνώριμον ἁπλῶς, ut loquitur eodem in loco *Stagirita*. Deinde, ſi demus *abſolutas* eas eſſe voces, hæc ſignificabunt quæ *ſimpliciora* naturâ ſuâ ſunt; atque ita eas voces, contra uſum receptum, intellexiſſe videbitur *Ariſtoteles*; quo poſito, hoc voluit, nos ſolitos à compoſitis ad ſimplicia progredi, unde colligit ſibi etiam in Phyſicis ita incedendum, adeóque à *principiis* incipiendum. Si quis ab eo quæſiviſſet, an *principia* rerum naturalium ſint ἡμῖν γνωριμώτερα, quàm ipſæ res naturales? negaſſet ſine dubio. Nam cùm omnes, qui ſenſibus & ratione utuntur, aliquatenus nôrint corpora quæ nos undequaque ambiunt, pauciſſimi ſunt, qui de principiis quibus

bus constant cogitent. Quare ergo ita Physicam suam orsus est, ut videatur contrarium ei quod sentiebat dicere? Nempe, quia non satis intelligebat quid diceret, & obscuras quasdam cogitationes obscuris verbis exprimebat.

11. Atque hoc quidem exemplum non selegimus, quasi eximium, sed quòd librum aperientibus primum occurrerit. Ex mala autem Magistri consuetudine, obscuris acquiescendi ideis, & utendi stylo obscuro, omnes discipulos ejus obscuritas cogitationum ac styli, quasi contagio quædam, pervasit. Cùm in Hispaniam ab Arabibus allata esset ejus Philosophia, circa annum Christi MCCVIII. indéque in Italiam ac Galliam venisset; ex ea nata est Philosophia Scholastica, unde prognata demum Scholastica Theologia; in quibus vix dixeris, résne, an verba sint obscuriora.

12. Verùm non postremis duntaxat sæculis, Philosophia minùs accurata innumeras voces obscuras in Theologiam Christianam invexit, ut cùm sequente Capite, tum alibi ostendemus. Præter Philosophiæ obscuritatem, multùm obfuit perspicuitati, secundo, tertio & quarto Ecclesiæ Christianæ sæculis, ψευδώνυμος eloquentia, quam cæco amore plerique prosequebantur. Dum enim pluris faciunt figuratam & tumidam orationem, quàm simplicem & solâ perspicuæ veritatis vi nitentem sermonem, innumeris vocabulis sine sensu proferendis sese adsuefecerunt. Exempli causâ, à tempore *Augustini*, vix ulla vox frequentior fuit voce GRATIA, ubi sermo est de hominis ad saniorem mentem reditu, & vi cui is reditus debetur. Eâ tamen voce quid significetur, cùm ab iis quæritur, qui ea utuntur, nihil responsi perspicui ferre licet. Hinc factum ut in Galliâ * Jesuita festivi ingenii, non
" inficetè dixerit, *Gratiam* illam divinam, quæ tantùm stre-
" pitum excitavit in Scholis, & tam mirabiles effectus in ho-
" minum animis edit; *Gratiam* illam adeò efficacem, & sua-
" vem simul; quæ de duritie cordis, illæsâ Arbitrii Libertate,
" triumphat, nihil esse tandem, præter NESCIO QUID.
Nec certè ea vox usquam in Scriptura eo sensu legitur quamvis cæteroqui sit πολύσημος. Ubi de Deo sermo est, χάρις *gratia*, ejus *misericordiam*, aut *beneficium* quodpiam significat, nusquam arcanum afflatum; quo sensu eam intellexit *Augustinus*, popularis sanè orator, sed Criticæ imperitus.

13. Itaque cùm ejusmodi Scriptores legimus, & adsueti perspicuis notionibus atque claro sermoni, nitimur definire voces quibus usi sunt; passim frustra laboramus, quia nullam claram potestatem subjecerant plurimis vocabulis. Nul-

* *Bouhours* in Dialogo *du je ne sai quoi.*

la

la definitio vocis Gratia, quæ quadret in notionem *Augustini*, dari potest, præter hanc: *Est nescio quid, quo Deus, ex Augustini sententia, animos nostros ad pietatem ineluctabiliter flectit, idque ab omnibus cùm nostris ratiocinationibus, tum iis quæ extrinsecus nobis objiciuntur distinctum.* Si nitaris clariorem notionem adnectere voci *Gratia*, ea tua erit notio, non Augustiniana.

14. Optandum esset eos qui Lexicis conficiendis operam dant, certâ notâ distinguere vocabula obscura à claris: uti distinguunt barbara aut antiquata, ab usu meliorum sæculorum receptis. Illâ enim notâ monerentur tyrones, imò & sæpe provectiores, ne frustrà laborarent quærendo claram significationem vocis, quam numquam obtinuit; néve suam ipsorum notionem cum Veterum notione confunderent.

CAPUT IX.

VIII.

Voces esse, quibus nulla subjecta est potestas.

1. SI contingeret Polonum & Gallum, vernacularum tantùm Linguarum peritos, unà colloqui, alterum Gallicè, alterum Polonicè; atque finito sermone, utrumque affirmare sibi eo colloquio satisfactum; non possent effugere, quin uterque insanus haberetur. At ausim dicere Philosophos & Theologos Scholasticos, summa cum laude, & eximiæ eruditionis fama, id factitasse non semel, aut iterum, sed μυριάκις. Utuntur enim passim vocibus, quibus obscuram notionem non subjiciunt, quod in antecedenti Capite observavimus, sed planè nullam; & tum quidem potissimùm sese mirificè loquutos esse sperant, atque ab aliis censentur cùm ad raucedinem instar campanarum, sonitum sine mente maximum ediderunt. Cujus rei plurimæ sunt causæ, sed quarum duas potissimas dumtaxat attingemus,

2. Omnes, ut diximus, ab infantia adsuescunt voces proferre ad significanda multa, quæ obscurissimè nôrunt. Adde & pueros tunc putare se rem intelligere, quando nomen, quo designari solet, memoriæ mandârunt. Si puer aliquid videns, quod appellatum coram se non meminerit, quærat quid sit, docetur rei nomen: quo audito, rem credit sibi notam esse, cùm nomen tantùm teneat. Exempli causâ, offeratur vas vitreum puero, quærátque quid sit? Reponitur

vas

vas vitreum. Memoriæ mandat haſce voces, neque quidquam ulteriùs exquirit; ſi verò ab eo poſtea quæratur an ſciat quid ſit, illico regeret eſſe *vas vitreum*, & ſibi rem notam eſſe exiſtimabit, licèt vitri natura ei ſit penitùs ignota.

3. Hinc factum ut quædam etiam, quæ oculis aut aliis ſenſibus non uſurpamus, nominibus afficiamus, licèt nuſquam ſint & propter nomina nota cognoſci à nobis putemus. Cùm quidpiam contingit, cujus cauſa prorſus ignota eſt, dicimus factum id eſſe CASU ſeu FORTUNA, & rem acu nos tetigiſſe putamus, cùm tamen iis vocibus nullam ſubjecerimus notionem. Eleganter * *Democritus*: ἄνθρωποι, inquit, τύχης εἴδωλον ἐπλάσαντο, πρόφασιν ἰδίης ἀγνοίης: *homines finxerunt idolum Fortunæ, propriæ ignorantiæ velamentum.* Cicero in Topicis c. 17. de cauſis: *Latent*, inquit, *quæ ſubjectæ ſunt fortunæ, cùm enim nihil ſine cauſa fiat, hoc ipſum eſt fortunæ eventus, obſcurâ quod † latenter efficitur.* Hiſce tamen non Poëtarum modò, ſed Oratorum & Hiſtoricorum ſcatent Scripta; quæ proinde Periodis, ſenſu carentibus, referta eſſe agnoſcamus neceſſe eſt.

4. Ipſi Philoſophi iiſdem vocibus paſſim uſi ſunt, & ſeriò *Fortunam* & *Caſum* cauſas eſſe phyſicas contenderunt. *Ariſtoteles* ‡ enim, inter eas cauſas, enumerat ΤΗΝ ΤΥΧΗΝ καὶ ΤΟ ΑΥΤΟΜΑΤΟΝ, & hæc ita diſtinguit, ut dicat τύχην verſari circa actiones Naturarum προαιρέσει *facultate eligendi* præditarum; τὸ αὐτόματον verò circa ea, quæ ſunt facultate illâ deſtituta. Si quæras ab *Ariſtotele*, quid ſint illæ cauſæ? pro definitionibus rerum, vocum definitiones profert, ſeu docet quâ occaſione eas adhiberet; nempe, ſe ſolere iis uti, quando aliquid evenit in exſpectatum & cujus cauſa ignoratur. Exempli cauſâ, aliquis aliquò it, quò non ſolet alioquin ire, atque eo in loco accipit pecuniam, de qua ne cogitaverat quidem. Hoc dicit *Ariſtoteles* fieri κατὰ τύχην; ſi verò lapis cadat, à nemine homine pulſus, & frangat aliquid, hoc fieri κατ' αὐτόματον ait.

5. Ne dubitaremus hoc magnum Philoſophum, ut pleraque alia, vulgari ſermoni inædificaſſe, hoc ipſe ſignificat initio Cap. II. ubi dicit, quæ fiunt ſemper, vel ut plurimùm, ea Fortunæ non tribui, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐστί τινα ἃ γίνεται καὶ παρὰ ταῦτα, καὶ πάντες ταῦτά φασιν εἶναι ἀπὸ τύχης, φανερὸν ὅτι ἐστί τι ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον, *ſed quoniam ſunt quædam, quæ fiunt etiam præter iſta, & omnes hæc dicunt eſſe à Fortuna, manifeſtum eſſe Fortunam & Caſum eſſe aliquid.* Naturæ Genius non animadvertit vulgari hac phraſi nihil ſignificari, ſed inde ar-

* *Apud Euſeb. Præp. Evang. Lib. XIV. c. 27.*
† Ita lego, non *qua*.
‡ *Phyſic. Lib. II. c. 4, 5, 6.*

gumentum

gumentum duxit ad probandum esse nescio quas Naturas, quæ esse nequeunt; nam ipse non adsentitur iis, qui dicebant Fortunam non modò esse ἄδηλον ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ sed θεῖόν τι καὶ δαιμονιώτερον, *divinum quidpiam, & humanâ naturâ superius.* Atqui licèt nescirent quid dicerent, tamen poterant videri Numen quodpiam nomine Fortunæ intelligere; quod *Aristoteles* improbat.

6. In Philosophorum accuratiùs loquentium scriptis τύχη *fortuna* & εἱμαρμένη *fatum* distinguuntur; hoc certa causarum series, quæ ineluctabilis est; illa inconstans & mutabilis dicitur. Attamen à multis priscis Scriptoribus confunduntur. Plurima *Lucanus* hujusce rei exempla, plurima alii passim Scriptores suppeditabunt. Duo tantùm, quæ instar omnium erunt, proferemus. *Lucanus* ergo sic Thessalam veneficam loquentem inducit Lib. V. vers. 611. ubi à se Fata violari posse negat:

At simul à prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia FATA *laborant,*
Si quidquam mutare velis. ———
——— *tunc Thessala turba fatemur,*
Plus FORTUNA *potest.*

Curtius Lib. X. c. 5. §. 35. *Cùm plurimum virtuti debuerit* (Alexander) *plus debuit* FORTUNÆ; *quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties illum à morte revocavit? quoties temerè in pericula vectum perpetuâ felicitate protexit? Vitæ quoque finem eumdem illi, quem gloriæ statuit. Exspectavere eum* FATA, *dum Oriente perdomito, aditòque Oceano, quidquid mortalitas capiebat impleret.* Quàm hæ voces obscuræ sint, imò quàm nihil significent ut constet, claram aut aliquam notionem sub iis latentem oportet quæramus.

7. Apud *Aristotelem*, vocibus ΥΛΗ *materia*, ΦΥΣΙΣ *natura*, ΟΥΣΙΑ *substantia*, sæpe nulla videtur potestas affixa; quod haud difficile ostensu esset, nisi instituti nostri ratio obstaret. Ejus sectatores habent etiam multas ejusmodi voces, quales sunt *Attractio*, *Antipathia*, *Sympathia*, *Antiperistasis*, aliæque similes, quæ *Qualitatum occultarum* nomine continentur. Nam quando quidpiam oriri aiunt, à *qualitate occulta*, exempli causâ, quæ *Sympathia* dicitur; idem propè est ac si dicerent, manare id à causa, cujus nullam notionem habent.

8. Quod non ignoscitur Philosophis, id multò minùs in Religione condonandum. At Romani non dubitârunt * templa

* *Vid. Cicer. de Nat. Deor. Lib. III. c. 24. & 25.* & *Plinium Hist. Nat. Lib. I. c. 7.*

 Fortunæ

Fortunæ, & quidem *malæ* consecrare, cùm interrogati non ausi fuissent seriò dicere se Numen cæcum, & varium, quódque omnia súsque déque haberet colere, aut esse Naturam ejusmodi divinam. Quid ergo voce *Fortuna* intelligebant? Nimirum, nihil, & perinde fecissent, si NIHILO fana & aras consecrassent. Quod & Græcorum nonnulli viderunt, teste vel *Philemone*, cujus hi Senarii ex incerta Comœdia supersunt:

Οὐκ ἔστιν ἡμῖν οὐδεμία Τύχη θεός,
Οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ ταὐτόματον, ὃ γίνεται
Ὡς ἔτυχ᾽ ἑκάστῳ προσαγορεύεται Τύχη.

Profectò hominibus nulla Fortuna est Dea,
Nulla, inquam, verùm quidquid temerè provenit
Fortunæ à nobis accipit vocabulum.

Pulcrè etiam hanc in rem *Plinius* Hist. Nat. Lib. II. c. 7. *Invenit inter has utrasque sententias* (superstitionem & impietatem) *medium sibi ipsa mortalitas Numen, quò minus etiam plana de Deo Conjectatio esset. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibúsque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur. Una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur. Volubilis, à plerisque verò & cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorúmque fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta; & in tota ratione mortalium, sola utrámque paginam facit. Adeòque obnoxii sumus sorti, ut Sors ipsa pro Deo sit, quâ Deus probatur incertus.* Hinc non multùm, ut opinor, abfuere, * qui auctore *Æliano*, in Lib. *de Providentia*, aras erexerant *Anno*, *Mensi*, *Senectuti*, *Arti*, *Paupertati*, imò & *Morti*, εἰς γέρας τῇ κοινῇ ἀναπαύλῃ, εἴτουν τῷ τελευταίῳ ὅρμῳ, *in honorem, communis quietis, aut extremi portûs.*

9. Omne quod *honestum* & *laudabile* esse dicebant reliqui Philosophi, id Epicurei *cassum quiddam, & inani vocis sono decoratum esse contendebant*, ut plus semel docet † *Cicero*; nec multùm à vero abfuisse videntur. Quid enim est τὸ καλὸν, si res ipsas spectemus, in Ethnicorum plerorumque scriptis? Nihil prorsus. Erat tantùm opinio quædam, in hominibus, quâ *honestum* quidpiam esse existimabant, cujus rationem reddere non poterant. At à Christianis facilè *honestum* definietur, *quod est humanæ societati utile, adeòque Deo ejus conditori ac-*

* Citatur ab *Eustathio* ad *Dionysii Periegetæ vers.* 45.
† *Tusc. Quæst. Lib. V. n.* 73. & 119.

ceptum. *Epicuro*, vice versâ, exprobrabant alii Philosophi inanes voces, cùm dicebat Deos (quos nomine ponebat, cùm re sustulisset) habere *quasi corpus & quasi sanguinem.* Sic apud *Ciceronem* de Nat. Deorum Lib. I. *n.* 74. Cotta Velleio: *Corpus* inquit, *quid sit, sanguis quid sit, intelligo; quasi corpus & quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intelligo — & ne tu quidem intelligis.*

10. Ne Theologia Ethnica sola hisce vitiis laboraret, operam dedere quidam ex Christianis, qui multos habuere sectatores. Eorum quæ dicunt nullam notionem habent, qui verba faciunt de corpore humano, aliquot pedes longo, quod tamen intra punctum continetur; de corpore unico quod multiplex simul est, & in variis locis unum; de corpore quod penetrat alia, ita ut eadem sit aliorum & ejus extensio, & simul diversa; de figura, pondere, colore, quæ nulli rei insunt, &c. De hisce in Scholis Hispaniæ, Italiæ, Galliæ, Germaniæ ita quotidie disputatur, quasi de re aliqua sermo esset; cùm revera de nihilo loquantur, & hoc tantùm observent, quòd illa verba, quibus nihil significatur, certo quodam situ collocent, quasi aliquid significarent.

11. Haud aliter judicandum videtur de eorum sermone, qui narrant humanam naturam Divinitatis participem factam fuisse, & Divinitatem Humanitatis; illa enim mutua communicatio qualitatum æquè intelligiretur qui diceret esse circulum, qui ita cum triangulo conjunctus sit, ut circulus habeat attributa trianguli, & triangulum circuli.

12. Si quis quærat qui fieri queat ut qui ita loquuntur non animadvertant se sonos sine mente emittere, sed putent se eximiè loquutos, postquàm multa talia effutierunt? Duæ potissimùm videntur esse causæ, quarum alteram suprà attigimus. A teneris unguiculis, adsueti sunt ejusmodi vocabulis audiendis, & proferendis. Præterea ideò falluntur quòd voces quibus utuntur separatim intelligant, quo fit ut etiam conjunctas intelligere sibi videantur cùm tamen conjunctæ repugnantia significent.

13. Itaque hoc est indubitatum, quicumque id proferunt quod repugnat, eos, licèt voces quas usurpant sejunctas intelligant, nullam tamen notionem, quæ toti orationis complexui respondeat, animo observantem habere. Atque hoc multò sæpiùs evenit, quàm vulgò existimatur; ut satis animadvertent peritiores, qui aliorum sermones attendent.

14. Manifestum est loquelâ eos abuti, qui verba proferunt sine sensu; nec quisquam sibi sermonem ejusmodi exprobrari, sine pudore, audiat. Sed quia plurimi in eo peccato deprehenderentur sæpissimè, si verborum quibus utuntur ab

iis significatio quæreretur; hoc ne fieret inventa sunt alia vocabula, seu loquutiones, quibus ejusmodi inquisitio veluti propulsaretur. Philosophi Scholastici, ut jam monuimus, ubi quæritur à se, quid sit *Attractio*, aut *Sympathia*, reponunt esse *qualitates occultas*, quibus verbis qui interrogat arcetur, ne curiosiùs in illa inquirat. Responsio tamen hæc eòdem redit, ac si Philosophus reposuisset: *Equidem usus sum vocibus Attractionis, & Sympathiæ, sed iis nullam notionem adjungo; ideòque frustra à me quæritur quid significent.*

15. Theologi, qui non minùs loqui amant quàm Philosophi, de iis quæ non intelligunt, sæpe æquè verentur simplici hujusmodi oratione uti. Itaque si quis quærat interpretationem multorum vocabulorum, quibus utuntur, non eodem sensu quo alii, regerunt sermonem esse *de re incomprehensibili*, ideòque à ratione humana non debere de ea, ut de cæteris rebus, judicium ferri. Qua sanè in re non falluntur, sed paulò simpliciùs si loquerentur, ita auditores suos compellarent: *Hactenus de re nobis ignota loquuti sumus, vocésque ideò adhibuimus quibus nullam subjecimus potestatem; itaque eas interpretari non possumus.*

16. At neque Philosophi, neque Theologi rem, ut est, profitentur, seu quia ipsi errorem suum non intelligunt, seu quia vulgus, quod simpliciùs multò agit, indignaretur tam prolixas passim orationes haberi de rebus, quas non magis perspectas habent, quàm reliqui homines, & tanto apparatu verborum, quasi sipario, tegi merum NIHIL. Hoc si vulgò notum esset, brevi magna Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ pars æterno damnaretur silentio, & argumentum innumerarum disputationum exaresceret; quod loquendi avidis & in illis tricis innutritis molestissimum accideret. Hanc in rem, memoratu digna sunt verba *Augustini*, * quibus persuadere quidem Lectoribus vellet rem ἀκατάληπτον intelligi, sed verba deesse Theologis, quibus quod intelligunt exprimant; fatetur tamen interea verbis eorum nihil dici: *Dicimus*, inquit, *unam Essentiam, tres autem Personas, quemadmodum multi Latini ista tractantes & digni auctoritate dixerunt; cùm alium modum aptiorem non invenirent, quo enunciarent verbis* QUOD SINE VERBIS *intelligebant. Reverâ enim cùm Pater non sit Filius, & Filius non sit Pater, & Spiritus Sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, cùm nec Pater sit, nec Filius, tres utique sunt. Ideòque pluraliter dictum est*: Ego & Pater unum sumus. *Tamen cùm quæritur quid tres? Magnâ prorsus inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres*

* *De Trinitate Lib. V. c. 9.*

Personæ, non ut ALIQUID *diceretur, sed* NE TACERETUR.

17. Oporteret Lexicographos, qui solent eas voces vocibus aliis sine sensu vertere, simili cautione uti ac erga obscuras; nimirum, observare has quidem voces sensu carere, sed adhiberi certis occasionibus, quæ etiam notandæ essent. *Transsubstantiatio*, exempli causâ, vox est quâ nihil significatur, sed quæ adhibetur à Pontificiis, ubi loquuntur de sententia sua circa præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Similia dixeris de vocibus *Consubstantiatio*, *Communicatio Idiomatum*, aliisque id genus, & plurimis loquutionibus, in quibus occurrunt.

CAPUT X.

IX.

Loquutiones esse plurimas in omnibus Linguis anomalas, & parum accuratas, quæ nimiùm urgendæ non sint.

1. OPTANDUM quidem esset Linguas omnes constantibus quibusdam Regulis adeò adstrictas esse, ut ab iis discedere numquam liceret; atque eas Regulas rationi, & rerum naturæ semper consentaneas esse, ita ut perpetuò ea orationis structura servaretur, quæ quàm optima ad rem perspicuè exprimendam esset. At cùm Linguæ usu & paulatim fuerint inventæ, & à plurimis usurpatæ, qui de Loquelæ fine numquam satis cogitârant, hinc natæ sunt inumeræ Anomaliæ, quibus orationis perspicuitas imminuta est. Usus qui pendet, non à doctissimis & præ cæteris judicio præditis, sed à multitudine potissimùm, multa consecravit; quæ non adsuetis negotium facessunt, & impediunt etiam ne ii, qui Linguis utuntur, animadvertant se obscurè loqui.

2. *Anomalias*, ut ne obscuritate ipsi peccemus dum eam vituperamus, hîc vocabimus non tantùm formulas, quæ generalibus Grammatices Regulis repugnant, sed quæ obstant quominùs res, de qua sermo est, clarè intelligatur; qui qui loquitur obliquiori & impropria utitur oratione, & quæ Regulis ægrè resolvi potest. Exempli causâ, Livius Lib. c. 42. *Moti*, inquit, *irâ numinis causam nullam aliam vaticanebant publicè, privatimque, nunc extis, nunc per aves* CONSULTI, *quàm haud ritè sacra fieri.* Vates non consuluntur extis & avibus, sed ipsi per exta & aves consulunt Deos, his

 enim

enim adſpectis quæ ſit Deorum mens conjiciunt. Atque hoc ipſum voluit Livius, quod explicatiùs extulit *Curtius* Lib. VII. c. 8. *Qui poſt Darium victum ariolos & vates* CONSULERE *deſierat, rurſus ad ſuperſtitionem, humanarum gentium ludibria, revolutus Ariſtandrum, cui credulitatem ſuam addixerat, explorare eventum rerum ſacrificiis jubet.* Similis eſt loquutio *vincere bellum*, πόλεμον νικᾷν, quæ cùm alibi ſæpe, tum *Polyæni* Lib. I. C. XX. §. I. occurrit, neque enim vincitur bellum, ſed homines qui bellant. Νικᾷν ἀγῶνα dicunt iidem Græci, ἀντὶ τοῦ νικᾷν τοὺς ἀνταγωνιστάς. Vide *Epictetum* in Enchir. c. XXV. & alios paſſim.

3. Multa talia apud omnes Scriptores occurrunt, quæ eloquentiæ famam non minuebant apud Gentes quæ ejuſmodi loquutionibus adſuetæ erant; ſed quæ nobis ſæpe moleſta ſunt, & ſæpe impediunt quo minùs ſenſum Veterum adſequamur, aut nimiam attentionem poſtulant. Fateor, ubi res aliunde nota eſt & clara, loquutiones anomalas parum negotii faceſſere, ut in exemplis allatis; ſed ubi res obſcurior eſt, ejuſmodi ſermonis anomaliæ obſcuritatem non parum augent. Quis intelligere poſſet φεύγειν δίκην *fugere litem*, ut φεύγειν δίκην ἀνδροφονίας *fugere litem cædis*, & breviùs φεύγειν ἀνδροφονίας, *fugere cædis*, ſignificare ſimpliciter *accuſari*, & *accuſari cædis*, niſi ex innumeris exemplis, quæ affatim quivis præbent Lexicographi, res conſtaret? Sunt tamen & viri docti, qui in hac phraſi convertenda ceſpitârunt. Sic legem de provocatione ad Populum à Valerio Publicola latam, τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν ὑπάτων τῷ φεύγοντι δίκην ἐπικαλεῖσθαι, vertit *R. Conſtantinus*, *crimen deprecantibus provocationem eſſe à conſulibus ad populum*, cùm debuiſſet vertere *reis*, ſeu *accuſatis*. Eſt locus apud *Plutarchum*, in vita Valerii p. 103. Ed. Wechelianæ.

4. Poſtquàm Linguæ excoli cœperunt, inſtitutæ quidem Analogiæ Regulæ ſunt, ad quas pleraque exigi oportuit; ſed eæ Regulæ numquam omnes uſûs anomalias delere potuerunt; nam in quibuſdam conſuetudo tam altas radices egerat, ut evelli non potuerit. Egregiè hanc in rem * Quinctilianus: *Non cùm primùm fingerentur homines, Analogia demiſſa cœlo formam loquendi dedit, ſed inventa eſt, poſtquàm loquebantur; & notatum in ſermone quid quomodo caderet. Itaque non ratione nititur, ſed exemplo; nec lex eſt loquendi ſed obſervatio, ut ipſam Analogiam nulla res alia fecerit, quàm conſuetudo.*

---

* *Inſt. Lib.* 1. *c.* 6.

5. Si

5. Si ἀκυϱολογίας urgeremus, quasi loquutiones ex Analogicis Regulis intelligendas, difficultates maximæ nascerentur, & lites inter Eruditos non parvæ; quod experientia satis supérque demonstravit, ut exemplis manifestius erit. Genes. II. 2. in Hebraïcis legimus: *Et absolvit* (ויכל *vajechal*) *Deus die septimo opus suum quod fecit, & quievit die septimo ab omni opere quod fecit*, &c. Cùm hoc in commate, ut & sequente, disertè affirmetur Deus septimo die quievisse, ideóque velle ut feriæ eo die observentur; Interpretes non parum impediti fuere, in interpretandis hisce vocibus, *absolvit septimo die*, quæ videntur significare Deum septimo die aliquid operis fecisse. Inde factum videtur, ut Samaritici Codicis exscriptores pro שביעי *schebibhi* septimo, reposuerint ששי *schischi sexto*; quod sequuti sunt οἱ LXX, qui habent ἕκτῃ, nisi ipsi Samaritis facem prætulerint. Recentiores verò Interpretes, nonnulli existimarunt rem confectam fore, si verbum ויכל *vajechal* verteretur, *& absolverat*. Verùm licèt hæc posterior versio nihil habeat Hebraïcæ Grammaticæ contrarium, attamen eò confugere opus non est, quia etiamsi vertes *& absolvit*, idem tamen erit sensus. Multò etiam minùs necesse est quidquam immutare; quod à LXX. Intt. & Samaritis factum censemus, non ab Hebraïci nostri codicis exscriptoribus; quia his nulla fuit causa mutandi *sextum* in *septimum diem*, quandoquidem ad perspicuitatem hoc nihil facit; alii verò mutare potuerunt, ut occurrerent difficultati, quæ inde nasci videbatur. Reverâ si proprietatem sermonis spectemus, accuratiùs loquuntur qui *sexto die* à Deo absoluta sua opera dicunt. Sed in designatione temporis, non ita semper observatur κυϱολογία, quin sæpe rem referamus ad tempus, quod proximè id quo res facta sequutum est. Ita Exod. XII. 15. jubentur Israëlitæ amovere, primo Azymorum die, fermentum domibus suis: *primo die cessare facietis fermentum ex ædibus vestris*. Attamen hoc oportuit factum, sub finem * decimi tertii diei, ante vesperam, quâ inchoabatur decimus quartus, qui fuit primus Azymorum, ut apparet ex vers. 18. & Judæorum usu. Similis est observatio *A. Gellii* Lib. VII. c. 2. ubi ait phrasibus *quoad vivet, quoad morietur, quoad Senatus habebitur, quoad dimittetur*, unum idémque tempus significari: *tempora enim duo*, inquit, *cùm inter se opposita sunt atque cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert utrum per extremitatem prioris, aut per initium sequentis, locus ipse confinis demonstretur*. Hinc *ante* & *post* interdum,

* Vid. & *Lightfootium de Ministerio Templi C. XII.* §. 1.

in deſignando tempore, idem ſignificant. *Lactantius* Inſtit. Divin. Lib. IV. c. 10. Chriſtum ait *ante diem decimum Calendarum Aprilium* cruci affixum. Libro verò de Mort. Perſecut. c. 2. *cruciatus eſt*, inquit, *poſt diem decimum Calendarum Aprilium.* Attamen, ut ad Geneſeos locum redeamus, maluimus, omnibus diligenter expenſis, vertere *intra ſeptimum diem.* Vide quæ ad eum locum ſcripſimus.

6. Matthæus C. XXI. 7. ubi adventum Chriſti aſinâ vecti Ieroſolymam deſcribit, ita loquitur de Apoſtolis eum in aſinæ pullum injicientibus: *Adduxerunt aſinam & pullum & impoſuerunt iis* (ἐπάνω αὐτῶν) *veſtimenta ſua, & inſidere fecerunt eum ſuper iis*, ἐπάνω αὐτῶν. Cùm non veriſimile ſit Jeſum utrique inſediſſe, & Evangeliſtæ alii ὀναρίῳ tantùm vectum eſſe doceant, Interpretes hic in varia abierunt. *Cantabrigienſis Paraphraſis Græco-Latina* habet ſingulari numero: ἐπέθηκαν ἐπ' αὐτὸν (in pullo) τὰ ἱμάτια καὶ ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτοῦ. *Syrus* ita etiam legit, & vulgatus, in fine commatis, omittit αὐτῶν, vertitque *deſuper*, ſed in medio verſu habet *impoſuerunt ſuper eos*; unde apparet in fine omiſſum αὐτῶν, propter difficultatem memoratam. Alii poſterius αὐτῶν referunt ad ἱμάτια, ſed obſtat huic interpretationi prius αὐτῶν, quod ad aſinam & pullum neceſſario referendum.

7. Verùm hæ ſunt παραδιορθώσεις & παρερμηνείαι, cùm hic ſit mera ἀκυρολογία, quâ Matthæus nihil aliud voluit dicere, quàm quod alii. Similem prorſus habemus apud *Homerum* Iliad. K. 513 & 529. ubi de Diomede in unum ex equis Rhesi ſe ſubjiciente: Καρπαλίμως δ' ἵππων ἐπεβήσατο, *ſtatim verò equos conſcendit*, & rurſus:

Τυδείδης δ' ἄρ χαμᾶζε θορὼν ἔναρα βροτόεντα
Ἐν χείρεσσ' Ὀδυσῆϊ τίθει· ἐπεβήσατο δ' ἵππων.

Tydides cùm in terram deſiliiſſet, ſanguinea ſpolia in manibus Ulyſſis poſuit, conſcenditque equos, cùm unum tantùm conſcenderit, Ulyſſe alteri inſidente.

8. Ex Grammaticis Regulis, pronomina demonſtrativa plerumque ad id nomen debent referri, quod proximè antecedit; at nullus Scriptor adeò ejuſmodi Regularum obſervans eſt, ut numquam eas violet. *Homerus*, Iliad. T. poſtquàm retulit lamenta Briſeïdis, & aliarum Captivarum quæ fiebant

Πάτροκλον πρόφασιν, σφῶν δ' αὐτῶν κήδε' ἑκάστη,

ſub prætextu deflendi Patrocli, ſuas ipſarum miſerias; illico ſubjicit verſ. 303.

Αὐτὸν

Αὐτὸν δ᾽ ἀμφὶ γέροντες Ἀχαιῶν ἠγερέθοντο
Λισσόμενοι δειπνῆσαι, ὁ δ᾽ ἠρνεῖτο στεναχίζων.

Senes Achivorum circa eum congregati erant, orantes jentaret, sed is suspirans negabat. At αὐτὸν non refertur ad Patroclum, de quo in antecedente versu, sed ad Achillem, cujus superiùs mentio facta fuerat. Idem observatum est à viris doctis in aliquot N. T. locis, ut Act. 10. 6. 1 Joann. V. 20. in voce οὗτος, licèt de posteriori loco sit orta controversia, quia volunt plerique inde probari Jesum Christum vocari τὸν ἀληθινὸν θεὸν; negantibus cum *H. Grotio* Unitariis, οὗτος referri ad proximè antecedentia verba. Ita usu venit, ut ea loca, quæ in controversiam non veniunt, meliùs intelligantur, quàm ea de quibus certatur.

9. Attici phrasin habuerunt, in eorum Scriptoribus frequentissimam, quæ tamen Analogiæ generali Linguæ Græcæ videtur repugnare. Nempe, pro δίκαιόν ἐστι τοῦτο πράττειν, quo etiam utuntur ut reliqui Græci, dicunt δίκαιοι ἐσμὲν τοῦτο πράττειν, *justi sumus hoc facere.* Ita *Criton*, initio ejus Dialogi qui ejus nomine inscriptus est, dicit: δίκαιοι ἐσμὲν σώσαντές σε κινδυνεύειν τοῦτον τὸν κίνδυνον, *justi sumus, te servato, periclitari hoc periculum*, pro δίκαιόν ἐστιν ἡμᾶς, &c. Qui *Platonem* leget multa similia reperiet, & plura etiam apud *Aristophanem*; qui sermone quotidiano utentes inducens, non ita Regulas observat, quæ in colloquiis ejusmodi sæpe negliguntur.

10. Sæpe miscentur duæ phrases, adeò ut initio ab unâ facto, alterius pars subjiciatur. *Homerus* * Iliad. B. ita Nestorem loquentem inducit:

Φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα,
Ἤματι τῷ ὅτε νηυσὶν ἐπ᾽ ὠκυπόροισιν ἔβαινον,
Ἀργεῖοι Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.
Ἀστράπτων ἐπιδέξι᾽, ἐναίσιμα σήματα φαίνων.

Dico enim verò annuisse præpotentem Saturnium, *eò die quo naves celeres conscenderent Argivi, cædem & mortem Trojanis inferentes*, fulgurans *dexterâ*, *fausta signa* ostendens. Postremum versum concepit, quasi in primo dixisset: κατένευσε ὑπερμενὴς Κρονίων, cum quo conveniret ἀστράπτων; aut ita incepit, quasi dicturus esset ἀστράπτοντα. *Eustathius* quidem vult hunc locum esse σολοικοφανῆ, non verò σόλοικον, cen-

* *Vers.* 350.

ſétque punctum poſt φέροντες collocandum eſſe & in quarto verſu ſubintelligendum ἦν; verùm alia ab * Eruditis allata ſunt ejuſmodi exempla, ex quibus liquet *Euſtathium* fruſtra vereri ne *Homero* Solœciſmus tribuatur. Nec dubito tamen, ſi per verſuum leges licuiſſet, Librariorum aut Criticorum intempeſtivam diligentiam effecturam fuiſſe ut *Homerus*, aliíque Poëtæ, apud quos talia occurrunt, convenientiùs Regulis loquerentur. Multò rectius eſt, quod ad eumdem locum obſervat doctiſſimus Grammaticus; Poëtam, nempe, ἢ καὶ ἀρχαΐζοντα, ἢ καὶ μιμούμενον ῥήτορα ἐναγώνιον νοήμασιν ἑαυτὸν ἀπασχολοῦντα, καὶ τῆς καταλλήλου τῆς συντάξεως μὴ δίολου φροντίσαντα, *aut antiquo more loquutum, aut imitatum Rhetorem decertantem, qui cogitationibus occupatus non prorſus curat ſeriem conſtructionis.*

11. Neque hæc inter Poëticas licentias numeres, cùm elegantes Proſæ Scriptores haud rarò ejuſmodi verborum ſtructuris utantur. *Polyænus* Lib. I. c. 15. Θεόπομπος ——— τήν τε ἄστυ ἔρημον εἷλε, *Theopompus urbem vacuam* CEPIT, καὶ κατόπιν ἐμβάλλουσι τοῖς Μεσσηνίοις, *& à tergo* INVADUNT *Meſſenios.* Aut erat dicendum οἱ περὶ Θεόπομπον εἷλον καὶ ἐμβάλλουσι, vel ἐμβάλλει poſt εἷλε. Idem Scriptor Cap. XVIII. οἱ πολέμιοι τὸ λόγιον εἰδότες, κοινὸν αὐτοῖς ἦν παράγγελμα ἐν τῇ μάχαις ἀπέχεσθαι Κόδρου. *Hoſtes ſcientes hoc oraculum, publicum erat eis edictum.* Pro ſtructura Grammatica, dicendum erat τοῖς πολεμίοις εἰδόσιν, aut poſt id initium Periodi, quo uſus *Polyænus*, κοινὸν εἶχον παράγγελμα, aut κοινῶς παρηγγείλαντο. Similia ex eodem Scriptore loca ad hæc verba affert *Iſ. Caſaubonus*, qui vetat credere hîc eſſe mendum, & meritò vult eſſe σχῆμα quoddam, licèt nequaquam κατευπρεπὲς ſit, ut ait vir ſummus, vel *Homero* teſte. Idem præterea verè addit in *Æliani* Scriptis, oppidò quàm elegantibus, haud rarò talia obſervari. Dein duo loca Æliani profert, quorum alter exſtat Var. Hiſt. Lib. II. c. 13. alter Hiſt. Animal. Lib. VII. c. 26.

12. Simile quid occurrit apud *Virgilium* Eclog. IV. 62. ubi ita Pollionis filium compellat:

Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem, &c.
Incipe, parve puer, QUI *non riſere parentes,*
Nec Deus HUNC *menſâ, Dea nec dignata cubili eſt.*

Oporteret aut CUI dictum, aut HOS. Niſi conſtaret à tempore *Quinctiliani* † ita ſcriptum fuiſſe, in Codicibus

* *Daniel. Heinſii Proleg. in Exercitationes Sacras* p. 31. *& ſeqq.*
† *Inſt. Orat. Lib. IX. c.* 3.

Virgilii,

Virgilii, & Veteres Grammaticos circa loci ſenſum hæſitaſſe; vix etiam hic locus videtur manus Criticas evaſurus fuiſſe. Ejus, ut & hoc obiter notemus, hic eſt ſenſus: "arride, puer, "parentibus, quoniam inter Heroas olim futurus es; qui "enim non arriſerit parentibus, is neque conjugem Deam "habebit, neque Dei ullius menſæ adhibebitur, quorum al- "terutrum priſcis Heroibus contigit. Putabant enim Veteres riſum maturum in infantibus præſagire aliquid magni. *Plinius* Lib. VII. c. 16. inter præſagia in infantibus obſervata hoc refert: *Riſiſſe, eodem die quo genitus eſſet, unum,* inquit, *hominem accepimus Zoroaſtrem.* Similia quoque narrabantur de Cyro infante, qui ab Paſtore regio ad uxorem delatus *veluti ad notam alluſit*, ut loquitur *Juſtinus* Lib. I. c. 4. cujus hæc ſequuntur verba: *tantúſque in illo vigor, & dulcis quidam blandientis riſus apparuit, ut Paſtorem uxor ultro rogaret permitteret ſibi, ſive fortunæ ipſius, ſive ſpei ſuæ puerum nutrire.* Nempe, riſus Cyri magnum quidpiam portendere mulieri videbatur. Menſâ ſuâ *Ixionem* dignatus eſt Jupiter, unde συμπότης εἶναι θεῶν idem eſt *Epicteto* c. XXI. Enchiridii, atque ad Heroum dignitatem evehi. Hinc Pythagorei qui virorum præclarorum fato functorum animos in Heroum numerum referri cenſebant, teſte *Laërtio* Lib. VIII. §. 31. ſuæ ſectæ homines, quos cæteris omnibus haud parum antiſtare cenſebant, convivas eſſe poſt mortem aiebant Plutonis & Proſerpinæ; quod ſalsè ridet *Ariſtophon*, in *Pythagoriſta*, Grotianorum Fragment. p. 843. ubi quempiam ex Inferis reducem inducit:

Ἔφη τε καταβὰς εἰς δίαιταν τῶν κάτω,
Ἰδεῖν ἑκάστους. διαφέρειν δὲ πάμπολυ
Τοὺς Πυθαγοριστὰς τῶν νεκρῶν, μόνοισι γὰρ
Τούτοισι τὸν Πλούτωνα συσσιτεῖν ἔφη.

Dicebat, cùm deſcendiſſet in manſionem inferorum, vidiſſe ſe ſingulos, multùm verò differre Pythagoreos à mortuis, ſolos enim illos dicebat Plutonis eſſe convivas. Vide not. ad Scholiaſtem *Luciani* T. I. p. 31. Venus verò cubili dignata eſt Anchiſen, Adonin, alióſque Heroas.

13. Lucæ C. XXI. 6. ejuſmodi loquutio occurrit: ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι ἐν αἷς οὐκ ἀφεθήσεται λίθος ἐπὶ λίθῳ, &c. *Hæc quæ videtis, venient dies, quibus non relinquetur lapis lapidi impoſitus*, &c. Ubi nominativus ταῦτα nullum habet verbum quod ſequatur. Ad quem locum conſuli poterit *Grotius*. Sed plura ejuſmodi Phraſium exempla ſuppeditabit *Sal. Glaſſius* in *Phil. Sacra* Lib. III. Tract. I. Can. 28.

licet

licèt in eo erret quòd putet, initium phraseos absolutè poni, & vim integri membri obtinere; ut Act. VII. 40. *Moses hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.*

14. In numerum loquutionum mistarum referri possunt hæ Plautinæ, *facere patrem ne introeat*, pro *facere ut pater ne introeat*. Mostellar. Act. II. S. I. vers. 42. & * *absque eo fuisset, hoc fecissem*, ἀντὶ τοῦ, *nisi is fuisset, hoc fecissem*, aut, *absque eo hoc fecissem*.

15. Fortè & quædam fuerunt in Linguis Græca & Latina aliisque, constantis quidem usûs, sed nullarum Regularum limitibus adstricta; quale est quod in Gallica Lingua cernere est, in qua nulla regula proferri potest, quæ doceat quæ sint adjectiva substantivis præponenda aut postponenda. Sed illa ut plurimum nos latent, ut si Lingua Gallica periisset ex usu quotidiano, ne cogitaremus quidem de illâ re, quam nos docuit usus,

Quem penes arbitrium est, & lex & norma loquendi.

Simile quidpiam in Græca Lingua fuit, si veteribus credimus Grammaticis. *Photiana* excerpta ex *Helladio* Bezantinoo: Καλὸς καὶ ἀγαθὸς οἱ Ἀττικοὶ λέγοντες, ἀγαθὸς καὶ καλὸς οὐ λέγουσι. καί τοι λέγοντες ἀγαθὴ τύχη, λέγουσι καὶ τύχη ἀγαθή: *Attici dicunt* καλὸς καὶ ἀγαθὸς, *sed non* ἀγαθὸς καὶ καλὸς, *quamquam* ἀγαθὴ τύχη *dicant, &* τύχη ἀγαθή.

16. Si quis attentè *Herodotum* legat, multa in constructione anomala occurrent. Exempli gratiâ, frequenter apud eum legas, ἐμοὶ δοκέειν, & ὡς ἐμοὶ δοκέειν, *mihi videri, ut mihi videri*, ἀντὶ τοῦ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ut vulgò etiam loquuntur Græci. Nec dubito quin si semel aut iterum duntaxat eo usus esset *Herodotus*, nec alibi exstaret, id emendaturi fuissent Librarii aut Critici; verùm nimis frequens erat quàm ut casu factum videretur, ut sic in antiquis exemplaribus scriberetur, & alia erant infinita exempla cæterorum Græcorum Scriptorum.

17. Alia est phrasis, apud Græcos usitatissima, cujus exemplum est apud eumdem Scriptorem Lib. IV. c. 163. ubi Infinitivus est loco Imperativi: σὺ μέντοι ἥσυχος εἶναι κατελθὼν εἰς τὴν σεωυτοῦ, ad verbum, *tu quidem quietus esse redux in patriam.* Sic apud *Homerum* Iliad. I. vers. 255.

——— σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμὸν
Ἴσχειν ἐν στήθεσσι.

* Vide Intt. *Plauti* ad Menæchmos. Act. V. S. 7. vers. 3.

Tu magnanimum animum habere in pectore.

Vide & verſ. 281. Non poteſt ſubaudiri δεῖ, *oportet*, quod alioqui ſubaudiri in ea phraſi ſolet, quia anteceſſit σὺ *tu.*

18. Poëtæ non rarò habent ejuſmodi loquutiones. Sic *Euripides* in Hecuba, verſ. 333.

Αἶ αἶ, τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πεφυκέναι,
Τολμᾷ θ' ἃ μὴ χρὴ, τῇ βίᾳ νικώμενον.

Ah, ah, quàm malum eſt eſſe ſervum! ſuſtinet quod non oportet per vim victum. Ad quem locum, ita Scholiaſtes:

Ὅμοιον τῷ παρὰ Σοφοκλεῖ,

Κρεῖσσον γὰρ ἦσθα μηκέτ' ὢν ἢ ζῶν τυφλός.

Ὥσπερ γὰρ ἐκεῖ ὀφείλων θεῖναι τὸ κρεῖττον ἐπὶ τοῦ ῥήματος, ἵν' ᾖ κρεῖττον μὴ εἶναί σε ἢ ζῆν τυφλὸν, ὁ δὲ τίθησιν ἐπὶ τοῦ ὀνόματος. οὕτω κἀνταῦθα, ὀφείλων τάξαι τὸ πάνυ κακὸν ἐπὶ τοῦ πεφυκέναι, ὁ δὲ τίθησιν ἐπὶ τοῦ ὀνόματος: *Simile illi Sophocleo*: Melius eras non ampliùs exiſtens, quàm vivens cæcus; *Quemadmodum enim ubi debebat jungere* melius *cum verbo, ut eſſet*: melius erat non eſſe te quàm vivere cæcum, *conjunxit cum nomine*: *ita & hic, cùm deberet conſtruere* malum *cum* eſſe, *conſtruxit cum nomine.* Talia multa ex Tragicis colligi poſſent.

19. In exclamatione hac quis Analogiam invenerit?

Οἴ μοι ἐγὼ κακῶν!

Hei mihi ego malorum.

Si detrahatur ἐγὼ, conſtat conſtructio, at ita frequenter occurrit apud Poëtas Græcos & præſertim apud *Euripidem*, cujus hic eſt verſiculus ex *Hippolyto*, 591.

20. Hæc ſatis ſupérque ſunt, ad oſtendendam loquutionum ἀνωμαλίαν, quæ non parvum negotium faceſſit iis qui non ſunt ſummopere exercitati in lectione Veterum; ſi quid præſertim occurrat, quod ſuâ naturâ obſcurum ſit. Nec dubito quin multa ſint in Veteribus Codicibus, à Librariis emendata, quod non ſatis intelligerentur, qua de re alibi videbimus.

CAPUT

CAPUT XI.

X.

Ἀκυρολογίαν non debere cum tropicis vocibus aut figurata oratione confundi; neque ex ea Regulas confici posse.

1. PRÆTER ea quæ Capite superiore notavimus, τῆς ἀκυρολογίας, alia sunt majoris momenti; quibus singulare Caput à nobis tribui oportere duximus. Primum est, viros eruditos sæpe improprium stylum, quasi tropicum, aut figuratum habere; ex quo errore fit ut quod per incuriam effusum est, id de industria dictum existiment, adeóque urgeant quod urgeri non debet. Ne in eumdem scopulum impingamus, necesse est tropum, figuram, & ἀκυρολογίαν, accuratè definiri.

2. *Tropus* definitur à *Quintiliano*: * *Verbi vel sermonis à propria significatione in aliam, cum virtute, mutatio.* Voculæ *cum virtute* idem significant ac σὺν ἐμφάσει; unde colligere est eam vocem tropicam esse habendam, quàm selegit Scriptor, quòd haberet vim majorem quàm propria. Qui voluptatibus corporeis sunt dediti vocantur tropicè *Porci*, quâ voce id vitium pleniùs describitur, quàm si eo infecti *voluptatum corporearum nimiùm amantes* dicerentur. Hinc etiam, *Epicuri de grege porcus*, est ἐμφατικώτερον, quàm si dicamus *Epicuri in voluptate corporea felicitatem collocantis discipulum.*

3. Ἀκυρολογία, quæ & Κατάχρησις vocatur, † dicitur esse à Rhetoribus, *quoties duriùs vocis alicujus significationem deflectimus ad aliam longè à propria recedentem.* Ut autem *durior* sit deflectio, debet esse solito usui contraria; alioqui si usus vocem detorsit in alienam significationem à primigenia, id non ampliùs durè fit. Itaque non satis accurati sunt Rhetores, qui exempla καταχρήσεως ex usitatissimis translationibus afferunt. Hisce rationibus moti ἀκυρολογίαν definimus, prout est tropis licitis & usitatis opposita, *mutationem vocis, aut sermonis, à propria significatione in aliam, sine virtute.* Ex hac definitione, negamus ἄκυρον esse tropum; quandoquidem tropus nullus est contra usum, aut sine ἐμφάσει hujusmodi verò abusio vocum hoc uno proprium sermonem superat, quòd sit obscurior; cùm enim ex solo usu de significatione vocum ju-

* *Lib. VIII. c. 6. Instit. Orator.*
† *Vid. Vossii Inst. Orator. Lib. IV. cap. 12. §. 2.*

dicemus,

dicemus, necesse est quæ ex usu colligi nequeunt, eas esse obscuras. Exempli causâ, si quis velit dicere sibi esse *suem domesticum* mactatum & sale conditum, & pro eo affirmet se habere *aprum* salsum; obscura & impropria erit oratio, at non tropica.

4. *Schema*, seu *figura* Rhetoribus est: *Orationis forma, quâ ea alio quopiam modo, quàm propriæ significationis in alienam commutatione, à simplici ac communi usu immutatur in elegantiorem.* Figurata est oratio hæc *Theophrasti*: οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίνοντα φιλεῖν, *non est tum demum judicandum cùm amaveris; sed postquàm judicaveris, amandum.*

5. Est etiam Ἄκυρον quoddam figuræ oppositum, *quo ita commutatur oratio, ut simplice sit minùs elegans & obscurior.* Simplex hæc esset oratio: δεῖ πρότερον κρίνειν καὶ ἔπειτα φιλεῖν, οὐ κρίνειν τῇ φιλίᾳ ἕπεσθαι. *Oportet priùs judicare, dein amare; non judicium ferre, post amicitiam contractam.* Ἄκυρος verò hæc esset: δεῖ οὐ φιλοῦντα κρίνειν, ἀλλὰ φιλεῖν κρίνοντα. Hoc enim situ vocabulorum, à simplici abhorrente, fit sententia tantùm obscurior, non elegantior.

6. Si autem contingeret aliquem adeò esse verborum suorum indiligentem; ut simul voces usurparet καταχρηστικῶς, seu contra usum, & orationis ordinem turbaret, is censeri deberet ἀκυρολογίας summum apicem consequutus. In hoc vitium, ex nimio grandiloquentiæ studio, delapsi sunt non rarò Poëtæ Dithyrambici, quos summopere admirata est Græcia. Exemplum esse potest initium primæ Odæ *Pindaricæ*, in *Olympionicas*:

Ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ
χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ,
ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.
Εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν
ἔλδεαι φίλον ἦτορ,
μηκέθ' ἁλίου σκόπει
ἄλλο θαλπνότερον
ἐν ἁμέρᾳ φαεινὸν ἄστρον
ἐρήμας δι' αἰθέρος.
μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα
φέρτερον αὐδάσομεν, καὶ τὰ ἑξῆς.

Optima quidem est aqua,
Aurum verò, ardentis ignis
Instar, excellit noctu,
Eximiè inter superbificas divitias;
Si verò certamina narrare

Gestis,

Gestis, ô charum cor,
Ne amplius sole contempleris
Aliud foventius, aut *calidius*
Interdiu lucidum astrum,
Desertum per ætherem,
Neque Olympiæ certamine
Præstantius dicemus, &c.

7. Primùm verbum διαπρέπει, de igne noctu fulgente, non potest dici, nisi per abusionem; nam ea vox significat tantùm *excellere*; sed *Pindarus* ea hîc usus est, quòd conveniat divitiis & auro, ac possit propriè dici χρυσὸς ἔξοχα πλούτου διαπρέπειν *aurum eximiè inter divitias excellere.* Ἄστρον quidem est etiam ἀντὶ τοῦ ἀστέρος per abusionem dictum; sed quia frequenter hoc fit, novum videri nequit. At vox θαλπνότερον est alieno loco, nam quæ stellæ die apparent præter Solem, Luna & Lucifer, nullo modo θάλπνειν *fovent* aut *calefaciunt*; quod sine dubio *Pindaro* ignotum non fuit.

8. Præterea ordo vocabulorum est adeò conturbatus, & oratio adeò hiulca, ut sine paraphrasi à tyronibus intelligi nequeat Poëta. Scio eos qui omnia mirantur, quæ admirata est Antiquitas, reposituros stylum hunc esse Dithyrambicum, qui talia ferat; quod ego quidem ultro confiteor; sed contendo esse hæc ἀκυρολογίας, quantumvis hisce Poëtis licitas, quas quo jure permiserint aut admirati sint Græci nunc non inquiro. Nolim etiam hæc ita intelligi, quasi negarem subinde egregios sensus sub illis verbis latere, aut veræ laudi *Pindari* quidquam detractum vellem.

9. Secundum, quod hoc in Capite observatu dignum existimavi, est ex ejusmodi stylo certas Regulas conflari non posse; quibus significatio vocabulorum perspicuè definiatur, aut orationis ordo certus statuatur. Hujus rei ratio est, quia nemo in ἄκυρα incidit arte, sed negligentiâ, quæ varia est, nec quidquam constans habet; aut furore quodam poëtico, qui negligentiæ similis est; ac proinde non possunt certarum Regularum fundamenta præbere. Ex eo quòd *Pindarus* hîc voce διαπρέπειν utatur, de igne verba faciens, malè collegeris eâ significari *fulgere*, quòd nulla alia significatio igni noctu accenso accommodari queat; nam non ita pensitabat voces *Pindarus.* Perperam etiam collegeris Lunam & Luciferum esse stellas quæ θάλπνειν dici queant, quod idem dixerit nullum esse astrum θαλπνότερον Sole, inter ea quæ interdiu cernuntur; neque enim Poëta cogitavit esse quidem tres stellas θαλπνὰς, sed nullam earum Sole θαλπνοτέραν. Spiritu poëtico plenus vaticinatus est, non ad placidæ ratiocinationis

nis normam, sed pro æstu furoris quo rapiebatur. *Præcipitabat*, ut verbis utar *Petronii*, *liberum spiritum, ut potiùs furentis animi vaticinatio appareret, quàm religiosa orationis sub testibus fides*; quod fieri ille volebat à Scriptore Belli Civilis.

10. Hisce positis, si quem norimus Scriptorem, qui in singulis verbis sæpe sit ἀκυρολόγος, & in structura orationis Regularum negligens; eum oportebit fateri difficilem esse intellectu, nec ad certos quosdam Grammaticos, aut Criticos Canonas nimiùm exigendum. Qui studiosè Novi Testamenti libros legerunt, & præsertim Pauli Scripta, facilè animadverterunt, ea scatere ἀκυρολογίαις, si umquàm hac de re seriò cogitârunt. Neque enim moror eos, qui non tam dicunt quod nôrunt; quàm quod, ex præconceptis eorum judiciis, esse deberet, ideóque omnia ad suos detorquent opiniones. Eò confidentiùs hac de re loquor, quòd possim doctissimos quosque Patrum Græcorum, de Idiotico Apostolorum stylo loquentes, si velim, in medium adducere. Unum hîc, omnium vice, audiamus *Eusebium*, Hist. Eccles. Lib. III. c. 24. ubi ita de Apostolis: τὸν βίον ἄκρως κεκαθαρμένοι, καὶ ἀρετῇ πάσῃ τὰς ψυχὰς κεκοσμημένοι, τὴν δὲ γλῶτταν ΙΔΙΩΤΕΥΟΝΤΕΣ, τῇ γε μὴν πρὸς τοῦ σωτῆρος αὐτοῖς δεδωρημένῃ θείᾳ καὶ παραδοξοποιῷ δυνάμει θαρσοῦντες, τὸ μὲν ἐν πειθοῖ καὶ τέχνῃ λόγων τὰ τοῦ Διδασκάλου μαθήματα πρεσβεύειν οὔτε ᾔδεσαν, οὔτε ἐνεχείρουν: interprete *H. Valesio*: *cùm essent vitâ quidem ac moribus castigatissimi, & omnibus virtutibus ornati, sermone autem ipso rudes essent atque inculti; freti divina & mirifica virtute ipsis à Servatore concessa, artificioso verborum ornatu magistri sui præcepta exponere neque noverant, neque item conabantur.*

11. Hinc colligere est, non ex Rhetoribus esse explananda ejusmodi Scripta; si quæ enim occurrunt fortè figuræ, aut si qui sunt tropi, ex calamo Scriptorum sacrorum, de verborum delectu nequaquam cogitantium, sponte suâ fluxerunt. Toties in Rhetoricam peccant, ut satis appareat, non ex ficta quadam modestia, ut nonnulli volunt, se ἰδιώτας λόγῳ dixisse, sed ex rei conscientia. Cavendum etiam est ne quia alicubi, ut sensus constet, voci cuipiam tribuenda est significatio quædam, putemus inde Canonem confici posse *eâ voce, apud Paulum, exempli causâ, hoc solere significari.* Sic 1 Cor. XII. 12. hæc verba οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς, ut constet comparationis ratio, debent ita παραφραστικῶς exponi: *ita quoque se habet Ecclesia Christiana.* Attamen inde non poterit colligi, in stylo Pauli solere quandoque Χριστὸς significare *Ecclesiam*; nec Paulus rogatus an ea vox id significaret, dixisset se eam protestatem illi voci subjicere solitum esse. Est, nempe ἄκυρον, quod vitare noluit, uti nec innumera alia; non vox certo animi judicio delecta.

12. Hujusmodi sermonem ut rectè ubique adsequamur, oportet nobis aliunde res de quibus loquuntur Scriptores esse notas, nósque scire quantùm Scriptorum illorum cognitio patuerit; præter consuetudinem ejusmodi sermonis. Hæc autem subsidia cùm nobis magna ex parte desint, non est sperandum singula quæque apud eos clarè posse intelligi. Generalis duntaxat, & obscurior notio utplurimum suppetit, in qua acquiescamus oportet, quando ulteriùs progredi non licet. Cùm verò singulæ voces, aut loquutiones non sint delectæ datâ operâ, nec aliis certa de causa prælatæ, non sunt nimiùm urgendæ, neque subtilioribus consectariis aptandæ. Quod si fieret, inanes multæ ex Scholastica Theologia eliminarentur opiniones, atque exitialibus controversiis finis imponeretur.

CAPUT XII.

XI.

Multa esse propter constructionem ambigua.

1. NON uno loco, egimus de ambiguitatibus ex varia & incerta significatione vocum nascentibus; sed alia supersunt non minoris momenti, ex structura orationis manantia. Si votis emendari præterita possent, optaremus constantiores homines fuisse, & uni constructioni, aut unum, aut quàm paucissimos saltem sensus attribuisse. Sed quoniam hic vota non modò in præterita, sed ne in futura quidem, vim ullam habent; nihil superest, nisi ut moneamus de ea ambiguitate Antiquitatis Studiosos. Cæterùm sicuti in sermone hominis Regulas non attendentis, mistæ loquutiones occurrunt, quales Capite X. vidimus: ita & ex simili incuria, nata est structuræ ambiguitas.

2. Possemus ex variis Linguis multa exempla congerere, & præsertim ex Latina, ambiguæ constructionis. Sed unicum proferemus, quod ad plerasque Linguas pertinet, & latissimè patet. Id petitum est ex conjunctione duorum Substantivorum, quorum alterum est in Genitivo, quâ constructione plerasque *Relationes* significamus; quarum aliquot partim aliis observatas, partim intactas recensebimus.

3. Genitivo ergo exprimitur *Relatio Totius ad Partem*; ut in hisce loquutionibus, *Caput Ecclesiæ*, *Fundamenta Ecclesiæ*, *Columnæ Ecclesiæ*, In prima loquutione, Ecclesia quasi corpus humanum

humanum consideratur, cujus membrum est Caput, licèt præcipuum. In duobus reliquis Ecclesia ædificio confertur, cujus partes sunt Columnæ & Fundamenta.

4. *Partis ad Totum*, ut *Corpus Christi*, cùm de Ecclesia dicitur, nam Christus est pars, nempe, Caput; quod cum reliquis membris conficit totum illud Corpus, quod Ecclesia vocatur. Observandum tamen in ea phrasi interdum *Corpus* non pro integra Ecclesia, sed pro ejus, ut ita dicam, trunco, prout distinguitur à Christo capite, ἀντιδιῃρημένως sumi; quo loco Genitivus designat *Relationem* partis ad partem. Ita sumitur ad Coloss. I. 24. ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ *pro corpore ejus*, ubi corpus vocantur Christiani, excluso Christo.

5. *Partis ad Partem*, ut *membrum Christi*, nam Christus est pars corporis, cujus sunt membra Christiani. Ita Paulus prioris ad Corinth. VI. 15. *An nescitis*, inquit, *corpora vestra esse membra Christi?* Novi equidem eruditos viros hîc voce *Christi* intelligere Ecclesiam, sed ea interpretatio durior est.

6. *Subjecti ad accidens*, vel *attributum*; ut 1 Cor. I. 21. μωρία τοῦ κηρύγματος, *stultitia prædicationis*, est stulta prædicatio, seu quæ hominibus stulta videtur. Gal. IV. 4. πλήρωμα τοῦ χρόνου, *complementum temporis*, est tempus impletum. Ephes. IV. 29. οἰκοδομὴ χρείας, *ædificatio usûs*, est *usus ædificans*.

7. Vice versâ, *Accidentis ad subjectum*. Proverb. XXIX. 8. *viri derisionis*, sunt homines derisores. Esai. LII. 1. *urbs sanctitatis* est urbs sancta. Judæ commate 18. ἐπιθυμίαι τῶν ἀσεβειῶν sunt *cupiditates impiæ*. Latini sic passim dicunt *virum bonæ indolis*, &c.

8. *Causæ efficientis ad effectum*, ut *Æneis Virgilii*, *Orationes Ciceronis*, &c. Esd. I. 7. *Facultas Cyri*, *Regis Persarum*, est facultas à Cyro, Persarum Rege, concessa. Esai. LIV. 13. למודי אלהים *limmoude elohim*, διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, quæ loquutio etiam occurrit Joan. VI. 45. dicuntur edocti à Deo. Matth. XXV. 34. εὐλογημένοι τοῦ πατρὸς sunt *benedicti à patre*.

9. *Effectûs ad Causam*, ut *Creator mundi*, Luc. I. 69. Κέρας σωτηρίας est cornu, seu potentia salutem afferens, Rom. V. 18. δικαίωσις ζωῆς est justitia quæ vitam parit. In eadem Epistola, Cap. XV. 5. *Deus consolationis & patientiæ*, dicitur Deus qui utramque creat. *Anacharsis* oleum μανίας φάρμακον vocabat, quòd eo uncti Athletæ insanorum instar in amicos pugnarent, auctore *Diogene Laërtio* Lib. I. §. 104. Nisi nota esset occasio, quâ ea voce usus est Scytharum sapientissimus, nemo non crederet *insaniæ remedium* vertendum, non *pharmacum*, *quo ad insaniam adigerentur*. Sic, apud *Lucianum* ἐν μακροβίοις, di-

citur panis hordeaceus haberi ὀξυδερκίας Φάρμακον, apud Chaldæos, *medicamentum quo perſpicaciores fiunt*, non quo dematur perſpicacia. At contrario ſenſu *Sotioni*, apud *Stobæum* Serm. CXIII. παραμυθία dicitur φάρμακον ἀνίας μέγιςον, *maximum triſtitiæ remedium.*

10. *Cauſæ finalis ad effectum*; ut *oves mactationis*, πρόβατα σφαγῆς, Pſalm. XLIV. 23: Rom. VIII. 36. ſunt oves ad mactandum deſtinatæ. Ita & Matth. II. 8. ἄςρον αὐτοῦ, ubi ſermo eſt de Chriſto Judæorum Rege, eſt ſtella eo fine in cœlo accenſa, ut ſignificaret eum eſſe natum. *Virgilius* ſimiliter dixit, Ecl. IX. 47.

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,

hoc eſt, ſtella in eum finem lucens, ut honori Cæſaris conſuleretur.

11. *Objecti ad rem quæ in id fertur*; ut Matth. X. 1. ἐξουσία τῶν πνευμάτων *poteſtas ſpirituum*, id eſt, in ſpiritus agendi. Luc. VI. 12. occurrunt hæc verba: *& pernoctavit Jeſus* ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ, *in oratione Dei*; hoc eſt, in precibus ad Deum fuſis. Act. IV. 9. εὐεργεσία ἀνθρώπου ἀσθενοῦς eſt *beneficium in hominem infirmum* collatum. Marci XI. 22. *Fides Dei* eſt fides in Deum, Act. III. 16. *Fides nominis Jeſu* eſt fides in Jeſum. Rom. III. 22. *Fides Jeſu Chriſti* eadem dicitur animi affectio, ut & *Fides filii Dei* Gal. II. 20. Poteſt huic Genitivi ſignificationi addi ea, quâ deſignatur relatio objecti ad actiones mentis, ut *meditatio mortis*, *cogitatio belli*, &c. Plura ejuſmodi exempla exſtant apud *J. F. Gronovium* ad Livii Lib. XXIV. c. 26.

12. *Rei, quæ objectum ſpectat, ad objectum*; ut Rom. XV. 13. Θεὸς ἐλπίδος, *Deus ſpei* dicitur in quo ſpes collocata eſt.

13. *Materiæ ad rem quæ eâ conſtat*; ut vas auri. Ita ſumuntur *tunicæ pellis* Gen. III. 21. *Arca lignorum Gopher* Gen. VI. 14. & ſimilia paſſim.

14. *Poſſeſſoris ad rem poſſeſſam*; ut *pecus Melibœi*, & innumera alia. 2 Sam. XII. 8. *Dedi tibi domum Domini tui & uxores Domini tui*, hoc eſt, quas poſſederat Dominus tuus. Huc etiam referri poteſt ambiguitas, quæ occurrit in titulo *Ethicorum Nicomacheorum* Ariſtotelis; cùm enim Ἠθικὰ Νικομάχεια ſignificare poſſint *Ethica à Nicomacho* ſcripta, æquè ac *ad Nicomachum*, plurimi ea Nicomacho Ariſtotelis filio tribuerunt, inter quos *Cicero* Lib. V. *de Finibus*, c. 5. *Teneamus Ariſtotelem & ejus filium Nicomachum, cujus accuratè ſcripti de moribus libri dicuntur illi quidem eſſe Ariſtotelis, ſed non video cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius.* Fuit & aliud opus Ariſtotelis inſcriptum,

inscriptum Τέχνη Θεοδέκτου, quod similem peperit errorem. *Quintilianus* Lib. II. Cap. 15. *Non dissentit Theodectes, sive ipsius id opus sit, quod de Rhetorica nomine ejus inscribitur; sive, ut creditum est, Aristotelis.* Valerius Max. Lib. VIII. c. 14. 3. *Aristoteles Theodecti discipulo Oratoriæ artis libros, quos ederet, donaverat; molestéque postea ferens titulum eorum sic alii cessisse; proprio volumine, quibusdam rebus insistens planiùs, sibi de his in Theodectis libris dictum esse adjecit.*

15. *Contenti ad continens*; ut ἀλάβαστρον μύρου, *vas unguenti* Matth. XXVI. 7.

66. *Individui ad speciem*; ut *fluvius Rhodani, oppidum Lugduni*; ad quam phrasin etiam referendum *monstrum hominis*, hoc est, homo inter monstra recensendus.

17. *Jussoris ad rem jussam*; ut *opera Dei*, Joan. VI. 28. licèt *Grotius* interpretetur opera grata Deo. Ita Rom. I. 17. δικαιοσύνη Θεοῦ est *justitia à Deo præcepta*, non verò quæ à Deo efficitur, & ut Dei opus Deo placet, uti habet idem vir summus. Paulus ait vers. 16. se non *erubescere Evangelium, cùm sit virtus Dei in salutem omni credenti, Judæo primùm, dein Græco*, & postea subdit: *Justitia enim Dei in eo revelatur*, hoc est, justa præcepta Dei, justæ leges à Deo latæ: *ex fide, in fidem*; id est, quâ cognitâ, Judæi ex fide quam adhibebant Prophetis, atque Ethnici majoribus suis transferuntur ad fidem adhibendam Christo. Ita etiam sumitur Rom. III. 22. 23. & Jacob. I. 20. Atquè inde per translationem, obsequium justæ Legi divinæ præstitum significat, 2. Cor. V. 21. & 2. Pet. I. 1. Si quis miretur ita nos hæc interpretari, meminerit frequentissimæ loquutionis, *præcepta Dei*; quâ aliud nihil significatur, nisi *præcepta à Deo hominibus tradita*.

18. *Similitudinis rei alicujus cum alia*; ut Esa. I. 10. *Ductores Sodomæ*, sunt proceres Sodomitis similes, & *populus Gomorrhæ*, est plebs similis Gomorrhensi. Jerem. XXII. 19. *sepultura asini*, est ei similis quâ sepeliuntur asini.

19. *Affinitatis* aut *Consanguinitatis*; ut Matth. I. 5. ἡ τοῦ Οὐρίου *uxor Uriæ*, & apud *Virgilium*, *Hectoris Andromache*. Plerumque, apud Græcos, in Genitivo ponitur parentum nomen; ut Πλάτων Ἀρίστωνος *Plato Aristonis filius.* Quamquam in eo non sunt constantes, etenim Ἀπολλόδωρος Ἀσκληπιάδου non modò *filius Asclepiadæ* exponi, sed etiam *pater, discipulus, amicus* verti potest; qua de causa, inter eruditos non satis constat quæ conjunctio *Apollodoro* cum *Asclepiade* intercesserit, qua de re videndus *Th. Gale*, in Dissertatione *Apollodori* Bibliothecæ præfixa.

20. Genitivus rei affinis *intendit*, *apud Hebræos, significationem*, ut Ezech. XXXIX. 4. *volucres avium*, sunt omnis ge-

neris aves. 2 Pet. II. 17. & Jud. verſ. 13. ζόφος τοῦ σκότους *caligo tenebrarum* ſignificat denſiſſimas tenebras. Apud eoſdem Hebræos, ſæpe idem ſubſtantivum repetitur, ut *vanitas vanitatum, canticum canticorum, ſanctitas ſanctitatum*, quibus ſummus gradus vanitatis, excellentia ſumma cantici & ſanctitatis ſignificatur. Apud eoſdem, *Deorum Deus* eſt ſummus Deorum, ſeu eorum omnium, qui Dii vocantur; quem Platonici ἀληθείᾳ θεὸν vocant, quod ſit excellentiori modo Deus quàm alii, ut vidimus Cap. III.

21. Obſervare eſt etiam, hoc in loco, per hypallagen tranſponi ſubſtantiva, adeò ut id in genitivo ſit quod in nominativo eſſe debuit. Ita Ezech. XXI. 30. 34. *Iniquitas termini* occurrit, ἀντὶ τοῦ *terminus iniquitatis*, hoc eſt, dies, quâ iniquitati præſtitutâ, impios Deus ulturus erat. Rom. IX. 21. νόμος δικαιοσύνης eſt pro *juſtitia legis*, ut apparet ex oppoſitione antecedentis verſûs, ubi dicuntur Gentes, *quæ non ſectabantur juſtitiam, eam conſequutæ*, cùm Judæi *qui ſectabantur juſtitiam legis, eam aſſequuti non ſint.* Apoc. XXI. 24. ἔθνη τῶν σωζομένων, ſunt σωζόμενοι τῶν ἐθνῶν *ſervati ex Gentibus.*

22. Interdum & adjectiva loco ſubſtantivorum genitivum regunt, ut Prov. XIV. 1. *Sapientes mulierum*, pro *ſapientibus mulieribus*, & apud Poëtas Græcos, δῖα θεάων *divina Dearum*, pro eximia Dea. Ejuſmodi plurima ſunt, apud Græcos, Hebræos, & Latinos.

23. Animadvertendum præterea eſt pronomina poſſeſſiva, loco horum genitivorum, paſſim poni. Ita Gen. XVI. 5. Sara loquitur de injuria, quâ ab *Hagara* affecta fuerat: חמסי עליך *hhamaſi halecha, injuria mea ſuper te*, hoc eſt, injuria, quæ mihi fit, ad te etiam pertinet. Quam conſtructionem cùm ad animum non revocarent οἱ LXX. Vulgatus & tres Chaldæi Intt. ſenſum loci non aſſequuti ſunt, qui tamen facillimus eſt. Itaque quæcumque dicta ſunt de ſubſtantivis in genitivo caſu, intelligi debent de Pronominibus Poſſeſſivis, quæ proinde memoratas relationes ſignificant.

24. Hinc quantæ naſcantur ambiguitates, ubi res ejuſmodi phraſi expreſſa aliunde nota non eſt, facile eſt intellectu, præſertim accedente æſtu controverſiarum. Ita quæſitum, inter Theologos, quid ſignificent Coloſ. I. 24. τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ, & alii quidem contenderunt, illa *ſupplementa perpeſſionum Chriſti* eſſe ſatisfactiones neſcio quas Sanctorum; alii verò calamitates piorum, quæ Chriſto, qui in iis quaſi in membris ſuis patitur, tribuantur. Cùm controverſiâ de humanis ſatisfactionibus natâ, hic locus vexaretur, neutri videntur ſenſum ejus aſſequuti. Primùm ergo θλίψεις Χριστοῦ erant *afflictiones*, ad quas Chriſtus Paulum Act. IX. 16. parare ſe voluit,

luit, nominis sui causâ ferendas. Itaque hic Genitivus designat *causam finalem.* Secundò ὑστερήματα sunt quæ Paulo, præter ea quæ jam passus fuerat, supererant ferenda ad mortem usque; hoc est, quæ tulit, ex quo primùm in vincula conjectus Romam abductus est. Deinde ἀνταναπληρῶ, quo verbo hic utitur Paulus, significat *vicissim* nunc Christi causâ *patior*: quemadmodum similia olim pati coëgeram (est ea vis præpositionis ἀντὶ) alios, &c.

25. Alia haud absimilis est controversia inter Eruditos nata, de sensu phraseos *justitia Dei*, quæ occurrit Rom. I. 17. Alii volunt *justitiam Christi*, qui cum Patre *Deus est*, quæ nobis quasi nostra imputetur, intelligi; ut opponatur justitiæ hominum, quæ sita sit in observatione Legis per homines præstita. Alii justitiam *quæ à Deo efficitur*, & ut Dei opus Deo placet. Alii benignam illam Oeconomiam, quâ Deus acceptos habet ac remuneratur, quicumque fidem ac præcepta Christi amplectuntur. Alii justificationem, quæ à Deo proficiscitur, per fidem in Christum. Alii in præstandis promissis Dei fidem. Alii justitiam in puniendo sitam; & quid non? Quæ interpretationes ita pleræque à suis auctoribus defenduntur, ut æquè verisimiles sint, nec quàm, cæteris missis, amplecti te oporteat satis liqueat. Atque hoc oritur ex ambiguitate constructionis.

CAPUT XIII.
XII.

Ut probè intelligatur Scriptor quivis, consuetudines, & opiniones popularium ejus esse tenendas.

1. ANTEA sæpiùs observavimus, ubi verba Scriptoris cujuspiam sunt ambigua, nisi aliunde nota sit ejus sententia, vix ea posse intelligi, si agatur res, quæ non fuerit semper omnibus æque perspecta. Nunc rem, quia majoris est momenti, pluribus persequemur.

2. Scriptores quidem, qui suæ ætatis, suæque Gentis historiam scribunt, rarò ejus exponunt opiniones & consuetudines; sed ad eas passim non modò clarè, sed etiam obscurè alludunt, & loquutionibus utuntur inde natis. Res adeò nota est, ut neque argumentis, neque exemplis indigeat; cùm, vel aperto quovis Veteris Scriptoris Interprete, affatim

ſeſe ſint præbitura. Monendum tamen duximus, ne omiſiſſe videremur; & eadem de cauſa, unicum proferemus exemplum.

3. Notum eſt Paulum * ſæpe ad Græcorum ludos alludere; nulli tamen Interpreti, quem norim, obſervatum eſt Apoſtolum Rom. IX. 16. eò reſpicere, ubi dicit: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerantis.* Nempe, in ludis, ubi curſu certabatur, præmium non erat *volentis*, ſed celeriùs aliis *currentis*; at ſunt quædam, quæ neque ſunt *volentis*, neque *currentis*, hoc eſt, nitentis, quia ab induſtria humana non pendent; quod videtur παροιμιωδῶς dictum de iis omnibus, quæ ne conatu quidem aſſequi datur. Hoc comprobatur verſiculo incerti Poëtæ, qui in † Grotianis Excerptis exſtat:

Ἀνὴρ ἄβουλος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων.

Vir inconſultus fruſtra laborat currens.

Fertur & dictum παροιμιώδης, de iis qui conantur aliquid obtinere, ſed non iis artibus quibus par eſt: Καλῶς μὲν τρέχουσιν, ἀλλ' ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ: *bene currunt, ſed extra viam.* Vult ergo Paulus, Judæos, licèt maximè vellent eſſe populus Dei, & tales ſoli haberi niterentur; cupiditate, aut conatu non aſſequuturos quod quærebant; quia pendet hoc ex arbitrio Dei, qui ſolus in populi ſui jura, quoſcumque vult, adlegere poteſt.

4. Ex eadem origine orta eſt phraſis, apud optimos Scriptores non infrequens, τρέχειν περὶ ἑαυτοῦ, περὶ ψυχῆς, & pleniùs τρέχειν κίνδυνον ὑπὲρ τῆς ψυχῆς, *currere periculum pro anima*; manifeſta enim eſt ad ludos alluſio, de qua tamen ſi quis dubitaret, poſſet pertinaciâ ſuâ depelli, exemplo ex *Dionyſio Halicarnaſſeo*, qui dixit ὑπὲρ τῆς ψυχῆς ἀγῶνα τρέχειν, *certamen currere de anima.* Phraſeos hujuſce exempla congeſſere *D. Eraſmus* in Proverbiis, ad vocem *Diſcrimen*, ‡ *Gulielmus Budæus* in Comment. Græcæ Linguæ, & *Æmilius Portus* in Lexico Ionico.

5. Quod dixi modò §. 2. de Conſuetudinibus, id de Opinionibus dicendum, ad quas & clarè & ſubobſcurè paſſim alluditur, & unde etiam variæ loquendi formulæ deſumptæ ſunt, ut omnibus notum eſt. Nec opus eſt ea de re quidquam afferri, præter ea quæ diximus P. I. C. I. §. 3.

---

* *Vid.* 1. *Cor.* IX. 24. *Gal.* V. 7. *Coloſſ.* II. 18.
† *Pag.* 927.
‡ *Pag.* 968. *Ed. R. Stephani.*

6. Verùm

6. Verùm hîc aliud observandum, quod ita tritum non est, nec tamen exigui est in hoc negotio momenti. Nempe, quivis Scriptores solent opiniones eorum, de quibus loquuntur, & res gestas exprimere verbis & phrasibus Scriptorum ipsorum ævo usitatis & apud Gentem, cujus Linguâ utuntur, receptis; nullâ sæpe habitâ ratione sermonis eorum, de quibus scribunt. Nisi hoc ad animum revocaremus, phrases variarum Gentium, & diversorum sæculorum confunderemus; dein etiam facilè opinionem Scriptorum iis tribueremus, quorum scripserunt historiam, & qui eadem fortè non senserunt.

7. Moses in Libro Geneseos, ubique utitur nomine Dei Hebræorum *Jehovah*, vel potiùs *Javoh*, seu ipse aliquid narret, seu inducat Deum loquentem; licèt Deus id nominis non gesserit, ante Mosis tempora, ut liquet ex Exod. III. 15. ubi vide quæ notavimus. Imò etiam, quando de Ethnicis loquitur, eodem modo rem exprimit, ac si sermo de Hebræis esset. Ita, XXXIX. 3. de *Potiphare Ægyptio : Et Dominus ejus vidit Jahvoh esse cum illo* (nempe, Josepho) *& omnia quæ gereret ab eo secundari.* Unde non sequitur à Potiphare agnitum Josephi Deum, sed tantùm Scriptorem Hebræum de homine Ethnico, Hebraïcâ loquendi formulâ, verba fecisse.

8. Similiter 1 Samuel. XXIX. 6. *Achis* Philisthæorum Rex inducitur jurans per *Jahvoh*, more Hebræo. Qua de re hæc, quæ huc transferantur digna, notavit * *Lud. Capellus* : "Videtur potiùs jurasse per nomen Dei alicujus Philisthæorum, "quæ jurandi ratio & formula, cùm tam sancta Philisthæis "esset, quàm erat Judæis ista, *vivit Jehovah*, inducitur propterea, in historica narratione, quasi usus esset istâ formulâ. "Sic si quis vellet stylo Terentiano, aut Plautino, hoc est, "merè Latino, Comœdiam scribere, cujus argumentum esset "Historia aliqua sacra Abrahami, Isaaci, Jacobi aut aliorum "Vet. Testamenti Patriarcharum, si viros illos induceret "jurantes *Mecastor*, *Ædepol*, &c. non hoc vellet significare "viros illos sanctos, aut usos esse vocibus illis, aut per Deos "illos profanos Ethnicorum jurasse; sed hoc duntaxat vellet "usos eos fuisse jurejurando communi inter Judæos tunc temporis, qualia fuerunt ista inter Latinos.

9. *Tacitus* Hist. IV. c. 81. narrat duos ægros *monitu Serapidis Dei* Vespasianum adiisse, cùm Alexandriæ moraretur, ut ab eo curarentur; quod quomodo factum fuerit ubi narravit, ait se originem Dei Scriptoribus Romanis nondum celebratam ostensurum. Inde narrat quomodo *Ptolomæus Lagi* statuam illius Dei ex agro Sinopensi, ad Pontum Euxinum, advehi in

* *Not. Crit. in Exod. VI. 2.*

Ægyptum

Ægyptum curaverit, templúmque ei exstruxerit, loco ubi fuerat *Serapidis & Isidis* Sacellum. Igitur quod initio hunc Deum *Serapidem* vocavit, id fecit more ejus temporis Ægyptiorum, qui antiqui apud se Numinis nomen imposuerant ignoto hactenus in Ægypto Deo; & qui, diu postquàm Serapis apud eos colebatur, eò advectus fuerat. Si more Græcò loquutus esset ei Numinis Græci nomen imposuisset; nec deerant qui ita loquerentur: *Deum* ipsum multi Æsculapium, quòd medeatur corporibus ægris; plerique Jovem, ut rerum omnium potentem; plurimi Ditem Patrem, insignibus quæ in eo manifesta, aut per ambages conjectant.*

10. Idem Scriptor Hist. Lib. V. c. 5. dicit Judæos *unum Numen intelligere, summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum*; mox oblitus unitatis Dei Templum Judæorum incolentis, more Romano narrat, c. 13. *expassas repente delubri fores, & auditam majorem humanâ vocem,* excedere Deos, *simul ingentem motum excedentium.* Nempe, more gentili, de Judæorum Deo πληθυντικῶς loquutus est.

11. *Germaniæ* Cap. IX. describit veterum Germanorum Religionem: & *Deorum,* inquit, *maximè* MERCURIUM *colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litari fas habent.* HERCULEM *ac* MARTEM *concessis animalibus placant; pars Suevorum &* ISIDI *sacrificat.* Incautus Lector facilè crederet, hisce animadversis, Germanos eosdem Deos, ac quos Græci colebant, habuisse; qui si nominibus quidem differrent, constare eadem fuisse Numina. Sed in eodem Opere, idem *Tacitus* testatur Germanos aliis nominibus usos, nec cum vicinis ulla habuisse commercia, aut exigua; nedum cum Græcis, à quibus proinde Religionem accipere non potuerant. Itaque memoratos Deos à Germanis cultos intelligendum est *interpretatione Romanâ* †, ut alibi loquitur *Tacitus,* de Suevorum Religione verba faciens: *Deos,* inquit, *interpretatione Romanâ, Castorem & Pollucem memorant:* hoc est, Deos quosdam, quos Romani judicant eosdem esse, ac Castorem & Pollucem.

12. Si quis quæsiverit, unde nascerentur eæ Romanorum interpretationes, sciat oportet Ethnicos confudisse Deos Regionum peculiares cum Diis Universi; ideóque facilè credidisse, quos ipsi in patria colebant, eosdem cum aliarum Gentium præcipuis Diis, licèt nomina non convenirent; quam in opinionem delabebantur faciliùs, si viderent statuas habere quid simile, aut non absimilia, aliqua ex parte, de utrisque Diis narrari. *Tacitus,* eodem in Libro, c. IX. postquàm dixit à

* *Ibid. c.* 48.
† *Ibid. c.* 43.

Suevis

Suevis Isidi sacra fieri, subjicit: *unde causa & origo peregrino Sacro parum comperi, nisi quòd signum ipsum in modum Liburnæ figuratum docet advectam Religionem.* Cicero de Nat. Deorum Lib. I. n. 81. *Jovem, Junonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos Deos eâ facie novimus, quâ pictores, fictorésque voluerunt; neque solùm facie, sed etiam ornatu, ætate, atque vestitu. At non Ægyptii, nec Syri, nec cuncta ferè barbaria.* Hinc tamen Numen idem esse ac Isidem judicarunt, quòd Isidi sacrum esset *navigium.* Simili de causa Herculem à Germanis cultum existimarunt Romani, * eodem *Tacito* auctore, cujus hæc verba sunt de locis ad Septentrionalem Oceanum sitis: *Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus, & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit; sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consuevimus.* Quæ in memoriam revocant quod de Schah-Abba Persarum Rege narrat *P. Vallensis*, in Itiner. Ep. "IV. Ferhabado datâ. Is aiebat suum *Alim*, apud Christianos "etiam, sanctum haberi, eumdémque esse quem Hispani "*Sanctum Jacobum* vocitarent, aut quem alii Christiani *San-* "*ctum Georgium* appellare solebant. Gladium enim, quem E- "quites *S. Jacobi* è collo pendentem gererent, esse invictum "illum *Alis* gladium; eos verò, apud quos *S. Georgius* diceretur "eum pingere similiter armatum gladio & lanceâ, & eum "equo pugnasse, strenuúmque militem fuisse narrare. Ex levibus indiciis, vir cæteroqui callidus judicium ineptum de re incomperta ferebat; sed non ineptius, ac quæ de Numinibus alienis solebant ferre Græci & Romani.

13. Quia, apud Græcos, Deorum summus Ζεὺς vocabatur, ideò Græcorum Historici, ubi loquuntur de Numine, quod apud aliam Gentem summum habebatur, id etiam Δία vocant. Ita † *Herodotus* postquàm dixit à Persis neque statuas, neque templa, neque aras Diis consecrari quòd non crederent eos ἀνθρωποφυέας, uti Græci, subjicit: οἱ δὲ νομίζουσι Δὶ μὲν, ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ ΔΙΑ καλέοντες: JOVI *solent sacra facere in altissima montium ascendentes, ambitum omnem cæli* JOVEM *vocantes.* Nemo non crediderit, his lectis, Persas eodem nomine summum Numen appellasse, quo Græci utebantur; nisi aliunde notum esset Linguam Persicam nihil habuisse commune cum Græca, Persarúmque ac Græcorum mores fuisse planè diversos, ut apparet etiam ex ipso *Herodoto.*

* *Ibid. c.* 34.
† *Lib. I.* 31

Similiter

Similiter Deum Babyloniorum summum * vocat Δία Βῆλον *Jovem Belum*: nomine Chaldaico, quasi cognomine Διὸς intellecto; cùm Βῆλος sit בעל *Beel* Chaldaicè, id est, *Dominus*; quod fuit Dei vocabulum, ut ארני *Adonis* apud Phœnicas.

14. Idem Scriptor Lib. II. ubi Ægyptiorum Religionem describit, eorum Deos nominibus Græcis vocitat, cùm debuisset Ægyptiaca edere; ea tantùm de causâ, quòd ex quibusdam indiciis conjectaret eosdem esse Deos, qui iis vocabulis in Græcia appellabantur. Idem factitant & *Diodorus* † *Siculus* & Scriptor elegantissimi libelli qui inter opera *Luciani* exstat, *de Dea Syria*. Barbara Numina Græcis vocabulis afficiunt, quòd conjicerent eadem esse ac Græca, ex similitudine Historiæ, statuæ, sacrorum, aut Templi. *At*, ut verbis *Ciceronis* utar, de N. D. Lib. I. n. 84. *quot hominum linguæ, tot nomina Deorum. Non enim ut tu Velleius* (Epicurei nomen est, quem Stoïcus Cotta illic alloquitur & confutat) *quocumque veneris: sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania.*

15. Quin etiam hodierni Scriptores Christiani, qui Asiæ aut Americæ superstitiones tradunt, more Christiano de iis passim loquuntur. Exempli causâ aiunt à plurimis coli DIABOLUM, quod parum cautos Lectores fallit, dum persuadet eos, de Spiritibus quibusdam in Creatorem rebellibus, eadem ac nos sentire, quod verum non est. Attentè enim legenti Recentiorum Asiatica Itinera, eáque cum Veterum narrationibus conferenti, liquebit plurimas Asiæ Gentes hanc etiamnum fovere opinionem, quæ Persarum, & Babyloniorum olim fuit. Credebant, nempe, duo esse *Principia*, unum Bonum, alterum Malum, utrumque summum ac æternum. ‡ Prius vocabant Chaldæi אוראמזה *Oromaze*, id est, *lucem fulgentem*, aiebantque eum immensâ luce circumfusum. Posterius appellabant עריםאן *Ariman*, id est, *hostem hominum*, aut *astutum*, eúmque ne noceret colebant.

16. Scriptores Latini, simili consuetudine, ubi de aliorum rebus gestis loquuntur, munera aliarum Rerump. nominibus Romanis peculiaribus appellant. *M. Cato* in *Originibus* Annibalem *Dictatorem Carthaginiensium* appellaverat, ut apparet ex *Gellio* Lib. X. 24. *Justinus* Lib. XIX. 1. *Hasdrubalem Dictaturis undecim & triumphis quatuor* ait fuisse insignem. Idem *Annibalem* vocat Carthaginis *Consulem*, Lib.

* *Ibid. c. CLXXXI.*
† *Biblioth. Lib. I.*
‡ *Vide Plutarchum in Lib. de Iside & Osiride.*

XXXII.

XXXII. 2. ad quem locum adeundus *Bongarsius*, qui ex ejusmodi loquutionibus perperam collegit, apud Carthaginienses, similes Magistratus fuisse ac apud Romanos; cùm nihil inde colligi possit, nisi, propter levem fortè similitudinem, nomina Romanorum munerum Pœnis Magistratibus fuisse attributa. Sanè apparet ex Livio *Dictatorem* Pœnum non fuisse tantæ auctoritatis ac Romanum, ex Lib. XXIII. 13. ubi dicit *Dictatorem* missum esse cum Magone in Hispaniam, ad conducendos milites. Idem testatur Lib. XXX. 7. Carthagine *Suffetes velut Consulare imperium fuisse.* Hi autem vocantur *bini Reges* à *Cornelio Nepote*, in *Annibale*; licèt id quod apud Latinos voce *Rex* significatur, ignotum esset apud Carthaginienses, quorum Respublica *Democratico-aristocratica* fuit, ut facilè ostenderemus, si res esset hujus loci.

17. Sunt igitur accuratè distinguendæ res ipsæ à stylo Historicorum; qui phrasibus sui ævi, aut suæ Gentis describunt res gestas, aut opiniones temporum & populorum, quorum sermo ac dogmata diversa planè fuere. Neque temerè ducenda sunt consectaria ex stylo Scriptoris, de re prisca, aut ad aliam Gentem pertinente, loquentis; quasi ii de quibus loquitur, aut eodem modo mentem suam expressissent, aut easdem potestates subjecissent vocabulis, quibus uti solebant.

18. Optandum quidem fuisset Historicos hæc communioribus expressisse verbis, non iis quæ fuerunt ita propria popularibus suis, ut similibus aliæ Gentes carerent; quale est verbum *Jupiter*, aut Ζεὺς, quod significat hominem in Græcia tantum notum, & qualia sunt plerorumque Deorum Græciæ nomina. Sed quoniam factum id non est, Lectores oportet diligenter sibi cavere ab erroribus, in quos ejusmodi vocabula incautos conjiciunt; & si quid hodie scribere aggredimur, ita est loquendum, ut nullam errandi occasionem legentibus præbeamus.

CAPUT

CAPUT XIV.

XIII.

Diversas Sectas iisdem sæpe usas esse vocabulis, ad diversa prorsus dogmata exprimenda; & easdem, servatis iisdem vocabulis, lapsu temporis, sententiam mutâsse.

1. QUAM necessarium sit opiniones Scriptorum quos legimus scire, ut mentem eorum usquequaque intelligamus; etiam ex hoc colligere est, quòd homines, opinionibus planè diversis, sæpe eodem utantur sermone. Si tunc ex uno, aut altero loco de sententia eorum judicium ferremus, existimaremus eos similia sensisse, qui nihil simile cogitârunt.

2. Paulus, exempli gratiâ, ita loquitur Act. XVII. 27. *Deus longè non est ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*, &c. Significat, ut Deum agnoscamus, non esse procul quærenda potentiæ ejus specimina, quoniam ei quidquid in nobis est debemus. Idem Eph. IV. 30. præter alia, monet Ephesios, *ne contristent Spiritum Sanctum Dei, in quo signati erant in diem redemptionis*; hoc est, ne peccatis suis efficerent ut, quod hospites offensi solent, eos desereret Spiritus Sanctus, quo veluti sigillo Deus eos ab aliis, adservandos in diem judicii, secreverat.

3. At si quis lectis dumtaxat verbis Pauli, neque sensum satis attendens; legat hæc verba *Senecæ*, neque aliunde nôrint Stoïcorum placita, credet facilè ὁμόδοξον hac in re fuisse Paulo Senecam: * *Non sunt*, inquit, *ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditiuus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat; prope est ad te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili*, SACER *intra nos* SPIRITUS *sedet, malorum, bonorúmque nostrorum observator & custos; hic, prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.*

4. Qui non legerit integram *Senecæ* Epistolam credet se legere potiùs verba Christiani Apostolos imitati, quàm Philosophi Ethnici. Ipse *H. Grotius*, Stoïcorum Dogmatum parum memor, hæc non *planè aliena* à Paulinis judicavit.

* *Ep. XLI.*

At

At qui leget ſequentia *Senecæ*, videbit *ſacrum iſtum ſpiritum*, quem intra nos eſſe dictitat, eſſe ipſum animum humanum partem Animæ Mundi, ſeu Dei Stoïcorum, ac proinde ipſum Deum; quam Stoïcorum ſententiam eſſe obſervavit rectè *Juſt. Lipſius* in notis, & alibi etiam gravibus oſtendit argumentis. Quod vel hæc verba *Senecæ*, in eadem Epiſtola, ſatis probent: *Majore ſui parte* (animus humanus) *illic eſt, unde deſcendit. Quemadmodum radii ſolis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt unde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus, ut propiùs divina noſſemus, converſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Illinc pendet, illuc ſpectat ac nititur, noſtris tanquam melior intereſt. Quis eſt ergo hic? Animus, qui nullo bono niſi ſuo nititur.*

5. Hinc colligere eſt, ut hoc obiter dicamus, non eſſe temerè conferenda Ethnicorum dicta, cum Sacrorum Scriptorum ſermone; quandoquidem ſæpe, ubi videntur eadem dicere, diverſa proferunt. Atque hac in re paſſim peccavit *Joannes Pricæus*, qui immenſam farraginem, etiam in rebus claris, locorum Veterum, ad Novum Teſtamentum illuſtrandum, congeſſit. Nec tamen *H. Grotius* ejus culpæ prorſus immunis eſt, ut ex loco laudato ſatis liquet.

6. Videndum eſt priùs quàm diligentiſſimè, quem ſenſum phraſibus ſuis ſubjecerint Scriptores Ethnici, quem Hebræi ac Chriſtiani ſuis; quo demum peracto, poſſunt invicem conferri. Interdum conſtabit ab Ethnicis mutuatos eſſe plurima Judæos, à Lagidarum & Seleucidarum temporibus, quâ occaſione licebit utrorumque dicta comparare; ita tamen, ut alterius moniti memores ſimus; nempe, phraſes ſæpe à primigenia ſignificatione eſſe detortas, ab iis qui eas aliunde ſumſerunt, quod pluribus nobis illuſtrandum venit.

7. Olim inter Chriſtianorum familias, etiam in iis in quibus diſſentiebant & confligebant acerrimè inter ſe, conveniebat tamen in eo quòd utraque contendentium pars libenter loquutionibus Scripturæ uteretur, quaſi iis ſua egregiè exprimeretur ſententia. Cùm *Ariani* ſententiam ſuam, de creata Chriſti Divinitate, optimè exprimi cenſerent verbis hiſce Pauli, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *primogenitus omnis Creaturæ*: iiſdem *Homoouſiani* haud illibenter utebantur, nec minùs contendebant τὸ συναΐδιον iis ſignificari. Idem hodie fit inter contendentes Chriſtianos, qui omnes pariter opiniones ſuas in Scripturis eſſe exiſtimant.

8. Hæc exempla metum nobis injicere deberent, ne qua in re, licèt veterum Chriſtianorum vocabula retinuerimus, ab eorum ſententia nec-opini receſſerimus; nedum ut, quia phraſibus iiſdem utimur, ideò tantùm credamus nos cum illis

per

per omnia consentire. Loquutiones tot libris scriptæ, characteribúsque oculos percellentibus notatæ, magnam mutationem pati nequivere; sed cùm notiones sensus non feriant, harum mutationes in hominum animis potuerunt esse maximæ, lapsu temporis; neque vocum ambiguarum solo subsidio, licet harum sortem cognoscere.

9. Mutationes illæ notionum, servatis vocabulis, irrepere potissimùm potuere, ubi res quæ his significantur obscuræ sunt, vocésque ambiguæ. Exemplum proferemus ex re maximi momenti, quæ olim Christianos divisit, hodiéque lacerat, &, ut sunt hominum ingenia, in posterum etiam in partes distrahet. Inter Christianos de natura, & distinctione duarum *S. Trinitatis Personarum*, ut nunc loquimur, Filii & Spiritûs Sancti, concertationes fuere, ferè ex quo Apostoli fato functi sunt. Sed & ante & post Christum, Ethnici ipsi varia de tribus *Principiis* dixerant, sono certè à dogmatibus Christianis nequaquam aliena. Verùm licèt iisdem vocibus plurima sæcula usa sint, attamen sub illis vocibus latuit sat magna sententiarum varietas, ut singillatim ostendemus.

10. Primus omnium tria *Principia* distinctè constituit * *Parmenides*, & post eum *Plato*; qui an consenserint non liquet, quod *Parmenidis* nihil supersit. † *Plato* autem dixit primum esse ΤΟ ΟΝ, ΑΙΤΙΟΝ ΑΠΑΝΤΩΝ *Ens, causam omnium rerum*; secundùm verò ΛΟΓΟΝ, *Rationem & Rectorem præsentium & futurorum*; tertium denique ΨΥΧΗΝ ΚΟΣΜΟΥ *animam*, sive *spiritum mundi*. Secundum Principium à primo *genitum*, seu factum; tertium à secundo affirmat. Apparet attentè ejus *Timæum* legenti, eum per *generationem* intellexisse *creationem*, & passim confundere, γεννῆσαι, ποιῆσαι, τεκταίνεσθαι, μηχανῆσαι, δημιουργῆσαι, ἀπεργάζειν, &c. atque idem esse αἴτιον ac πατέρα, *causam* ac *patrem*.

11. *Philo Judæus* similia habet, & ait ‡ Λόγον esse πρεσβύτατον τῶν Ἀγγέλων, & τοῦ Ὄντος πρωτότοκον υἱὸν, *antiquissimum Angelorum, & primogenitum Entis*. Platonicus verò Ethnicus *Plotinus*, sermone eodum usus est, præsertim Enneade IX. Lib. V. à Cap. III. ad VIII. ubi hac de re copiosè agit. Crediderunt illi unum esse summum Deum, Causam primam omnium; deinde duos alios inferiores Deos, à summo illo creatos, minúsquè primâ Causâ perfectos.

12. Joannes porrò Apostolus, Platonico more, Λόγον vocat Divinitatem quæ in Christo habitavit, eíque similia tribuit ac *Philo*; creationem, scilicet, universi. Meminit etiam

* *Plotin. Ennead. V. Lib. I. c. 8.* † *In Timæo, & Epist. II. & V.*
‡ *Vid. supra citatum locum C. III. §. 9. & Vitam Eusebii Cæsariensis.*

Πνεύματος

Πνεύματ® *Spiritûs* quem illi conjungit, ut ille secundo Principio subjunxit *Animam* mundi. Paulus vocat quoque eum, per quem omnia sunt facta, πρωτότοκον πάσης κτίσεως *primogenitum omnis Creaturæ*. Denique occurrunt alia similia Platonicis loquutionibus, in N. Testamento, quæ non memorabimus.

13. Quæritur nunc an Joannes voce λόγ® idem planè intellexerit, ac *Plato*, ejúsque Discipuli? ánve Paulus πρωτότοκον intellexerit quemadmodum *Philo*; SI quis affirmet, eundum erit in castra Arianorum, qui Divinitatem, quæ Christo adfuit, creatam è nihilo contendebant. Si neges agnoscendum erit, quod volumus, sub iisdem phrasibus, diversas sæpe latere sententias.

14. Propter rei difficultatem, & ambiguitatem vocum, æstuantes sequentium sæculorum Christiani in varias opiniones abierunt. Plerique tamen cum *Platone* loquuti sunt, & cum eo se sentire dixerunt; dum secundum Principium faciunt priori * συναΐδιον, *coæternum*, & quo non magis carere potest primum, quam Sol luce; quod tamen videtur contrarium esse *Platoni*, qui à primo creatum ait. Interea iidem, ex Judaïco loquendi more, unum esse Deum passim affirmant, quod etiam à Platonico dogmate abhorrere videtur. Attamen haud absimilia dixerat etiam *Plotinus*, etiamsi *Platonis* interpretem agit.

15. Dixit idem Platonicus τρεῖς esse ὑποστάσεις ἀρχικὰς *tres esse hypostases quæ* rerum omnium *sunt Principia*, & variâ ratione in iis posse considerari ταυτότητα *indentitatem* & ἑτερότητα *diversitatem*. Christiani quoque similia dixerunt, licèt fuerint controversiæ de voce ὑπόστασις, quæ significat nunc *accidens*, seu τρόπον ὑπάρξεως, *modum existendi*; nunc *substantiam*, seu rem ipsam, quæ certo modo existit, vel cui tamquam subjecto inest modus existendi. Tandem inter Græcos convenit ut dicerent τρεῖς εἶναι ὑποστάσεις *tres esse modos existendi*, μίαν οὐσίαν *unam essentiam*; inter Latinos, *tres personas*, *unicam substantiam*, seu *essentiam*; quâ phrasi etiamnum hodie utimur.

16. Platonici, in hisce rebus, usi etiam fuerant voce † ὁμοούσι®, quæ apud eos significat ὁμοφυῆ, ὁμογενῆ seu *ejusdem speciei*, aut *simillimæ naturæ*. Quam vocem adhibuit *Nicæna Synodus*, quæ definivit υἱὸν εἶναι ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, *filium esse consubstantialem Patri*. Hodie etiam plerique cum Synodo Nicæna se sentire profitentur, & eamdem adhibent vocem.

17. Loquutiones autem quas attulimus §. 14, 15, 16. non uni inservire possunt dogmati exprimendo, unde dubium fit an

* *Vide G. Bulli Defensionem Nicænæ Synodi, Sect. III.*
† *Vid. Vit. Eusebii Cæsariensis & G. Bulli Defens. Synodi Nicænæ Sect. II. C. I. §. 2.*

qui

qui iis olim usi sunt idem inter se sentirent; quamvis, omissis Platonicis, Christiani soli considerentur. Imò *Hugo Grotius* eo processit, ut diceret * *sibi constare Patres in explicatione harum rerum plurimùm dissensisse, etiamsi vocum quarumdam sono inter se conveniunt.* Certè videntur Veteres inter se discrepasse, in plurimis, & Christiani omnes hodie multùm abesse à sententia Synodi Nicænæ; licèt plerique cum ea sentire sibi videantur, quòd voces ab ea consecratas admittant.

18. Hæc ne temerè affirmasse videamur, primò observandum vocem ἀΐδιος *æternus* admodum esse ambiguam apud Veteres, in hoc negotio. Ἀΐδιον enim potest significare propriè dictam æternitatem, quæ omni, quomodocumque intelligatur, principio caruit, quâ ratione ex omnium consensu Pater dicitur ἀΐδιος. Sed alteram † habet ea vox significationem, quâ denotat quod fuit, antequàm mundus ac proinde tempus esset, quod vocant etiam Veteres ἄχρονον & ὑπέρχρονον, *sine tempore* & *supra tempus.* Jam dubium est an Veteres, qui τὴν ὑπόστασιν dixerunt esse æternam, priori aut posteriori intelligendi sint sensu; an, nimirum, eam æternam, non minùs ac Patris ὑπόστασιν, esse voluerint, an verò ita eam vocent, quòd ante mundum fuerit? Atque hac in sententia videtur fuisse *Tertullianus*, qui contra *Hermogenem* Cap. III. & XVIII. ait *filium semper non fuisse*, nec *sine initio esse.* Idem videntur sensisse multi Patres Ante-Nicæni, qui paulò ante mundum genitum Filium volunt, licèt ἀΐδιον appellent. Altera etiam est ambiguitas vocis ἀΐδιος, in hac re. Dici potest Divinitas Christi, quoad *substantiam*, seu essentiam, ἀΐδιος non minùs ac Pater; aut quoad *subsistentiam*, seu *modum existendi*, propter quem Filius vocatur. Quidam ex Veteribus ‡ aiunt *substantiam* ipsam Divinitatis Filii, ἀγεννήτως in Patre existentem, esse ipsi συναΐδιον; quod de *subsistentia* non affirmant. Quæ fuit Nicænæ Synodi sententia, unde factum ut damnârit eos qui dicerent *Filium non fuisse antequàm genitus esset*, licèt definierit Filium esse Patri συναΐδιον, quoad *substantiam*; existebat nimirum Filius ἀγεννήτως in Patre, antequàm generaretur, ab omni æternitate; sed cœpit γεννητῶς existere paulò ante creationem mundi, ex illorum Patrum sententia.

19. Secundò, cùm Veteres dicebant Patrem & Filium *Unum* esse, latebat etiam in illa voce non levis ambiguitas. Aliquid enim dicitur esse *Unum*, quemadmodum Philosophi loquuntur, vel *Unitate numericâ*, vel *Unitate specificâ.* Ita

* Ep. ad Fratrem Ep. CLII.
† Vid. Epistolam Alexandri Alexandriæ Episcopi apud Theodoritum Lib. I. c. 4.
‡ Vid. Ep. Eusebii apud Theodor. Lib. I. c. 12.

Petrus est Unus, *unitate numericâ*; *Petrus, Joannes, & Paulus* unus sunt *unitate specificâ*. * Apparet ex Veteribus eos credidisse tres Naturas numero quidem diversas, sed unius speciei. Reverâ in sermone quotidiano, & apud Philosophos etiam, unum dicuntur quæ specie conveniunt; ut liquet vel ex *Aristotele* cujus observationes sæpe vulgari sermone nituntur, qui docet † λέγεται ἓν ὧν ἡ ἐσία μία, μία δ' ἢ συνεχείᾳ, ἢ εἴδει, ἢ λόγῳ, *dici unum, quorum essentia una est, una autem aut continuitate, aut specie, aut ratione.*

20. Tertiò, ut *Plotinus* τρεῖς ὑποστάσεις agnovit, numero distinctas, hoc est, tres *substantias* cum variis proprietatibus, licèt alioqui conjunctissimas: ita Christiani Veteres, qui eodem sermone usi sunt, non necessariò idem cogitarunt ac nos hodie, sed cum eo hæc in re consentire potuerunt. Qui unam ἐσίαν dicunt, τρεῖς τρόπους ὑπάρξεως id ipsum hisce verbis exprimere potuerunt; ut enim Humanitas, quæ existit separatim in Joanne, Petro & Paulo, est una; quæ in Paulo non differt ab eo quod est in Petro & Joanne, nisi τρόπῳ ὑπάρξεως: ita tres Naturæ divinæ numero diversæ, sed specie eædem, differunt tantùm *modo existendi*.

21. Quartò, cùm vox ὁμοούσιος, ex Platonicorum usu, significaret *ejusdem speciei*, & Synodus Chalcedonensis statuerit Filium esse nobis ὁμοούσιον κατ' ἀνθρωπότητα, ut est ὁμοούσιος Patri κατὰ θεότητα; nulla est ratio existimandi hac voce significatum fuisse *unicam numero* Essentiam Patris, & Filii. Nihil sanè occurrit in Disputationibus *Homoousianorum*, quod suadere possit alia in re controversiam Arianam sitam fuisse, nisi quòd Ariani *Essentiam* filii parem non esse *Essentiæ* Patris contenderent: *Homoousiani* verò paritatem propugnarent, ‡ quod Viri doctissimi copiose ostenderunt.

22. Ex hac vocum ambiguitate, colligere est potuisse facilè fieri, quod credidit *H. Grotius*, ut qui verbis consentire olim inter se videbantur, re ipsâ dissentirent; útque servatis iisdem vocabulis, paulatim substituta alia fuerit potestas. Atque hoc eò faciliùs factum, in negotio *de Unitate Dei*, quòd persuaserit sibi posteritas consensisse Patres Ecclesiæ cum Hebræis, liqueret autem Hebræos *unitatem* Essentiæ divinæ *numericam* credidisse. Verùm uti *Homoousiani* sub iisdem verbis, quibus Hebræi utebantur, aliam abscondebant sententiam, cùm non auderent ab iis discedere: ita nostri hodie Theolo-

---

* *Vide St. Curcellæi Quatern. Diss. 1. §. 74. & seqq. & Vitt. Eusebii.* † *Metaphys. Lib. IV. c. 6.* ‡ *St. Curcellæus in Quatern. Dis. I. & R. Cudworthus* in libro Anglico inscripto: *the true System Intellectual of the Universe* Lib. I. c. IV. pag. 606. & seqq.

gi à Patribus verba quidem consecrata retinent, sed alias iis subjicere potestates videntur.

CAPUT XV.

XIV.

Difficultatem intelligendi maximam interdum oriri ex Rhetorico stylo.

1. GRAMMATICI & Rhetores voces proprias vocant, ut omnes nôrunt, eas, quæ usurpantur pro nativa significatione, quæ est illis usu attributa: tropicas verò, quæ ex nativa significatione in aliam translatæ sunt. *Moveri* propriè dicuntur *corpora*, quorum mutatur situs; translatè *animi*, cùm quispiam in iis excitatur affectus. Cùm autem nulli Linguæ tot suppetant voces & loquutiones propriæ, quot suppetere oporteret, ut omnia propriè exprimi quirent; est enim rerum infinitus numerus, vocum finitus; necessariò confugiendum fuit ad voces tropicas. Digna sunt, quæ huc transferantur, verba *Ciceronis* de Translationibus ex Lib. III. de *Oratore* c. 28. Modus transferendi verbi *latè patet, quem necessitas genuit inopiâ coacta, & angustiis, post autem delectatio, jucunditásque celebravit. Nam ut vestis, frigoris depellendi causâ reperta primò, post adhiberi cœpta est, ad ornatum etiam corporis: sic verbi translatio instituta est inopiæ causâ; frequentata delectationis — Translationes quasi mutuationes sunt, cùm, quod non habeas, aliunde sumas.* Exempli causâ, ad res ad animum pertinentes exprimendas, paucissimæ sunt voces, nativâ significatione adhibendæ; quia populus à quo potissimùm paulatim Linguæ auctæ, de rebus spiritualibus plerumque securus, de corporeis tantùm sermones serit, aut spiritus corporibus similes putat. Hinc qui de rebus incorporeis verba faciunt, è corporeis petitas voces passim usurpare coguntur.

2. Inde nascitur magna intelligendi difficultas, in rebus per se obscuris, quales sunt quæ ad spiritus pertinent. Cùm enim *efflare animum* legimus, in Scriptore, cujus de animo sententiam aliunde cognoscere non possumus; quî scire liceat, utrùm re ipsa crediderit animum esse flatum, an verò tropicè eâ voce utatur? Hodiéque, cùm multi negent in animo quidquam esse corporei; omnes tamen, Latinè scribentes, ejusmodi loquutionibus usu consecratis utuntur, non minùs ac qui credunt mentem esse tenui auræ similem.

3. Verùm cùm Cap. V. egerimus de difficultate dignoscendi quò usque metaphorica loquutio urgenda sit, hac de re iterum

rum non agemus, ne repetendum sit quod jam dictum est. Observabimus potiùs, præter usum necessarium Troporum, propter Linguarum paupertatem, esse alios quosdam eorumdem usus Rhetoricos, unde non exigua nascitur obscuritas. Scilicet, non modo ad mentem exprimendam, non occurrente aliâ voce, adhibentur, sed & ad ornatum orationis; ut notio vividior, aut elegantior, aut amplior in audientium aut legentium mente excitetur. Ita *Horatius* fulmen tropicè describit, hisce verbis: * *tremendo Jupiter ipse ruens tumultu*, ut excitet majorem fulminis notionem; nam aliquid amplius est intelligere *Jovem ipsum ruentem*, quàm telum ejus manu emissum.

4. Si sola veritas esset docenda, ísque esset unus loquentium finis, uti par esset, universa eorum cura in eo sita esset, ut perspicuè loquerentur; quam in rem, quantùm possent, vocibus uterentur propriis; sed ornatus orationis adhibetur ad delectandos auditores, vel legentes; aut eorum movendos affectus; eúmque in finem non tropica modò, sed & figurata oratio inventa est. Quo fit ut Rhetores doceant non ubique adhibendum esse sermonem proprium, sed in iis dumtaxat Orationis partibus, ubi affectus non moventur. *In exordienda causa, servandum est ut lenis sit sermo, & usitata verborum consuetudo, ut non apparata oratio esse videatur* †. In ‡ *Rhetorica Scholia Curii Fortunatiani*, parum quidem Latini Scriptoris, sed nequaquam inepti, pro tempore quo vixit, est hæc quæstio: *Propria verba, quæ partes orationis magis desiderant?* cui ita respondetur; *Principia & narrationes*; quia, nempe, neque in principiis, neque in narrationibus, moveri solent affectus.

5. Non est nostri instituti inquirere in originem affectuum, aut eorum explicare naturam. Paucula tantùm indicabimus indubitata, quibus nitetur quod de difficultate intelligendæ figuratæ orationis dicemus. Cùm ab iis qui nos educant, à prima infantia, excitentur & foveantur in nobis affectus; paulatim fit ut his nimiùm indulgere adsueti, nullâ re commoveamur, aut delectemur, nisi iis quæ affectibus blandiuntur. Cætera omnia videntur nobis tædiosa & insulsa; nec ea, nisi inviti, patimur. Hinc fit ut somnus nobis obrepat, ubi audimus paulò copiosiùs exponentes ipsam veritatem; sed, quæ per se apta non est ad creandam nobis admirationem, spem, metum, aut similem quempiam affectum ingenerandum. Imò veritates ipsas, quæ naturâ suâ nos percellere deberent, immoti sæpe au-

---

* *Lib. I. Od.* 16. † *Scriptor ad Herenn.* Lib. 1. c. 7. ‡ *Lib. III. p.* 71. *Ed. Parf.*

dimus; nisi ita describantur, ut aliunde in nobis creentur affectus. Quantumvis sit periculum, nisi quasi imminens à nobis spectetur, eo non percellimur, etiam moniti, si ea admonitio concepta sit verbis propriis. Oportet describi periculum figuratâ oratione, quâ affectus, re commoveri interdum nescii, verbis vehementiùs cieantur. Exemplum in Orationibus sacris cernere est, quæ licèt admonitionibus summi momenti refertæ sint, somnum conciliant, nisi Rhetorum pigmentis ornatæ prodeant.

6. Si porrò quæramus rationem, ob quam figuris ita afficimur, comperiemus eam ejusmodi esse ut obscuritatem necessariò pariat. Figuræ tantam vim argumento, quod iis exornatur, addunt, quòd audienti, aut legenti eam tantùm ejus partem ostendant, quæ est omnium aptissima ad eum commovendum, amotis, aut potiùs tectis, quæ commotionem illam sistere possent. Si miles sit ad pugnam cohortandus, alto premuntur silentio horror mortis, qui naturâ omnibus inest, summa cautio quæ debet adhiberi, ubi de effundendo sanguine humano agitur, aliáque quæ viro sapienti tunc pensitanda essent; sed ab infaustis ejusmodi vocibus abstinetur, gloria militi proponitur è victoria colligenda, divitiæ è spoliis conficiendæ, præmia, honores, &c. quibus fit ut à prioribus illis animum avertat, & in hæc intentus, alacris rem per se omnium fœdissimam, deterrimi carnificis munus obire in innocentes aggrediatur. Exemplo esse potest oratio Cæcinæ, apud *Tacitum Ann.* Lib. I. c. 67. ubi territis militibus difficultate itinerum, adverso prælio, jacturâ impedimentorum, metu imminentis hostis, ostendit *unam esse in armis salutem, manendum intra vallum, dein erumpendum, illâ eruptione ad Rhenum perveniri; quòd si fugerent, plures sylvas, profundas magis paludes, sævitiam hostium superesse; at victoribus decus, gloriam, quæ domi chara, quæ in castris honesta.* Subdit Tacitus eum *reticuisse de adversis*, aut præsentibus, aut futuris; ne, nempe, terror augeretur imagine præteritæ cladis, simílisque in futurum timeretur.

7. Huic negotio aptare possumus, quod *Cicero* de Inventione Lib. I. n. 24. ait observandum, si pro re turpi dicendum sit. *Si causæ turpitudo*, inquit, *contrahet offensionem; aut pro homine, qui offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet; aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quæ probatur; aut pro re hominem, aut pro homine rem; ut ab eo quod odit, ad id quod diligit auditoris animus traducatur.* Hac enim arte fit ut auditor id tantùm animo verset, quod non est turpe, cùm de re turpi cogitare eum oporteret. Ideò, verbis honestis, res nequaquam honesta velatur.

8. Hac in re situm est universum pœnè orationis figuratæ artificium; dum autem is, qui ejusmodi oratione utitur, conatur

natur animum legentium, vel audientium ad certam argumenti sui partem convertere, & utitur loquutionibus ex parte duntaxat veris, ægrè ut plurimùm intelligitur. Notiones enim rerum, quæ nobis obversantur, comparamus cum ejus verbis, & cùm videamus ea verba nonnisi partim notionibus convenire, hæremus dubii an rectè mentem Scriptoris intelligamus; seu an modum illum, quo nobis videntur vocabula convenire notionibus, urgere voluerit is quem legimus, vel audimus, an verò aliud quidpiam.

9. Exempli gratiâ, Hector, Iliad. Υ. 371. ita loquitur de Achille, quem formidabant Trojani, quòd neminem, cùm eo congrediendo parem censerent:

Τῷ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ:

Huic ego occurro, licèt manibus igni simili,
Licèt manibus igni simili, robore verò splendenti ferro.

Intelligimus quidem summatim hoc velle Hectorem, se obviam iturum Achilli, quantumvis strenuo, quod volebat Hector à Trojanis intelligi. Sed præterea si singula verba excutiamus, ut accuratè nôrimus, quas notiones illis subjecerit Poëta, deprehendemus non levem esse difficultatem. 1. ἀντίος εἶναι an simpliciter significat *contrà ire*, an verò eâ loquutione continetur *resistendi*, aut *aggrediendi* animus? 2. ἀντίος εἶμι éstne, solitus sum contra eum consistere, antehac contra constiti, vel illico hoc faciam, si necesse sit; vel decrevi facere, & certò faciam? 3. Quid est πυρὶ χεῖρας ἐοικέναι; éstne manuum motu, celeritatem ignis æquare; an manu id præstare, quod ignis facit; an manus habere æquè formidandas, ac ignem? Alibi Poëta *Menelaum* inducit de Hectore dicentem, Ἕκτωρ πυρὸς αἰνὸν ἔχει μένος, *Hector gravem vim habet ignis.* Iliad. P. vers. 565. Passim etiam prælium incendio confert. 4. An Hector vult dicere re verâ Achillem πυρὶ χεῖρας ἐοικέναι, an verò quamvis manibus ignem æquaret, se non detrectaturum pugnam; nedum ut eum, qualis erat, fugeret? 5. Μένος αἴθωνι σιδήρῳ simile, quatenus in re est? an in gravitate ictuum, an in amoliendis illatis plagis, aut resistendo armis duritie suorum? 6. Denique αἴθων σίδηρος éstne splendens gladius, aut quodlibet ferrum, adeò ut αἴθων sit epithetum otiosum; an verò est *candens ferrum*, cui similis sit aliqua in re Achilles? Quis dicet an Homerus omnes hasce ἐννοίας in animo habuerit, an aliquot tantùm, & quænam eæ sint? Certè vix ipsum, si revivisceret, dicturum putem, ob rationes quas postea offeram. Attamen nemo est, qui non afficiatur hisce duobus versiculis, & vim eorum non laudet, si modò Poëtarum Græcorum stylo adsuetus sit. Obversantur,

nempe, animo ferrum & ignis, duæ res efficaciſſimæ, quibus conferebatur Achilles, & illa ἀναδίπλωσις, εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, quâ Hector ſignificat ſe, licèt probè intelligat periculum, audacter id ſubiturum, ita animum legentium percellunt, ut in obſcura fortitudinis notione adquieſcant, ne cogitantes quidem de notionibus ſingulis vocibus adnexis.

9. Secundò, figurata oratio nos tantopere afficit, quòd rem exornando augeat, non ita quidem ut illico appareat eam augeri, occultiùs enim hoc fit; ſed tamen ut ingerat animo noſtro majorem quamdam imaginem, quàm ea eſſet quæ ex ſimplici ſermone naſceretur. Quoniam autem limites illius augmenti, ut ita loquar, vocabulis perſpicuè non ſignantur; obſcurum eſt quàm latè loquentis notio pateat. Cæterùm *augmentum* intelligo, tam in ſeciorem, quàm in meliorem partem; & quod complectitur extenuationem, non minùs quàm exaggerationem.

10. Exempli gratiâ, *facere Deos* habet vim aliquam αὐξητικὴν, in hoc Epigrammmate *Martialis*, Lib. VIII. c. 24.

Qui fingit ſacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui colit ille facit.

Propriè ſi loquamur, *facere Deum* eſt efficere, ut qui Deus antea non erat Deus evadat; quod non poteſt dici de ſtatua, quæ non eſt Deus, poſtquàm coli cœpit. Attamen videtur *Martialis* tropicè ſtatuam vocare *Deum*; deinde *facere eam Deum*, eſſe ei ſtatuæ honorem exhibere, qui ſolebat ſignis Deorum; vel conſecratione efficere ut Deus, cui dedicata eſt, eam inſideat; nam & * hoc, de ſtatuis Deorum ritè conſecratis, credebant Ethnici. Apparet quidem phraſi *facere Deum* plus dici, quàm reverâ fieri credebat *Martialis*; ſed dubium eſt utra ex memoratis ſignificationibus ei phraſi conveniat, & quouſque pateat ἐνοίκησις Θεοῦ, *inhabitatio Dei*, ſi ad poſteriorem reſpexit.

11. Eadem occurrit difficultas, in loquutionibus metaphoricis Scripturæ, ubi Dii Ethnicorum dicuntur † eſſe meræ ſtatuæ, ſine ſenſu ullo. Nam Gentes omnes aut animos mortuorum hominum, aut dæmonas, aut ſidera colebant, quorum vim neſcio quam ineſſe ſtatuis exiſtimabant; non ſtatuas ipſas, quaſi eas ſolas Numina ſua eſſe cenſuiſſent. Itaque oportet in ea figura Scriptorum ſacrorum eſſe aliquam αὔξησιν, nec facile eſt ſcire, quàm latè pateat; & utrum voluerint dicere, eos qui Numina in conſecratis ſtatuis colebant, æquè inſaniviſſe, ac qui meros lapides coluiſſent; an verò vim illam divinam, quam

* *Arnob. cont. Gentes Lib. VI. p. 254. Ed. Par. 8. 1605. ubi vide notas Deſ. Heraldi.*
† *Pſalm. CXV. & CXXXIV.*

somniabant Idololatræ inesse statuis, nullam fuisse, ideóque universum eorum cultum in statua substitisse; an aliud quidpiam, cujus nobis in animum non venit? Quidquid id est, phrasin hancce ex Idololatrarum usu desumpserunt Hebræi, ut apparet ex oratione Labanis Gen. XXXI. 30. ubi statuas sibi subreptas *Deos suos* vocat. Ita cùm Ap. Herdonius Capitolium, cum servorum & exulum manu, occupasset, dixit in concione P. Valerius Consul: *Jovem Opt. Max. Junonem Reginam, alios Deos, Deásque obsideri*, *Livio* narrante, Lib. III. c. 17. Ambracienses apud eumdem queruntur, sublatis à M. Fulvio Cos. Deorum signis, *simulacra Deûm, Deos imò ipsos, convulsos ex sedibus suis ablatos esse, parietes, postésque nudatos. Quos adorent, ad quos precentur & supplicent Ambraciensibus non superesse.* Idem de Attalo, qui Romanis Idææ Matris simulacrum avehendum tradidit: *Is legatos comiter exceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrúmque iis lapidem, quem* MATREM DEUM *incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportare Romam jussit.* Lib. XXIX. c. II. Hinc magnam invidiam subiit Stilpo Philosophus Athenis, unde & migrare jussus est, quòd Minervam Phidiæ *Deum esse* negasset, quam historiolam habet *Diogenes Laërtius* Lib. II. §. 116.

12. Tertiò, cùm multa sint quæ, si penitiùs introspiciantur, non apta sunt ad commovendos affectus, non modò eorum partem aliquam Auditoribus suis Oratores ostendunt dumtaxat, aliis silentio velatis; nec modò augent eam, quam spectari volunt, prout necesse esse judicant, sed quibusdam præterea vocibus generalibus, seu præstantiorem, seu tenuiorem notionem adjunctam habentibus, exprimunt; ne animus audientium, illo veluti phantasmate occupatus, rem accuratiùs expendat. Cùm sub Tiberii principatu de cohibendo luxu ageretur, * *Gallus Asinius* orationem habuit, quâ ostendit, dum Imperium augebatur, auctas etiam esse privatorum opes, adeóque mirum videri non debere, si sumptus majores tolerarent. Eâ oratione factum ne Senatûs Consultum ullum fieret, hac de re, adsentientibus ei Senatoribus: *Facilem adsensum Gallo*, ait Tacitus, *sub* NOMINIBUS HONESTIS, *confessio vitiorum, & similitudo audientium dedit.*

13. *Augustinus*, & qui ejus de *Gratia* sententiam sequuti sunt, non modò quantùm possunt impediunt, ne Lectoribus obversetur imago iniquitatis; quæ est in ferendis legibus, iis à quibus Deus scit eas non posse observari, non ipsorum culpâ, sed primi hominis, ob cujus peccatum destituti sunt omni virtute; deinde in eis æterno exitio damnandis, quod numquam potuerunt vitare, quia necessario auxilio in eam rem carent, ob

* *Tacitus Ann. II.* 33.

Adami culpam; nec modò verbis amplificant gratiam Dei erga pauculos Electos, quos salute donat; sed ubi contingit difficultates, quæ in eorum doctrina sunt, urgeri, tum verò omnia velant generalibus dictis, *non posse nimis deprimi hominem, & Deum contrà extolli, Deum nemini debere gratiam, ejus judicia esse ἀκατάληπτα*, aliisque similibus. Qui generalium ejuscemodi responsionum involucra expendunt, vix ac ne vix quidem intelligere possunt quid sibi velint. Si enim responsa illa urgeantur, sequetur, ut deprimatur homo, omnes ejus actiones Deo esse tribuendas, adeò ut sit *subjectum*, ut loquuntur Scholastici, *merè passivum*, in quod Deus quasi in lapidem agat; quod illi acerrimè negant. Si verò non sint nimiùm illa urgenda, sequetur sine divinæ gloriæ imminutione posse dici hominem aliquid agere, ac proinde non à Deo tantùm moveri, sed aliquid viribus suis efficere, quod illi pariter negant. Atque hinc fit, ut quid sibi velint, generalibus illis loquutionibus, vix intelligi queat.

14. Certè Deus *nemini debet gratiam*, ut aiunt, sed hoccine significat Deum, in pœnam peccati Adami omnes homines spoliare justitiâ, quâ alioqui ornati essent, & propterea eos damnare? Sanè Deus etiam sibi, ut ita dicam, debet æquitatem, seu naturâ suâ est æquus, ideóque tale quidquam facere nequit.

15. Multa quidem sunt, in humanarum rerum administratione, ἀκατάληπτα, seu quorum rationem adsequi non possumus; sed hoccine ejusmodi est, ut ideò liceat quasvis iniquitates Deo tribuere, & postea se tueri frigidâ exclamatione? Si hoc ita se haberet, nullum non delirium, è Scriptura detorta deductum, defendi posset; quod *Augustini* tamen Discipuli ægrè ferrent.

16. Hinc Rhetores docent diligenter cavendum ne tropi ex re humili nimiùm, aut audientium aures offendente petantur. Cùm addere debeant orationi majestatem, eam contrà minuerent, si essent petiti è rebus humilioribus iis, à quibus petuntur voces propriæ. Efficerent ut res per se magnæ minores viderentur, earum loco substitutis minoribus imaginibus, quod scopo Oratoris adversatur; nisi, in contrariam partem, vellet res magnas deprimere. *Quoniam*, ait summus & Orator & dicendi magister, *hæc vel summa laus est verbi transferendi, ut sensum feriat id quod translatum sit, fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos qui audient trahet similitudo. Nolo morte dici Africani*, castratam esse Rempublicam; *nolo* stercus Curiæ *dici Glauciam. Quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis.* Vide & *Vossium* Inst. Orat. Lib. IV. c. VI. §. 9. & *seqq.*

17. Quartò

17. Quartò, ope figuratæ dictionis ubi ſemel commoti ſunt affectus, non rigidè is qui eloquentiâ dicentis perculſus eſt ejus dicta expendit. Obverſantur ejus animo, non plenæ & diſtinctæ loquentis notiones, ſed earum dumtaxat partes aptiores ad eum commovendum; eæque ſunt quibuſdam additis imaginibus ornatæ, quibus augentur; ac præterea accedunt generales quædam notiones quibus connectuntur; unde fit ut occupatus animus, atque affectu impeditus, in phantaſmatibus illis acquieſcat, & indignetur etiam iis, qui perſpicuam explicationem eorum quæ admiratur flagitant.

18. Quando contingit ab homine, qui numquam rem diligenter animo verſavit, audiri Oratorem dicentem *rem eſſe nullam, quæcumque tandem ſit, quæ à Deo non creetur, quandoquidem ſumma Dei perfectio poſtulat, ut ſolus ſit ſumma omnium rerum cauſa*; is Orator facilè in adſenſum trahit audientem, cujus cerebrum variis commovit tropis aut figuris, & cujus animo phantaſma quoddam, quod ſignificatur hiſce generalibus vocibus: CAUSA OMNIUM RERUM objecit, quo occupatus aliò convertere oculos nequit.

19. At ſub iis vocibus latet quandoque hæc ſententia, ipſarum etiam cogitationum humanarum, quæ inter Entia recenſentur, Deum eſſe auctorem; adeóque ipſam mentem humanam nihil quidquam agere, ſed tantùm agi, inſtar machinæ quæ nervis alienis movetur. Cùm verò objicitur; Deum, hoc poſito, malas etiam cogitationes injicere hominibus, denuo delabuntur ad *abſtractas* & generales loquutiones; dicunt, nempe, poſſe ſpectari in cogitatione qualibet aliquid *phyſicum*, aliquid *morale*; prioris Deum eſſe auctorem, poſterius, ubi ſermo eſt de malo, eſſe nihil. Sic parum cautos occupant, notione abſtractâ *cogitationis*, quæ poteſt ſine vitio ac virtute eſſe, & *defectûs* cujuſpiam ſeorſim ſpectari, in quo cogitationis vitium ſitum eſſe aiunt. Accedente dein figurato ſermone, *à Deo omnia pendere, ejus infinitæ* ὑπεροχῆς *perfectionem eſſe ut omnia ejus ope fiant, nihil ſine eo eſſe, alioqui creaturam ejus regimini eripi*, & ſimilibus; ita commovetur cerebrum auditorum, ut non videant Religionem omnem & ſocietatem ipſam civilem radicitùs evelli, fictâ illâ Numinis reverentiâ, & monentes etiam cum indignatione excipiant.

20. Qui ſunt ejuſcemodi ſermonibus adſueti non modò audientibus fucum faciunt, ne poſſint intelligere quid velint; ſed ſemet ipſi deludunt. Hinc fit ut cùm monentur, de ſenſu quem illæ loquutiones fundunt, negent ſe eum ſenſum agnoſcere, ſi aliis verbis ſit conceptus, licèt ſit prorſus idem. Quiſquis affirmat Deum eſſe cogitationum omnium noſtrarum auctorem; adeò ut, ſine ejus interventu, eóque, ut loquuntur,

quuntur, *prædeterminante*, nihil poſſimus cogitare, & vice verſa co *prædeterminante* non poſſimus non cogitare quod vult; quiſquis, inquam, talia affirmat, idem contendit Deum eſſe mali, non minùs quàm boni, auctorem. Attamen qui ita loquuntur hoc à ſe admitti acerrimè negant, &, ut puto, bonâ fide negant, quia rei perſpicuè expreſſæ non adſentiuntur; licèt ſub involucris *abſtractarum* quarumdam notionum, figuratis vocibus veſtitarum, idem planè amplectantur.

21. Si quis dubitaret, an qui figuratâ oratione tantopere delectantur, affectibus præpediti ſint; eſſent duntaxat rogandi, ut vocibus propriis, quoad fieri poteſt, mentem ſuam exprimerent. Tum ex illorum inanibus conatibus, & in figuram ſemper delabentibus appareret illos, præ commotione cerebri, neſcire quid ſibi velint. Nempe, de omnibus, qui nimiùm pigmenta Rhetorica deamant, idem dici poteſt quod ingenioſiſſimè de Poëtis *Socrates* in Apologia, apud *Platonem*, dicit: οὐ σοφίᾳ ποιοῦσι, ἀλλὰ φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες, ὥσπερ οἱ θεομάντεις καὶ οἱ χρησμῳδοί: *non arte, ſed naturâ quadam & veluti afflatu faciunt ut divini & vates.* Καὶ γὰρ οὗτοι λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλά, ΙΣΑΣΙ δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσι: *etenim hi dicunt multa & egregia quidem, ſed neſciunt quid dicant.* Reverâ orationes valde figuratæ non conſcribuntur, ſine commotione animi, parum apta ad inveſtigationem veri, ſed ad grandiloquentiam accommodatiſſima; ut experti ſunt quicumque, furore illo Rhetorico deferveſcente, ſeriò cogitationes ſuas expenderunt.

22. Quintò, ejuſmodi ſunt nonnullæ figuræ, ut aliunde notum loquentis animum eſſe oporteat, ſi intelligi velit. Ad haſce pertinet λιτότης, quâ plus ſignificatur quam dicitur. *Livius*, de *Polybio* verba faciens, *Syphacem*, inquit, *in triumpho ductum Polybius, haudquaquam ſpernendus auctor, tradit.* Lib. XXX. 45. *Fulvius Urſinus* cenſet tam tenue elogium ab invidia profectum, cùm *Livius* pœnè integros ejus deſcribat libros. At *Iſaacus Caſaubonus* λιτότητα eſſe acerrimè contendit, & plura ejus figuræ profert exempla. Plurima quoque habet *G. Voſſius* Inſtit. Oratoriæ Lib. IV. c. X. §. 8. Sed res vix poteſt exemplis liquidior fieri, quia cùm λιτότητα frequentem eſſe conſtet figuram, non perinde conſtat de candore *Livii*; qui Romanos fortè ab lectione *Polybii*, ne ejus retegerentur furta, frigido elogio, deterrere voluit.

23. Ejuſdem generis *Ironia* eſt, quæ eſt oratio, quâ contrarium ejus quod volumus affirmamus, datâ operâ, ſed non ſeriò. At quomodo intelliget Lector, vel auditor nos figuratè loqui, non ſimplici uti & ſeria affirmatione? Reſpondet *Quinctilianus* *; *aut pronunciatione, aut perſonâ, aut rei naturâ. Nam*

* *Inſt. Orat. Lib. VIII. c. 6.*

ſi quis

si qua earum verbis dissentit, apparet diversam esse orationi voluntatem. Sed *pronunciatio* ad auditorem tantùm pertinet, nos verò de Lectore hîc agimus. Non diffitemur *personam*, aut *rem*, aut denique aliam circumstantiam persæpe clara esse Ironiæ indicia; sed loca sunt, in quibus nec personâ, nec ullâ aliâ circumstantiâ, Ironia fit manifesta.

24. Exempli causâ, Æneidos I. 41. Juno ita loquens inducitur:

——Méne incepto desistere victam?
Nec posse Italiâ Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor fatis! Pallásne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto
Unius ob noxam, &c.
Ast ego, quæ divûm incedo Regina, Jovisque
Et soror & conjux, una cum Gente tot annos
Bella gero, &c.

Subinnuit *Servius* verba, *quippe vetor fatis*, Ironiam esse, quia dicere non possumus à Junone ignoratam vim fatorum. *Gerardus* verò *Vossius* * hoc exemplum profert, ex quo constet in hac parte summos etiam viros decipi; aitque neminem negaturum eum falli, qui naturam Junonis & Virgiliani loci consideret. At ego utroque considerato, Ironiam hîc esse omnino credo, nec aliud vult Juno nisi hoc: fatis, quæ mihi à Jove objiciuntur, cùm de funditus perdenda Trojana gente loquor, vetari nequeo, ne quod cupio effectum dem. Nemo nescit Poëtas, postquàm fata mutari non posse dixerunt, tamen *præter fatum*, ὑπὲρ μόρον, dicere multa contingere. Itaque *Virgilius* Junonem inducit, ita loquentem, quasi ei objici nequeat fatum, ne faciat quod cupit. Vide versum 22.

25. Sed ut exemplum, ex re majoris momenti, proferam, verba sunt Dei Gen. III. 22. *En Adamus, instar unius nostrûm factus est, nunc autem, ne manum suam injiciat & sumat ex arbore vitæ, vivátque in perpetuum, cavendum.* Quæritur, inter interpretes, utrum hæc sine figura intelligenda sint, an verò Ironiam, vel Sarcasmum hîc quærere nos oporteat. Posterius nobis vero similius videtur, ut in Commentario ad eum locum ostendimus. Non defuerunt tamen, qui aliter sentirent, quos consulere poterunt qui abundant otio; nam nobis satis est exemplum proposuisse, ex quo liqueret non semper Ironias à viris doctis intelligi. Qua de re adeundus etiam *Ger. Joan. Vossius*, loco quem antea indicavimus.

26. Sextò, huc quoque facit, quod affert † *Cicero*, ut ostendat quid sit, quòd omnes translatis & alienis magis dele-

* *Inst. Orat. Lib. IV. c. IX. §. 2.* † *De Oratore Lib. III. c. 40.*

ctantur, quàm propriis & suis; nempe, *quòd singulis verbis res, ac totum simile conficitur*, hoc est, integra uno verbo similitudo contineatur; cujus proinde partes omnes cognoscere dilucidè non possumus, ut antea diximus. Præterea, eodem judice, delectatio illa oritur *quòd omnis translatio, quæ quidem summâ ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maximè oculorum, qui est sensus acerrimus.* Hoc ipsum rem intellectu difficiliorem facit, nam dum nobis Orator in conspectu ponere nititur, quæ videre non possumus, res diversissimi generis inter se confert, ac proinde inter quas non nisi tenuis & obscura est similitudo.

27. Profert ex veteri Poëta hæc verba:

——— Vive Ulysses, dum licet,
Oculis postremùm lumen radiatum rape,

quibus Ulyssem quàm primùm vita uti, quæ ei brevis futura erat, hortatur nescio quis. In iis hoc meritò observat *Crassus*, aut *Cicero* potiùs, non dixisse Poëtam *cape*, non *pete*, quia haberet moram sperantis diutiùs sese victurum, sed *rape*; quod verbum est ad id aptatum quod ante dixerat, *dum licet*. At homini brevi morituro quid faciendum ut *vitam rapiat?* Quid Ulysses, hac auditâ voce, in animo habuit? Scio equidem quid responderi possit, sed nihil hîc obscurum, ac perturbatum admitto. Novi quoque *Horatium*, hæc fortè imitantem, dixisse Od. XI. Lib. I.

——— Sapias, vina liques, & spatio brevi
Spem longam reseces, dum loquimur, fugerit invida
Ætas; CARPE diem, quam minimùm credula postero.

Hoc sensu, *rapere radiatum lumen* solis erit bibere & lætari, quarum rerum modus non indicatur. Hi fructus sunt vitæ, qui *carpendi*, imò *rapiendi*, dum licet, nobis sunt, sed quâ ratione & quo numero? Imitatus etiam est, ut hoc obiter dicam, veterem à Cicerone laudatum Poëtam *Petronius* in Satyr. qui naufragium facturum amatorem ita cum amasio colloquentem inducit: *da oscula, dum licet, & ultimum hoc gaudium, fatis properantibus*, rape. Sic & *Thalmudici*, harum elegantiarum alioqui negligentiores: חטוף ואכיל חטוף ואישתי דעלמא דאזלינן מניה כהילולא דמי: *rape & comede, rape & bibe, nam mundus hic, ex quo imus, nuptiali festo similis est.* Vide *Joan. Buxtorfium in* Lex. Rabb. ad radicem הלל.

CAPUT

CAPUT XVI.

XV.

Brevis Historia studiorum Rhetoricorum, quibus difficillimum cognitu factum est, quid cogitarint de pluribus rebus celeberrimi Scriptores.

1. POSTQUAM ostendimus quantas tenebras sermoni Rhetorica offuderit, ut constet etiam quàm multi Scriptores figuratam dictionem simplici prætulerint, ac proinde quanta sit difficultas in intelligendis Veteribus; hîc paucis studiorum Rhetoricorum historiam texemus.

2. Initio quidem, quo Græci habebant tractum, cui nomen fecerunt, cùm durior adhuc vita esset, non videntur Rhetoricen coluisse. Fatendum tamen, apud eam Gentem, antiquissimam esse artem dicendi; quoniam *Homerus*, cujus ætas, propter antiquitatem, à bis mille annis ignoratur, summâ fuit eloquentiâ; ex quo constat, etiam ante eum excultam fuisse dicendi artem. Verè *Cicero*, * *jam temporibus Troicis*, inquit, *tantùm laudis in dicendo Ulyssi non tribuisset Homerus, & Nestori* (*quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem*) *nisi jam tum esset honos eloquentiæ; neque ipse Poëta hic tam idem* (lego, *item*) *ornatus in dicendo, ac planè orator fuisset.* Cùm autem ejus artis tanta esset vis, ut qui eâ valebant ii innumera impetrare possent, quæ à minùs eloquentibus non obtinebantur; tum in Reipublicæ administratione, ubi consensus Populi requirebatur; tum apud Judices, ubi causa dicenda erat; tum etiam apud quosvis alios, in quotidianis vitæ negotiis; plures eam excolere cœperunt, & *Corax* quidem † ac *Tisias* Siculi primi artis præcepta collegerunt & scriptis mandârunt, ut ex *Aristotele* nos docet *Cicero*. Neque existimandum est postea à bonis tantùm esse traditam, virtus enim sola eloquentiam non parit; sed à malis etiam, quibus neque veritas, neque æquitas cordi erant. Atque hinc factum ut Rhetorica complecteretur, non modò artem defendendæ veritatis, aut tuendi juris; sed etiam cujusvis & veritatis, & juris oppugnandi.

3. Circa tempora Peloponnesiaci belli, quibus præstantissimi Rhetores apud Græcos floruerunt, vivebant ‡ *Leontinus Gorgias*, *Thrasimachus Chalcedonius*, *Protagoras Ab-*

* *In Bruto c.* 10. † *Cicer. de Orat. Lib. I. c.* 40. *& in Bruto c.* 12. ‡ *Ex Cicerone de Claris Orat.* §. 8.

derites, *Prodicus Cejus*, *Hippias Eleus*, aliíque multi qui docêre se profitebantur, errogantibus ſanè verbis, quemadmodum cauſa inferior dicendo fieri ſuperior poſſet; ita enim loquebantur. *Protagoræ* potiſſimùm, qui volebat *omnia eſſe vera*, hoc eſt, id *verum* vocari quod unicuique videretur, fallaciſſimæ artis tribuitur inventio. Πρῶτος ἔφη, verba ſunt *Laërtii Diogenis*, δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις: *primus dixit duas eſſe de omni re rationes contrarias. Gorgias* quoque *ſe ad omnia de quibus quiſque audire vellet eſſe paratum denunciabat. Poſtea verò vulgò hoc facere cœperunt, hodieque*, ait * Cicero, *faciunt; ut nulla ſit res neque tanta neque tam improviſa, neque tam nota, de qua ſe non omnia quæ dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos.* Contra hoſce Rhetoras, licèt immeritò Socratem iis adgreget, imò eorum principem faciat, aculeatiſſimam Satyram edidit *Ariſtophanes*, in *Nubibus*. Eodem in numero erant *Sophiſtæ*, de quorum *argumentis* ſcripſit *Ariſtoteles* libros duos, & quorum ingenium † hiſce verbis deſcribit: ἐπεὶ δὲ ἐστί τισι μᾶλλον πρὸ ἔργου τὸ δοκεῖν εἶναι σοφοῖς, ἢ τὸ εἶναι καὶ μὴ δοκεῖν (ἔστι γὰρ ἡ σοφιστικὴ φαινομένη σοφία, οὖσα δὲ μή· καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης) δῆλον ὅτι ἀναγκαῖον τούτοις καὶ τὸ σοφοῦ ἔργον μᾶλλον δοκεῖν ποιεῖν, ἢ ποιεῖν καὶ μὴ δοκεῖν: *quoniam quibuſdam operæ pretium majus eſt, ſi videantur ſapientes, quàm ſi ſint, nec tamen videantur (Eſt enim Sophiſticè apparens ſapientia, ſed quæ reipſâ non eſt; & Sophiſta is qui lucrum quærit ex apparente, non ex vera ſapientia) perſpicuum eſt neceſſe eſſe hos videri munere ſapientis fungi potiùs, quàm eo fungi, nec tamen videri.*

4. Iis, ut rectè ‡ *Ciceroni* obſervatum, ſeſe Socrates oppoſuit, qui ſubtilitate quadam diſceptandi, refellere eorum inſtituta ſolebat. Habemus quatuor Dialogos *Platonis* elegantiſſimos; nempe, *Gorgiam*, *Hippiam*, *Protagoram* & *Euthydemum*, quos *Plato* ex ore Socratis aut ejus nomine edidit, & quibus ii Rhetores pro merito ſuo ridentur. Verùm & Socrates & Plato fruſtra fuere, quandoquidem ab eo tempore Græcia id genus Rhetoribus ſemper abundavit. [a] *Iſocrates* ipſe, cujus indolem probabat Plato, orationes aliquot, ad exemplum Gorgiæ fecit, ubi ſummo vituperio dignos Helenam & Buſiridem ad cœlum laudibus tollit. Certè cùm ob dicendi facultatem ſæpe par, nonnunquam etiam ſuperior videretur qui injuſtam cauſam defendebat, atque inde magna emolumenta, & ſalus interdum penderet; cœperunt boni, ut ſe ſuóſque defenderent, ejuſmodi artem diſcere; mali verò utilita-

* *De Oratore c. 22. Lib. I.* † *Cap. 2. Lib. I.* ‡ *Loco Laud. & de Orat. Lib. III. c. 16.* a *Sub finem Phædri.*

tis causâ, ut prava facinora tuerentur, eidem totis viribus incumbere; denique tota Græcia, ipsique Philosophi, qui veritatis investigationem profitebantur, certatim ad eloquentiam eniti.

5. Plerique hoc unum spectabant, ut facultatem acquirerent eleganter de quovis argumento, in utramvis partem, dicendi. Cùm autem hoc multò magis ex consuetudine atque exercitatione penderet, quàm ex rerum ipsarum cognitione, & veritatis indagatione; non tantopere desudabant in acuendo judicio, & cognoscendis disciplinis, quàm in scribendis ac recitandis orationibus. Si quam Philosophiæ operam darent, id eo animo non faciebant, ut veritatem, si quæ ei inesset, cognoscerent; sed ut docti viderentur, & Philosophiæ spoliis ornarent orationes, apud judices, aut apud Populum habendas. Addiscebant potissimùm *Dialecticen*, quæ ars fuit disceptandi, & quidvis oppugnandi, aut defendendi, non minùs ac Rhetorica ipso fatente * *Aristotele*, cujus hæc verba sunt: ἡ Διαλεκτικὴ καὶ Ῥητορικὴ μόναι τἀναντία συλλογίζονται, ὁμοίως γάρ εἰσιν ἀμφότεραι τῶν ἐναντίων: *Dialectica & Rhetorica, solæ contraria concludunt, est enim utraque pariter contrariorum.*

6. Non credebant in Orationibus nihil oportere proferri, quod verum non censeretur, & validis niteretur argumentis; satis habebant afferre verisimilia, nec eâ quidem verisimilitudine, quæ per se audientium animos percellit; sed quæ non esset perspicuæ ac manifestæ veritati contraria. Modò ne absurdis rationibus, & quarum infirmitas cuivis illico appareret, uterentur, satis pulchrè dicere se existimabant. Hinc † *Aristotelis* libri *duplicem scopum* habere dicuntur, διπλοῦς σκοποὺς, τὸ πίθανον καὶ τὸ ἀληθὲς, *probabile & verum.* Δύο δὲ, *ait Laertius* πρὸς ἑκάτερον δυνάμεσιν ἐχρήσατο, διαλεκτικῇ μὲν καὶ ῥητορικῇ πρὸς τὸ πιθανὸν: *duabus ad utrumque facultatibus usus est, Dialecticâ quidem, & Rhetoricâ ad probabile:* ἀναλυτικῇ δὲ καὶ φιλοσοφίᾳ πρὸς τὸ ἀληθὲς: *Analyticâ & Philosophiâ, ad verum.*

7. Quicumque veteres Rhetoras legerit, non diffitebitur eos tantùm τὸ πιθανὸν spectasse; & sanè si quis paulò severiùs orationes Veterum quæ supersunt expendat, ubique ferè deprehendet eos usos argumentis πιθανοῖς, hoc est, levi verisimilitudine tinctis, eadem audaciâ, ac si comperta proloquuti essent. Ipsi cordatiores Philosophi fatebantur sua esse tantùm probabilia, quam in rem notatu digna sunt ‡ *Platonis* in Timæo verba: ἐὰν μηδενὸς ἧττον παρεχώμεθα εἰκότας λόγους, ἀγαπᾶν χρὴ, μεμνημένον ὡς ὁ λέγων, ὑμεῖς τε οἱ

---

* *Rhetor. Lib. I. c. 1.* † *Diog. Laert. de Vita Arist. p. 319. Ed. H. Steph. Amst. L. V. n. 18.* ‡ *Ed. Ficin. p. 526.*

κεκτῆσθαι φύσιν ἀνθρωπίνην ἔχομεν. Contentum te esse oportet, si non minus probabiles, quàm quivis alius, sermones protulero; memorem, & me dicentem, & vos, qui judicabitis, naturâ humanâ esse præditos.

8. Eà consuetudo acuendæ linguæ, ex quo semel radices inter Græcos egit, nunquam ex eorum animis evelli potuit. Semper fuere postea doctores qui artem loquendi profiterentur; licèt eadem docendi methodo semper usi non sint. * *Quinctilianus* auctor est fictas ad imitationem fori materias, apud Græcos, dicere, circa Demetrium Phalerea, institutum. *Cicero* verò se puero *L. Plotium* primum Romæ Latinè docere cœpisse affirmat, sed antea plurimi fuerant, apud Romanos, eloquentiæ studiosi, ut liquet ex ejus libro *de Claris Oratoribus*, qui à Græcis magistris instituti fuerant. At hinc perpetuò fuere Romæ dicendi magistri, & universa Juventus Romana certatim eloquentiæ operam dabat.

9. Erant autem variæ exercitationes. 1. Quædam versabantur circa † Ethica argumenta, & vocabantur Θέσεις. Laudabatur virtus, vituperabatur vitium, aut vice versâ; unde natæ ἀνασκευαὶ & κατασκευαὶ, sic enim vocabant, *defensiones* & *confutationes*. 2. Seligebatur ‡ interdum argumentum ex historiis veteribus, aut ex re si quæ fortè recens accidisset, laudandum, vel vituperandum; aut ubi quid suadendum, vel dissuadendum erat. Hæ exercitationes, Ciceronis tempore, *causæ* vocabantur. Ipse testatur se multùm temporis § in *declamatione causarum* posuisse, quandoquidem id à se *quotidie* factum ait. Etiam cùm Cæsar rerum potiretur, apud Ciceronem * *Hirtius & Dolabella declamabant*, licet Senatoria dudum ætate. 3. Hæc exercitia postea † *Controversiæ* dicta sunt, sed immutatâ materiâ; cùm enim antea ex vero eventu desumeretur, tempore *Senecæ* Rhetoris, ficta argumenta electa sunt, quæ præberent occasionem dicendi mirabiliora, quàm quæ usu veniebant, quæ fastidiebantur quasi nimis communia. Atque hæc tractabantur, non modestâ eloquentiâ, sed tragico penè tumore.

10. " Tunc nihil ex iis quæ in usu erant audiebatur; sed
" piratæ, exempli causâ, cum catenis in litore stantes; & ty-
" ranni edicta scribentes, quibus imperent filiis ut patrum ca-
" pita præcidant; sed responsa in pestilentia data, ut virgi-
" nes tres aut plures immolentur; sed melliti verborum glo-
" buli, & omnia dicta factaque, quasi papavere & sesamo

* *Lib. II. c. 4.* † *Suetonius de Clar. Rhetor.* ‡ *Id. Ibid. & Auctor Dial. de Corrupta Eloquent.* § *In Bruto. Vid. & Ep. ad Fam. Lib. XVI. Ep. 21.* * *Ep. ad Fam. Lib. IX. Ep. 16.* † *Seneca in Præf. Controvers.*

sparsa.

ſparſa. Hinc meritò non obeſæ naris * Scriptor ex quo antecedentia verba deſumpta ſunt, aiebat adoleſcentulos, qui ejuſmodi nugis imbiberentur, ſtultiſſimos in Scholis fieri. Quicumque exempla ejuſmodi ineptiarum videre avebit, *Senecæ* & *Quinctiliani* Suaſorias & Controverſias adeat oportet. Temporibus Trajani, *Scholaſtici* vocabantur Rhetores, qui cauſas fictas perorare docebant, & ex tempore de rebus ejuſmodi dicere ſemper parati erant. *Iſæum* ſic deſcribit *Plinius* Lib. II. Ep. 3. *Dicit ſemper ex tempore, ſed tamquam diu ſcripſerit*, &c. *Poſcit Controverſias plures, electionem Auditoribus permittit, ſæpe etiam partes. Surgit, amicitur, incipit.* Poſtea : *annum*, inquit, *ſexageſimum exceſſit, & adhuc Scholaſticus tantùm eſt, quo genere hominum nihil aut ſimplicius, aut ſincerius, aut melius. Nos enim qui in foro, veriſque litibus terimur, multùm malitiæ, quamvis nolimus, addiſcimus.* Vide etiam notulas, ad *Hieroclis Scholaſtici* Facetias.

11. Hæc erant Juventutis potiſſima exercitia, & jam ſub Nerone adeò erant tumidâ illâ eloquentiâ veluti faſcinati, ut in rebus ſeriis eodem modo agerent, quod apparet ex prima *Perſii* Satyra ; ubi præpoſterum eloquentiæ ſtudium reprehendit, & hæc inter alia leguntur in *Pedium Blæſum*, ſacrilegii & peculatûs à Cyrenenſibus accuſatum :

† *Nilne pudet capiti non poſſe pericula cano*
Pellere, quin trepidum hoc optes audire decenter,
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? Crimina raſis
Librat in antithetis, doctas poſuiſſe figuras,
Laudatur, bellum hoc.

12. Vel hæc verba Perſii oſtendunt, illam eloquentiam à ſapientioribus non fuiſſe laudatam. Idem colligere eſt ex ‡ *Antonini* Imp. verbis, quibus ſibi gratulatur, quòd à *Ruſtico* didiciſſet τὸ μὴ ἐκτραπῆναι εἰς ζῆλον σοφιστικὸν, μηδὲ τὸ συγγράφειν περὶ τῶν θεωρημάτων, ἢ προτρεπτικὰ λογάρια διαλέγεσθαι : *non deflectere ad ambitionem ſophiſticam, neque ad ſcribendum de theorematibus, neque ad ſuaſorias oratiunculas habendas.* Sed ii ipſi, qui meritò tumidam eloquentiam ſui ſæculi reprehendebant, immeritò ſanè ſtylum durum & difficilem intellectu affectârunt. Si alii ſtudioſiùs æquo figuras & molliorem elegantiam captabant : hi non meliùs horridam neſcio quam Rhetoricam inducebant, quâ veritas non magis innoteſcebat.

13. Hæc cùm fuerint perpetua Græcorum & Romanorum ſtudia, Scriptores Eccleſiaſtici primorum ſæculorum, qui ea-

* *Petronius, initio Satyrici.* † *Sat. I. 97.* ‡ *De Seipſo Lib. I. 4.*

dem ratione ac Ethnici ſtudia ſua inſtituerant, eodem modo ſcripſerunt ac Ethnici, & figurato ſtylo, plus quàm par erat, indulſerunt. Cùm crederent quæ in rebus humanis hyperbolica forent & nimia, ea rerum ad Religionem pertinentium momentum & majeſtatem vix ſatis exprimere, conſuetudinem contraxerunt perpetuâ quadam declamatione utendi; adeò ut rarò ad ſe redeant, & ſimpliciter id quod volunt exprimant. Atque hinc, ut ex ſuperiore Capite conſtat, non levis intelligendi naſcitur difficultas.

13. Quamvis exemplorum nimia occurrat copia, quemvis ex Veteribus *Tractatoribus*, ut tunc loquebantur, aperienti, unum hîc apponemus ex * *Theophilo Antiocheno*, quod Scriptorem illum legentibus nuper admodum occurrit. Hanc ergo rationem reddit, ob quam Deus conſpicuus non eſt oculis noſtris: " *Quemadmodum malum Punicum cortice involutum habet " intus loculos complures pelliculis diſtinctos, & plurima grana " incluſa: ita univerſa creatura à Spiritu Dei ambitur* (περιέ- " χεται ὑπὸ πνεύματος θεοῦ) *& ipſe Spiritus ambiens, una " cum Creatura, circumdatur manu Dei* (περιέχεται ὑπὸ χειρὸς " θεοῦ.) *Quemadmodum itaque granum mali Punici, quod cor- " tice exteriore includitur, quæ extra corticem ſunt cernere haud " poteſt: ſic nec homo, quem unà cum univerſa Creatura manu " Dei ambit, poteſt videre Deum.* Quî potuit Ethnicus ejuſmodi ratiocinationi cedere, qui neſcivit quid ſit *Spiritus*, aut *manus Dei*, & *ambiri* horum alterutro? Imò credibile eſt ipſum *Theophilum* non ſatis intellexiſſe quid ſibi vellet, illo nimiùm figurato ſermone. Et ejuſmodi quidem loquutionibus, ſcatent Scriptores Eccleſiaſtici.

14. Interdum etiam ipſi Patres, vel maximè declamationi dediti, invehuntur in illam conſuetudinem, ut *Hieronymus*. Ad alios enim Concionatores non reſpicit, quàm ad Chriſtianos, cùm dicit in † Lib. de *Vita Clericorum* ad *Nepotianum*: *Ne quæras pueriles declamationes, ſententiarum floſculos, verborum lenocinia, & per fines capitulorum ſingulorum acuta quædam breviterque concluſa, quæ plauſus & clamores excitent audientium.* Si quis tamen dubitaret an hæc ſit Chriſtianorum eloquentiæ deſcriptio, eximeretur dubium, hiſce ex eadem Epiſtola verbis: ‡ *Docente te, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur, &c. Nolo te declamatorem eſſe & rabulam, garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum, & ſacramentorum Dei tui eruditiſſimum. Verba volvere, & celeritate dicendi, apud imperitum vulgus, admirationem ſui facere indoctorum hominum eſt.*

* Lib. I. ad Autolicum p. 15. Ed. Oxonienſis. † P. 12. Ed. Gryph.
‡ Ib. p. 14.

Attrita

Attrita frons interpretatur sæpe quod nescit, & cum aliis persuaserit, sibi quoque usurpat scientiam. Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus rogatus à me, ut exponeret quid sibi vellet in Luca Sabbathum δευτερόπρωτον, *eleganter lusit ; docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesia : in qua, mihi omni populo acclamante, cogeris invitus scire quod nescis, aut certè si solus tacueris solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis.* Qui fuerint antea plausus, aut potiùs tumultus in foro Romano, vide describentem *Plinium* Ep. XXXVIII. ubi postquàm ostendit signo dato coortos esse plausus : *Opus est enim signo, apud non intelligentes, ne audientes quidem ; nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant.*

15. Ex nimia in ψευδωνύμῳ illa eloquentia exercitatione, idem quoque faciebant in suis disputationibus Christiani, quod in *Pedio* reprehensum vidimus ; nempe, pro rationibus, candidísque responsis ; figuras adversariis opponebant. * *Legimus,* ait alibi idem Hieronymus, *ô eruditissimi viri, in Scholis pariter, & Aristotelea illa, de Gorgiæ fontibus manantia ; simul didicimus plura esse videlicet genera dicendi, & inter cætera aliud esse* γυμναστικῶς *scribere, aliud* δογματικῶς. *In priori vagam esse responsionem, & adversario respondentem nunc hæc, nunc illa proponere ; argumentari, ut libet, aliud loqui, aliud agere, panem, ut dicitur ostendere, lapidem tenere. In sequenti autem aperta frons, &, ut ita dicam, ingenuitas necessaria est. Origenes, Methodius, Eusebius, Apollinaris multis versuum millibus scribunt adversus Celsum & Porphyrium. Considerate quibus argumentis, & quàm lubricis problematibus Diaboli spiritu contexta subvertant. Et quia interdum coguntur loqui non quod sentiunt, sed quod necesse est, dicunt adversus ea quæ dicunt Gentiles. Taceo de Latinis Scriptoribus Tertulliano, Cypriano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario ; ne non tam me defendisse, quàm accusasse alios videar.* Tam apertè sophisticen se adhibere profitetur, ut non modò à celeberrimis eloquentiâ & eruditione Scriptoribus factum id esse dicat ; sed etiam, quæ est hominis confidentia, idem Paulo Apostolo tribuat : *Paulum Apostolum,* inquit, *proferam,* &c. *Legite Epistolas ejus & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est ; & videbitis eum in testimoniis, quæ sumit de Vetere Testamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit ejus quod agit, &c. Hæret in causa, capit omne quod tetigerit ; tergum vertit, ut superet ; fugam simulat, ut occidat.*

* *In Apolog. contra Jovinian. pag.* 106. *Ed. Gryph.*

16. Hinc fit ut, cùm in Scriptis Patrum quærimus quid ſenſerint de dogmatibus obſcuris, aut in controverſiam vocatis, difficillimè invenire liceat quod ambiguitate careat, aut quod hyperbolicis loquutionibus non ſit auctum. Hinc etiam factum ut ſimpliciſſimi primævi Chriſtianiſmi ritus, fallaci pompâ verborum ornati, aut potiùs obruti, neſcio quid *μυστηριῶδες*, & quod ſuperaret naturæ ordinem, ab initio à Deo conſtitutum, habere primùm viſi ſint, & tandem in arcanas ceremonias ſint mutati; unde abſurda conſectaria deducta ſunt, quibus haud parum corrupta eſt ſpecies Chriſtianiſmi, primùm nativâ pulcritudine gratiſſima. Omnes ſatis intelligunt me loqui de Baptiſmo, & Cœna Dominica, nec opus eſt ut in Theologicam diſputationem hîc digrediar.

17. Indidem fiebat ut ipſi olim Martyres, ejuſmodi orationibus adſueti, ita apud Ethnicos loquerentur, ut intelligi non poſſent, & pœnè interdum inſanire viderentur. Colligimus hoc ex *Antonino Imp.* qui Lib. XI. §. 3. docet virum fortem oportere paratum eſſe mori, *μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοὶ, ἀλλὰ λελογισμένως, καὶ σεμνῶς, καὶ ὥστε καὶ ἄλλον πεῖσαι, ἀτραγῴδως: non ex ſimplici, quod Chriſtiani faciunt, perturbatione, ſed ex ratiocinatione, & graviter, & ut alios perſuadere poſſis, ſine tragico verborum apparatu.*

18. Hoc ipſum exprobravit Chriſtianorum Scriptoribus *Porphyrius*, ſuperſtitioſus quidem homo, & Chriſtianæ Religioni infenſiſſimus, ſed longè doctiſſimus. Querebatur Scripturæ Interpretes *αἰνίγματα τὰ φανερῶς λεγόμενα κομπάσαντας, καὶ ἐπιθειάσαντας ὡς θεσπίσματα πλήρη κρυφίων μυστηρίων, διά τε τύφου τὸ κριτικὸν τῆς ψυχῆς καταγοητεύσαντας ἐπάγειν ἐξηγήσεις: poſtquàm ea quæ apertè dicta ſunt ænigmata eſſe jactârant, & quaſi oracula plena occultis myſteriis veluti numine afflati dixerant, tumore orationis judicio faſcinato, expoſitiones ſuas protuliſſe.* Certè (Ethnici non exaudient) fatendum Allegoricos Interpretes Scripturæ non immeritò ab eo carpi; neque hoc parum Religioni olim nocuit, & etiamnum nocet. Vide *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. c. 19.

19. Poſterioribus ſæculis, nulla fuit major ſcribentibus cura, quàm imitandi SS. Patres; unde factum ut quò quiſque ingenio magis valeret, eò plures adhiberet figuras, nec umquam quidquam ſerio ſcriberet; quin quàm maximè, ſeu in diſceptando, ſeu in docendo, Declamatorem ageret. Ne ipſi quidem horridiores Scholaſtici, in ſua barbarie, Rhetoricis pigmentis, pro modulo ſtyli ſui, carent. Nemo ferè videtur cogitâſſe de animi ſui ſententia quàm ſimpliciſſimè exponenda, ut ſolâ vi veritatis legentes in adſenſum traheret; phaleras ſemper, & quæſitum aliunde ornatum in præteritorum

proximè

proximè sæculorum scriptis videas, non minùs ac in antiquioris ævi monumentis. Verùm hoc inter ea discrimen est, quòd sæculorum antiquiorum eloquentia modestior sit, & majorem sermoni lucem affundat. Faciliùs multò *Ciceronem* intelligas, quàm *Hieronymum*; *Hieronymum* verò faciliùs, quàm *Bernardum*.

20. Hinc jam apparet quanti momenti sint ea quæ de Rhetorico sermone in antecedente Capite diximus; quoniam ad omnia sæcula porriguntur, nec aut veteres aut recentiores satis cautè legere licet, nisi ea animo attentè versaverimus. Unum superest nobis monendum, ne dictis tribuatur sensus à mente nostra alienus. Nempe, colligere inde fortè quis possit omnem Rhetoricam à nobis damnari; eò quòd obsit perspicuitati. Verùm eos tantùm reprehendimus, qui numquam simpliciter efferunt quod volunt, sed perpetuâ quadam declamatione utuntur. Licitum credimus, postquàm quis rem sine figuris ac ornamentis clarè exposuit, ut meritò se à Lectoribus, vel Auditoribus intellectum existimare queat; si putet eos non satis commoveri simplici sermone, tum demum artem Rhetoricam adhibere. Commoveantur affectus ornatâ oratione, per nos licet; sed priùs luce veritatis perfundatur animus auditorum, ut perspicuè intelligant quid agatur, & quare moveantur sentiant, non cæco motu perculsi sint, neque sciant qua de causa, ut passim contingit. Miratur enim plebs quotidie orationes sacras, quas non intelligit; & quo minùs intelligit, sæpe eò magis miratur.

Secundæ PARTIS SECT. Secundæ
FINIS.

ARTIS CRITICÆ

PARS II.

De Vocum & Loquutionum significatione.

SECTIO II.

In qua particulatim expenduntur Vocum & Loquutionum significationes.

CAPUT I.

De significatione vocum, quæ simplicium Notionum signa sunt.

1. POSTQUAM ea monuimus quæ summatim, de omnium vocum & loquutionum generibus, moneri potissimùm posse videbantur; deveniendum nobis est ad singula earum genera, ut quæ de singulis observatu digna occurrent tradamus. Non necesse erit repetere hoc loco quæ de Notionum & Vocum generali divisione diximus, superioris Sectionis Cap. I. nec etiam singula genera philosophicâ subtilitate excutiemus, cùm jam id à nobis factum sit, in *Logicæ* nostræ Parte I. Eò Lectores, si quid fortè hîc obscuri occurret, amandamus, ne inutili repetitione sit hoc augendum volumen.

2. Nomina *notionum simplicium*, ut ab hisce initium faciamus, sunt dictiones omnes, quibus exprimere nitimur id quod fit in nobis, cùm sensus nostri re quapiam quæ illis objecta est, sunt affecti. *Colores*, seu singulorum colorum nomina, *albus*, *niger*, *ruber*, *cæruleus*, *viridis*, &c. sunt ejusmodi vocabula. Quam in rem, dudum animadverterunt Philosophi nobis non posse constare, an alios de illis loquentes intelligamus. Nam convenit quidem nobis de nominibus, sed an sensa eadem animis nostris insint ignoramus. Exempli causâ, omnes qui Latinè sciunt, cùm intuentur herbam, aut arborum folia, in hoc consentiunt ut dicant esse *viridia*. Sed Caius non potest scire, an Titius eodem planè modo afficiatur, cùm intuetur id quod *viride* vocat, ac ipse afficitur. Fortasse id quod obversatur

obversatur menti Titii, cùm herbas aut folia adspicit, id ipsum est quod sentit Caius, quando nivem intuetur, licèt uterque dicat illa esse *viridia*. Sæpe contigit unum eumdémque virum ita affectos habere oculos, ut res eadem objecta aliter dextrum, aliter sinistrum percelleret oculum; unde intelligere licet posse fieri diversitate organorum, ut non eodem modo afficiamur rebus coloratis, quamvis iisdem nominibus utamur.

3. Si quis à nobis quærat quis sit color *cæruleus*, non possumus describere quid sentiamus, cùm res quæ hoc colore tinctæ nobis obversantur; aut efficere ut sentiat idem planè ac nos, ita ut id à nobis effectum esse sciamus. Hoc unum possumus, nimirum, ei digito ostendere serenum cœlum, aut mare placidum, aut quidvis aliud quod cæruleum vocare solemus. Quòd si colorem cujuspiam rei singularem, quam soli viderimus, & quæ ad manum non sit, exprimere conemur; quanta in difficultate versemur & ipsi per nos sentimus, & ex quæstionibus audientium facilè animadvertimus. Tunc enim rerum nomina, quibus rebus inspectis, eodem modo affici solemus, coacervamus, nec nobis ipsi, nec audientibus satisfacimus.

4. Præter hæc quæ hominibus eadem Lingua utentibus, eodémque ævo & loco viventibus, quotidie contingunt, unde intelligere possunt, se nominibus quidem consentire, sed scire non posse an sibi de re conveniat; observatu dignum est, in libris Veterum, maximam in hoc negotio quandoque difficultatem intelligendi quid velint occurrere, non modò ob causam memoratam, sed quòd unum idémque nomen coloribus rerum, quibus diversissimè afficimur, imposuerint. Levis aliqua affinitas satis gravis causa eis fuit, cur eodem vocabulo illos appellarint; & cùm definire non possint sensa hæc animi sui, illa nomina quandoque distinguunt, & quandoque miscent.

5. Exempli causâ, 1. *cœlum cæruleum* vulgò vocant Latini, ut in *Ennii* verbis: *cœli cærula templa.* 2. At iidem vocant *angues cæruleos. Silius Italicus* Lib. II. sub finem;

Cæruleus maculis auro squalentibus anguis.

3. *Virgilius* Lib. III. Æneïdos, vers. 65. vittas funebres vocat *cæruleas.*

——Stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis——

4. Idem vers. 194. ejusdem libri *imbrem cæruleum* his verbis describit:

Tunc mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem, hyemémque ferens.

5. At

5. At verſ. 208. de mari:

Adnixi torquent ſpumas & cærula verrunt.

6. Æneidos Lib. V. verſ. 123. *Scylla,* navis Cloanthi, dicitur *cærulea.* 7. Libro verò VIII. ita deſcribitur Deus, qui Tiberi præeſſe credebatur, verſ. 33.

—*Eum tenuis glauco velabat amictu*
Carbaſus.

Et verſ. 64.

Cæruleus Tibris, cælo gratiſſimus amnis.

8. Idem in Ciri, verſ. 215. umbras noctis ita vocat:

—*demptæ, ſubita in formidine, vires*
Cæruleas ſua furta priùs teſtantur ad umbras.

9. *Horatius* verò Epod. XVI. *cæruleam* Germanorum *pubem* dicit:

Nec fera cæruleâ domuit Germania pube.

10. *Cicero,* in Arateis, vocavit Aſtra *cærula.*

Cærula veſtigat finita in partibus aſtra,

ſi credimus nonnullis Editionibus, nam aliæ habent *auſtri.* 11. *Propertius* Lib. IV. Eleg. 2. Cucumerem vocavit *cæruleum*:

Cæruleus cucumis, tumidóque cucurbita ventre.

12. Scriptor conſolationis ad Liviam, de morte Druſi, eo Epitheto mortem afficit, moribundi deſcribens,

Lumina cæruleâ jam jam natantia morte.

6. Intelligimus 1. quare cœlum *cæruleum* dicatur, quia ſi non afficit omnium oculos eodem modo; tamen eſt idem, & ab omnibus poteſt adſpici. Hinc à multis Gentibus dicitur hodie *blavum,* ſic enim cæruleum vertere poſſumus. 2. At quare *cæruleum* ſerpentem dixit *Silius*? Voluitne dicere *atrum*? An coloris, ut more noſtro loquar, *blàvi,* vel *blavaſtri*? Nemo profectò dixerit. 3. Cujus coloris fuerint *cæruleæ* vittæ, quibus erat cincta ara, in honorem Polydori ſtructa, ambigunt, ſimili de cauſa, docti viri. Hæc *Servius* ad eum locum: *Cato ait depoſitâ veſte purpureâ, fœminas uſas cæruleâ, cùm lugerent. Veteres ſanè cæruleum nigrum accipiebant. Vittæ autem cæruleæ in acerbo funere, præcipuè filiorum familias adhiberi ſolebant.* At *Ant.* Thyleſius in Lib. de Coloribus Cap. I. *Quoniam cærulei,* inquit, *ſpecies eſt penè nigra, ut quod Indicum dicitur, eoque olim veſtitu Græcæ mulieres amictæ prodebant*

cebant eorum funera, quorum in cælum migrasse animas cæruleum existimabant; idcirco pro tristi nonnunquam capitur, ut apud Virgilium puppis cærulea *Charontis.* Nunc non expendam utra sententia vero similior sit, satis est ad difficultatem digitum intendisse. 4. Imber *cæruleus* videtur esse *nubes obscura*, quales κυάνεαι à Græcis dicuntur; at color ille multùm diversus, à colore cœli sereni. 5. *Cærula* æquora dixit *Virgilius* & alii, innumeris locis, quo fit ut Neptunus ab *Ovidio* Met. Lib. I. in descriptione Diluvii, dicatur *cæruleus.*

Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.

Cui etiam oculi cæruleo colore pingebantur, ut docet *Cicero* Lib. I. de Nat. Deor. cap. 30. Nemò non crediderit colorem maris propriè cæruleum posse dici, si attendat ingentem copiam locorum, in quibus ita vocatur. Non potest tamen, si propriè loquutus est *Cornel. Celsus* Lib. VII. Cap. VII. § 14. ubi de suffusione: *Si exigua suffusio est, si immobilis, colorem verò habet* MARINÆ AQUÆ, *vel ferri nitentis——spes superest. Si magna est, si nigra pars oculi, amissâ naturali figurâ, in aliam se vertit, si suffusioni color cæruleus est,——vix unquam succurritur.* Hic *cæruleus color* manifestò distinguitur à *colore marinæ aquæ.* 7. Sed navis Cloanthi quare *cærula* dicitur? An *blavo* erat colore picta? *Servius: aut nigra, aut alta carina. Omne enim altum nigrum est, ut* scrupea tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris. Inepta est, sine dubio, posterior interpretatio; prior potest ferri, quia idem Charon, qui

——ferrugineâ subvectat corpora cymbâ,

Æn. VI. vers. 303. paulò pòst, vers. 410.

Cæruleam advertit puppem, ripæque propinquat.

Certè esse nigram navim necesse est, quia pice obducitur, nisi imponatur alius color, qualis est *cumatilis*, ut undas marinas colore referat. *Homerus* ambiguo similiter Epitheto vocat naves κυανοπρώρους, *quæ habet proram cyaneam.* Nam κυάνεον, *blavum* & *nigrum* ex æquo sonat. 7. Si Tiberinus diceretur aut *glaucus* tantùm, aut *cæruleus*, nihil mirum esset; at mirum colores misceri, qui distinguuntur ab aliis: ut à *Celso* vidimus distingui eos, qui misceri solent. *Glaucus* enim idem est ac *cæsius*, quandoquidem Minerva, quæ perpetuo Epitheto γλαυκῶπις dicitur, *cæsiis* oculis pingebatur, ut auctor est *Cicero* de Nat. Deor. Lib. I. c. 30. *Dicere licebit cæsios esse oculos Minervæ, cæruleos Neptuni. Glaucus* autem aut *cæsius* est color, quem *viridastrum* nunc vocamus. 8. Umbras nocturnas *Jos. Scaliger* existimat dici *cæruleas*, more Græcorum, qui κυανέαν ὄρφναν dicunt. Ac sanè tenebræ non omni luce destitutæ,

destitutæ, non multò aliter nos afficiunt, quàm quæ cæruleo colore ad nigrum accedente tincta sunt. 9. *Cærulea* Germanorum pubes, dicitur, ut volunt Interpretes ob oculos cæruleos, frequentiores inter Germanos, quàm inter Italos. 10. Si *Cicero* non dixit astra *cærulea*, at à *Virgilio* in Ciri, vers. 38. Sol & Luna dicuntur

Sidera cæruleis orbem pulsantia bigis,

ob colorem cœli, per quod feruntur. 11. Fateor me nescire quî *Propertius cæruleum* dicat cucumerem, seu cucumerem propriè dictum, seu melopeponem intelligamus; omnes enim, quos umquam vidi, sunt *virides*, aut *viridastri*, ut loquar hodierno more, vel *flavi*, vel misti his coloribus. *Blavos* numquam adspexi. Forte intelligit *cæsios*, hoc est, *viridastros*. 12. Denique in Cons. ad Liviam mors dici videtur *cærulea*, quòd morientium color soleat esse lividus, hoc est, *blavus moriens*, ut nunc loquimur, vel *plumbeus*.

17. Unum ex coloribus exemplum addam ex *Homero*, quod etiam ostendet ideò quòd definiri nequeant, nasci maximam ambiguitatem & obscuritatem in vocibus, quibus significantur. Princeps Poëtarum vinum passim vocat αἴθοπα οἶνον quod possemus vertere *nigrum* vel *rubrum vinum*, quòd, nempe, id vinum sit * ἐπικεκαυμένον τὴν ὄψιν, ἤτοι μέλαν, ἢ ἐρυθρὸν, *specie ambustâ, vel nigrum, vel rubrum.* Sic vocat æs lucidum αἴθοπα χαλκὸν Iliad. Δ. 495. & alibi. At quo sensu mare vocabit † οἴνοπα πόντον? *Nigrum*, nempe, vocat, inquiunt Grammatici. Esto, sed nigror ille maris non accedit ad nigrorem vini rubro colore saturiore tincti, sed potiùs ad nigrorem de cæruleo colore multùm trahentem. Præterea vocat etiam boves οἴνοπας, cujus rei duplicem causam reddit *Eustathius*, ‡ ὅτι οἴνοπες βόες οἱ μέλανες, διὰ τὸ μέλανα καὶ τὸν οἶνον λέγεσθαι, ἢ οἱ πυῤῥοὶ διὰ τὸ καὶ οἶνον τινα ἐρυθρὸν εἶναι: *nigri boves quia vinum nigrum dicitur, vel rubri, quia vinum quoddam rubrum est.* Sic videmus non levem hinc nasci ambiguitatem, in nomine coloris; quia nec boum, nec vini, nec maris semper idem est color, eaque difficulter inter se possunt conferri.

18. Quod si possent *colores*, ut & cæteræ simplices notiones, definiri, more Philosophico; earum semel definitione certâ constitutâ, nulla ampliùs occurreret ambiguitas, quia idem vocabulum semper esset ejusdem notionis signum. Similia possemus observare, de variis rationibus quibus afficiuntur auditus, olfactus, gustus, & tactus; quas omnes quidem sen-

* *Eustathius in Iliad.* p 131. *Ed. Rom.*
† *Iliad. A vers.* 350. *& passim.* ‡ *Pag.* 1732. *Ed. Rom.*

timus,

timus, at aliis describere non possumus; quo fit ut nesciamus, an, iisdem nominibus, idem alii ac nos significent. Sed quod diximus de colorum nominibus, ea erunt instar omnium, quæ hanc in rem dici possent; quia eodem modo de cæteris omnibus, quæ sentimus, est judicandum.

9. Hinc quoque sequitur ut nesciamus, quid sit quod ab aliis, præsertim si eorum mores nobis sint ignoti, *bonum*, *gratum*, *jucundum*, *pulcrum*, in hoc rerum genere, vocatur. Ne enim repetam quod dixi de ratione, quâ quisque afficitur, quæ diversa esse potest, quamvis eodem nomine ab omnibus appelletur; pro consuetudinibus Gentium, magna est in significatione earum vocum varietas, quam vix adsequimur, quia definiri nequeunt ea quæ sentimus. Musicam, sive Symphoniam laudant nonnulli populi, quæ aliis summopere displicet. Seres dicuntur delectari genere Musicæ, planè diverso à Musica Europæorum, & *egregiam* * *Symphoniam* vocitare, quam nos *absonam* esse diceremus. Igitur si quis Serum libros legeret, nec umquam eorum Symphonias audivisset, si laudatam videret Symphoniam quamdam; non intelligeret quid significarent voces, quibus eam in rem Seres uterentur; eásque si ex usu & consuetudine suæ Gentis interpretaretur, gravissimè falleretur. Verùm missis Seribus, quotus quisque est qui legit scripta Græcorum & Latinorum, ubi passim occurrunt Symphoniarum laudes, vel conjunctus legitur tibiarum sonitus cum recitatione versuum in Comœdiis, & Tragœdiis, qui intelligat quid illa sibi velint? Profectò perpauci, vel subobscurè, suspicantur quæ fuerit illa Musica; & viri doctissimi, qui multùm operæ ac temporis impenderint in illa indaganda, permulta se fatentur ignorare. Nimirum, quomodocúmque soni describantur, non possunt satis intelligi nisi ab iis qui eos, aut similes aliquando audiverint.

10. Nemo non legit quæ *Cicero* sub finem libri, quem *Oratorem* inscripsit, habet de *Numero* illo oratorio; ausim tamen dicere innumeros esse, quibus inane videatur quod habet, ideò tantùm quòd non audiverint umquam quemquam aut Poëtam, aut Oratorem, observatâ ratione numeri, legentem; aut quòd in Linguis hodiernis, sive numeris adstrictam, sive solutam orationem spectes, nullum ejusmodi numerum observemus. At qui syllabarum singularum quantitatem (quæ eadem omnino est in prosa, ac in versibus) diligenter observabant & alios observantes audiebant, dispositione vocum, pro quantitate syllabarum, vehementer afficiebantur. † *Cicero* orationis numerosæ hoc exemplum C. Carbonis profert, qui in concione

* *Vide Isaac. Vossium de Poëmatum cantu & viribus rythmi.*
† *In Orat. c. LXIII.*

dixit:

dixit: *O Marce Druse, patrem appello; tu dicere solebas, sacram esse Rempublicam; quicumque eam violavissent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas. Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.* Ut cætera omittam, ait *Cicero hoc dichoreo* (ultimæ vocis) *tantum clamorem concionis excitatum esse, ut admirabile esset.* Tum subjicit: *Quæro nonne id numerus effecerit? verborum ordinem immuta, fac sic*: comprobavit filii temeritas: *jam nihil erit, etsi temeritas ex tribus brevibus & longa est.* Testor aures Lectorum, an tantum discrimen animadvertant, in his compositionibus verborum; ut propter priorem exclamare debuisse intelligant Populum Romanum, posteriorem tacitum audire?

11. At fortè dixerit quispiam, plerosque saltem affici *numero* versuum Græcorum & Latinorum. Verùm hunc quoque numerum plerisque ignotum esse ostendit ratio recitationis, quæ ubique ferè nunc obtinet. Versuum enim *numerus*, cùm sine dubio in quantitate syllabarum situs sit, à plerisque planè negligitur; quandoquidem voces non efferuntur, pro syllabarum quantitate. Græci versus si legantur, aut memoriter recitentur, ratio quidem habetur accentuum, qui ad versuum numerum nihil faciunt; negligitur verò quantitas syllabarum, quâ solâ versus constant. Quod cùm omnes planè corrumpat, Iambicorum potissimùm & Trochaïcorum versuum numeris ita noxium est, ut nihil differant à prosa, quando ita, ut dixi, leguntur. Eadem est ratio Latinorum versuum, nam licèt in Latina Lingua accentus à nobis non pingantur, attamen constanter pronunciantur; nam omnes voces dissyllabas ita pronunciamus, quasi esset acutus in prima, quæcumque cæteroqui sit ejus quantitas. Sic *dábit*, cujus prima syllaba est brevis, non aliter pronunciatur ac *lávit*, cujus prima est longa. In trissyllabis verò vocibus, quarum duæ priores sunt breves, semper prima acuitur; ut, *cápere*, cujus primæ non minùs insistimus, quàm primæ verbi *cárpere*. Præterea ita nunc pronunciamus ultimam syllabam nominum primæ declinationis, ut in rectò non sit minùs longa quàm in sexto casu, ut *Musâ*, &c. O productum & O breve, in ultima syllaba, longum facimus. Addendæ sunt hisce elisiones, quas nullo modo observamus, & quibus neglectis, æquè absurdi sunt versus Latini, ac si in Gallicis syllaba, quæ elidi debet, plenè pronuncietur. Quæ regulæ perpetuæ sunt, nec ulli exceptione laborant. At iis observatis, in lectione versuum planè corrumpitur numerus: quemadmodum perit, in Græcis versibus, si accentuum rationem habeas,

12. Hinc fit ut multæ syllabæ breves videantur longæ, & quidem iis locis ubi necessariò breves esse oportet; ùtque duo versus, ejusdem generis, diversum planè numerum habere

bere videantur. Exempla quid velim ostendent. Itaque apponam versus *Catulli*, in quibus eas syllabas notabo accentu, quæ cùm sint naturâ suâ breves, & tales sint necesse est in versu, tamen legendo producuntur.

Etsi me adsiduo confectum curâ dolore,
Sevocat à doctis, Ortale, virginibus.
Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus,
Mens animi, tantis fluctuat ipsâ mâlis.

In primo versu ultima syllaba vocis *curâ*, quæ brevis est, producitur pronunciatione; in ultimo verò ultima vocis *ipsâ*, & prima vocis *mâlis*; quo fit ut ultimus versus videatur esse alius generis ac secundus, in quo penultima vocis *virginibus* corripitur, & in quo tamen peccatur quòd antepenultima producatur. In Iambicis versibus lectis, prout nunc legi solent, idem usu venit. *Phaselum* Catullianum si quis legat, postquàm legerit:

Ait fuisse navium celerrimus,

correptâ, ut par est, penultimâ, sequentem versum legens eamdem syllabam producet:

Neque ullius natantis impetum trâbis.

Quo fiet ut videantur esse versus diversi generis. Atque ex his facilè est intellectu, plerosque dudum nescire quid sit numerus.

13. Igitur hinc sequitur non idem significare *rectam pronunciationem*, & *numerum*, cùm oratorium, tum poëticum, in ore nostro, ac in Scriptis Veterum. Quod nos plausu cohonestamus, illi pastoritiâ fistulâ exciperent; & vice versâ nobis alii pronunciationi adsuetis, quamvis absonæ, ludibrium deberet quisquis, prisco more, recitaret. Unde verò hoc factum? Nempe, quia, Linguarum hodiernarum consuetudine ita postulante, mutavimus pronunciationem Linguæ Latinæ, aut potiùs sensim mutatam à Majoribus nostris accepimus; quâ mutatione admissâ, necesse est ut *numerum*, de quo tam multa Veteres, planè ignoremus. Nomen est ejus quod sentimus, cùm modulata ex arte oratio pronunciatur; cujus nominis significationem meliùs adsequimur, auditâ rectâ recitatione, quàm amplissimâ rei quam significat descriptione.

14. Cum legimus *tetrum* aut *gratum* odorem, nisi addatur ex qua re ille odor manaret, scire nullo modo possumus quis sit; quia ignoramus sæpe cujus rei odore homines delectentur. Idem de *sapore* dixeris, qui pro gustuum varietate laudatur, aut vituperatur. Exempli causâ, finge Hollandum & Siamensem in forum piscarium ire, Hollandúmque incidere in pisces fluviatiles, per aliquot dies servatos; illico dicet eos fœtere, & de-

& deterrimi saporis esse. Adsit hoc dicenti Siamensis olfaciátque pisces; negabit esse *tetrum* odorem, & *grati* saporis esse, si coquantur, contendet. Adsuetus cibis, multo pipere & sale conditis, *insipida* vocabit; quæ alius sat sapida esse dicet, qui tanto pipere & sale in cibis uti non solet. Hic vice versâ, aromatibus præter modum condita contendet, quæ probè temperata illi videbuntur.

15. Finge tibi delicatam mulierem, carpentóque vehi solitam, incedentem pedibus, & quidem tenuibus calceis indutis, per viam paulò lapidosiorem, dicet *asperrimam* & *molestissimam* esse viam. Tum eamdem calcet rusticus, qui soleat non modò pedibus incedere, sed & per loca aspera ac lapidosa, negabit eam viam esse *asperam*, aut *molestam*; imo verò sat *planam* & *commodam* judicabit. Quod si uterque describeret iter quod fecisset, neque quidquam de alterutrius sorte, & ratione vivendi sciremus, quo modo possemus intelligere quid sibi vellent? Eadem diversis vocibus significarent, atque iisdem vocibus diversa. Nec dubium est, quin multa talia occurrant, in Veterum Scriptis; quæ moniti Literarum studiosi posthac animadvertent.

16. Ex hisce etiam colligere licet, nos non satis clarè intelligere posse quid significent voces, *pulcritudo*, *pulcher*, aliæque similes; quia sunt nomina notionum simplicium, quæ per sensus ad nos appellunt; aut notionum compositarum, quæ ejusmodi notionibus simplicibus constant. Didicimus usu quid iis aut similibus nominibus vocetur, apud eos inter quos nati atque alti sumus, cùm videremus ea quæ pulcra vocarentur, non ex descriptionibus pulcritudinis. Quid verò alii iisdem appellationibus signare soleant vix intelligere possumus, nisi inter eos versemur; unde necesse est nos non satis intelligere quid velint Scriptores, temporum aut locorum intervallis à nobis remoti, vocibus quæ iis quas protulimus verti solent. Ac sanè constat experientia, non eamdem formam omnibus Gentibus admirationi esse, & laudari. Quam in rem, ita *Sextus* Empiricus, contra Mathematicos, Ed. Genevensis p. 446. Ἄνθρωποι συμφωνοῦντες, εἰ τύχοι, περὶ τοῦ εἶναί τινα σωματικὴν εὐμορφίαν, περὶ τῆς εὐμόρφου καὶ καλῆς γυναικὸς στασιάζουσι. *Homines consentientes quidem fortè esse quampiam corpoream pulcritudinem, de formosa verò & pulcra muliere dissentiunt.* Τοῦ μὲν Αἰθίοπος τὴν σιμοτάτην καὶ μελαντοτάτην προκρίνοντος. τοῦ δὲ Πέρσου τὴν γρυποτάτην καὶ λευκοτάτην ἀποδεχομένου. ἄλλου δὲ τὴν μέσην κατά τε τὴν χαρακτῆρα καὶ κατὰ τὴν χρόαν πασῶν καλλίονα λέγοντος. *præferente Æthiope eam quæ maximè sima & nigerrima est, Persâ verò eam probante, quæ est maximè adunco naso & candidissima; alio verò mediam, & ad figuram quod attinet & ad colorem, pulcherrimam omnium esse dicente.* Alia exempla proferre possemus, sed hoc satis erit, ut quid velimus intelligatur.

CAPUT

CAPUT II.

De nominibus Notionum Compositarum.

1. CUM notiones *compositæ* dicantur omnes, in quibus varias partes distinguimus; ut perfectè adsequamur quid significent nomina ejusmodi notionum, oportet nos ita pervidere omnes partes quibus constant, ut eas enumerare possimus. Alioqui si quæ pars nos fugiat, non possumus dicere nos plenè intelligere quid ejusmodi nominibus significetur. Si in pyxide, aut in sacco varia essent clausa, ac nos perfectè scire diceremus quæ iis clauderentur; tum verò iis apertis, & oculis expositis omnibus quæ inerant, liqueret fuisse varia, de quibus nè suspicati quidem fueramus; nemo non diceret, nos frustra jactasse nobis notum fuisse quidquid sacco, aut pyxidi inerat. Eadem est ratio nominum, quibus compositæ notiones appellantur. Verùm quàm facile est scire quidquid pyxide, vel sacco clauditur; tam difficile est investigare omnes partes notionis compositæ, quæ verbo quopiam significatur.

2. Omnes notiones, quæ animo nostro obversantur, aut per sensus ad eum appulerunt, seu id semel contigerit, seu repetitis experimentis; aut meditatione, & commentatione ab animo nostro efformantur. Itaque ad hæc duo genera omnes compositæ notiones, adeóque nomina quibus significantur referri possunt. Corpora, eorúmque qualitates videmus, aliisque sensibus percipimus; cæteræ verò incorporearum rerum notiones à nobis sunt meditando effictæ. Igitur sunt nomina corporum, & nomina rerum incorporearum, quibus significantur notiones compositæ.

3. In quolibet corpore, duo animadvertuntur, quorum alia ei corpori sunt communia cum omnibus aliis corporibus, alia sunt qualitates ei corpori peculiares. Itaque quisquis nomen corporis profert, eo nomine complectitur varia illa, quæ in corpore cernuntur. Verùm hoc in negotio magna occurrit difficultas, neque enim ex eo quod novi in quopiam corpore certum numerum qualitatum, sive communium, sive ei propriarum; ideò sequitur omnes, qui nomen ejus corporis proferunt, notionem ejus habere æquè amplam, aut æquè arctam, ac mea est. Fortasse non novi quidquid illi animadverterunt, aut animadvertisse se putant in corpore, de quo loquuntur; aut etiam plura in eo animadverti, aut credo me deprehendisse, quàm illi. Igitur

tur cùm eodem nomine utamur, ideò tamen eamdem notionem eo nomine non ſignificamus ; & dum ignoramus quàm latè pateat, aut quàm arcta ſit aliorum notio, neſcimus an nos omnino intelligant, ánve ab iis probè intelligamur. Idem fit inter nos, ac ſi nummis quidem ejuſdem nominis duo mercatores uterentur, eóſque inter ſe permutarent; ſed interea neuter ſciret an metallum quo conſtarent, ánve eorum pondera eſſent æqualia. Ut periculoſum eſſet ejuſmodi commercium, quia alter poſſet multùm amittere, dum lucraretur alter : ſic & non leve periculum eſt, nè fallamur, dum de notionibus aliorum judicamus ex noſtris, ſimileſque prorſus eas cenſemus, dumtaxat quia eodem nomine appellantur. Hoc autem ſi verum ſit de iis, qui inter ſe colloquuntur ; multò verius eſt de Scriptis Veterum, iiſque qui ea nunc intelligere nituntur.

4. Exemplo ut rem illuſtremus, ab antiquiſſimis temporibus notus fuit *Magnes*, ut nos docet *Ariſtoteles* de Anima, Lib. I. c. 2. Ἔοικε δὲ Θαλῆς κινητικόν τι τὴν ψυχὴν ὑπολαμβάνειν, εἴπερ τὸν λίθον ἔφη ψυχὴν ἔχειν, ὅτι τὸν σίδηρον κινεῖ : *videtur Thales ſtatuiſſe animam eſſe aliquid, cui vis movendi ineſt, quandoquidem dixit lapidem animam habere, eo quòd ferrum movet.* Pluribus etiam hunc lapidem deſcripſit *Plinius*, Hiſtor. Naturalis Lib. XXXVI. Cap. 16. Si quis miſceret notionem hujus lapidis, qualem nunc habent Philoſophi, cum notione Veterum, exiſtimaret Veteribus etiam notam fuiſſe qualitatem quâ Polos ſuos ita dirigit, ut alterum ſemper Septentrioni, alterum conſtanter Meridiei obvertat. Quam tamen conſtat Veteribus ignotam fuiſſe.

5. Quia Veteres non modò eadem genera animalium viderant ac nos, ſed & de iis ingentia volumina ſcripſerunt, ut *Ariſtoteles* ; quia plantas diligenter luſtrarant, ut liquet ex libris *Theophraſti* & *Dioſcoridis*, nè jam *Plinium* appellem ; ideo tamen exiſtimandum non eſt, iis eamdem notionem obverſatam eſſe corporis animalium, & partium quibus plantæ conſtant ; quæ nobis, poſt Recentiorum pulcherrima inventa, obverſatur. Ne ſingillatim loquar de iis quæ ignota antehac fuerant, certum eſt haſce eorum notiones obſcuriſſimas & imperfectiſſimas fuiſſe, ſi cum noſtris conferantur, vel ad ſolam rationem nutritionis animalium & plantarum quod attinet. Igitur quamvis iiſdem vocibus hâc in re utamur, iis, cùm loquimur, ſubjecta eſt poteſtas multò amplior & clarior, quàm in Veterum Scriptis.

6. Si quis legerit & expenderit quæ Recentiores Phyſici de rerum univerſitate ſcripſerunt, de magnitudine & diſtantia ſtellarum, déque amplitudine rerum naturæ ; is demum intellexerit,

tellexerit, ſi modo intelligi poteſt, magnitudinem operum Dei; déque iis ſentiet, prout tanto artifice dignum eſt, ſi humana imbecillitas nos umquam patitur digna Numine cogitare. At idem, ſi poſtea legat quæ Veteres plurimi de finibus *Mundi* ſcripſerunt, mirabitur quî potuerit fieri ut ſapientes viri in tam abſurdis cogitationibus adquieſcerent. Videbuntur ei viri acutiſſimi pœnè hoc in negotio, delirâſſe. Exempli cauſâ, *Ariſtoteles*, de cœlo Lib. II. c. 4. ita loquitur de *Mundo*. Σφαιροειδής ἐστιν ὁ κόσμος - - - - - καὶ κατ' ἀκρίβειαν ἔντορνος οὕτως ὥστε μηδὲν μήτε χειρόκμητον ἔχειν παραπλησίως, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν παρ' ἡμῖν ἐν ὀφθαλμοῖς φαινομένων: *ſphæricus eſt mundus & uſque adeò rotundus, ut nihil illi conferri queat eorum quæ manu facta ſint, neque aliud quidnam quod in oculis noſtris verſetur.* Facile eſſet talia multa congerere.

7. Qui, dum hæc legunt, ſubjiciunt voci κόσμος, *Mundus*, eamdem notionem, quam recentiores Aſtronomi, non poſſunt, non ridere Veteres, qui ſimilia affirmarunt. At meminiſſe eos oporteret Veteres *Mundum* vocaſſe ſpatium illud, quod hinc ad ſtellas porrectum eſt, neque ſtellas admodum remotas exiſtimaſſe. Cùm autem hæc in orbem circa terram ſita viderent, ideò crediderunt Mundum eſſe rotundum. Sed qui nôrunt Solem eſſe centrum, circa quod hæc noſtra terra cum cæteris Planetis in orbem agitur; ſtelláſque alias totidem eſſe Soles, qui non magis moventur quàm hic noſter, & immenſâ diſtantiâ inter ſe diviſi ſunt; nec ullam eſſe rationem, cur putemus nos hinc profectos ad ultimum operum divinorum pervenire poſſe, ſi per totam æternitatem rectâ lineâ ad ulteriora feramur; qui, inquam, hæc nôrunt, non poſſunt capere quî *Mundus* hic, quem animo ita contemplantur, rotundus dici queat. At, ut dixi, idem non intelligebant veteres, voce *Mundus*. Igitur cavere debemus ne notiones noſtras mutuas veteribus demus, deinde ex notionibus illis de eorum ſermone judicemus, ut paſſim fieri ſolet.

8. Si velimus eorum mentem adſequi, oportet veluti noſtrarum opinionum oblviviſci, & ad eos, ut ita dicam, rudes atque integros diſcipulos afferre; qui quærant quid Magiſtri illi veteres ſenſerint, non quod ſentire debuiſſe videntur, ut ſaperent. Non debemus eorum dicta cum ipſâ rerum, de quibus loquuntur, naturâ conferre, quatenus nobis nota eſt; nam, ut diximus, eorum cognitio amplior, aut tenuior eſſe potuit, quàm noſtra; ſed eos ex ipſis eorum verbis, quantùm licet, interpretari. Si ex eorum oratione non poſſimus colligere, quæ fuerint omnes partes quibus notiones eorum compoſitæ conſtabant, de cæteris nihil eſt pronunciandum

dum; fatendum nos non planè adsequi quid sibi voluerint.

9. Manifesta hæc mihi esse videntur, cùm ex re ipsa, tum ex superioribus exemplis; quibus similia innumera harum rerum studiosi observabunt, si attendant, dum Veterum Scripta legent. Attamen contrarium planè fit, nam ad lectionem Veterum accedimus ita animo affecti, ut parati simus iis omnia nostra dogmata, si vel minimùm per eorum verba licet, attribuere. Si quid omittunt, quod videatur pertinere ad perfectionem notionis, quam in eorum libris quærimus, id ex nostris observationibus, aut opinionibus supplemus. Quo modo pro sententiis Veterum, postea Systema quoddam doctrinæ habemus, quod partim eorum opinionibus, partim nostris constat additamentis.

10. Constitutis verò nonnullis dogmatibus, cùm ex lectione Veterum, tum ex nostris supplimentis, non hîc consistimus; sed consectaria innumera, cùm proxima, tùm remotiora; cùm necessaria, tùm verisimilia ex iis deducimus. Quæ omnia Veteribus tribuimus, quasi eorum notiones æquè latè patuissent ac nostræ, & consectaria illa infinita, quæ ex iis deducimus, pro suis agnituri essent, si reviviscerent.

11. Vísne exempla ejus rei, in negotio maximi momenti, atque ad notiones præsertim incorporeas pertinentia? Veteres Christiani, qui per aliquot sæcula Platonici fuerunt, cùm legerent Scripturam, ut ex ea Religionis Christianæ Systema quoddam colligerent, Platonicas suas notiones Scripturæ notionibus ubique miscuerunt, & quod in Scriptura non legebatur, quódque credi volebant, ex ea deduxerunt consectariis, non ex uno fonte derivatis, sed ex *Platone*, æquè ac ex Prophetis. Cùm verò Occidentales Christiani *Aristotelis* Scripta terere, & admirari cœpissent; tum quoque cœperunt Peripatetica dogmata miscere cum Scripturæ decretis, atque ex illa mistura infinita consectaria deducere, quibus conflata est Scholastica Theologia. At nunc, variis in locis, ubi in pretio est *Ren. Cartesii* Systema Philosophicum, miscentur ejus opiniones cum iis quæ ex Prophetis & Apostolis discere licet; atque inde corpus ipsum Theologiæ, quasi ex sola Scriptura collectum, confiscitur.

12. Quod Scriptura de Deo, ejúsque natura, nos docet ex *Platone* interpretati erant Veteres, ex *Aristotele* verò Scholastici, nunc ex *Cartesio* multi interpretantur; & ut præterita sæcula, pro ibrida illa Theologia, pugnarunt Scriptis, anathematibus, legibus, edictis, quasi pro meris oraculis divinis: invenientur forte olim qui pro Cartesiano Christianismo, quasi pro aris & focis, decertent. Imò verò jam inventi

sunt

funt, in perſpicaciſſimi hujus ſæculi luce, qui invidiam facere nequiſſimè conentur iis, qui Apoſtolos ex *Carteſio* interpretari nolunt; eóſque traducant, quaſi negarent dogmata, quorum Carteſianas interpretationes repudiant.

13. Duo tantùm alicujus momenti huic noſtræ doctrinæ, de omnibus partibus notionis compoſitæ inveniendis in Scriptore, cui eam tribuere volumus, objici queant. Nimirum, I. quando ſermo eſt de rebus, quæ Veteribus æquè videntur notæ fuiſſe, ac nobis; nullam videri ſatis gravem eſſe rationem, cur nominibus, quibus utuntur, non æquè amplam ſignificationem ſubjectam fuiſſe ſuſpicemur, ac noſtris; ſive cur non credamus totidem partes fuiſſe, in notionibus illis compoſitis Veterum, ac in noſtris. Unde ſequi videtur, eos debuiſſe de iis rebus ratiocinari, quemadmodum hodie ſolemus, atque ex iiſdem notionibus eadem, ac nos, conſectaria ducere.

14. Profectò ſi ſpectentur res, quæ ex quotidiana hominum omnium vita neceſſariò cognoſcuntur, & quæ ſemper eædem, per omnia ſæcula, fuerunt; non dubitârim Veteribus eamdem eorum ac nobis tribuere cognitionem, quæ ex quotidianis experimentis hauritur. Talia ſunt *cibus*, *veſtitus*, *mors*, *vita*, & alia innumera. Verùm ubi opus eſt ratiocinatione, ut notio quæpiam efformetur, præſertim ſi paulò plures propoſitiones complectatur raciocinatio; non opinor tutum eſſe, Veteribus ea de re ſilentibus tribuere eamdem notionem ac nobis; quia facillimè fieri poteſt ut illa ratiocinatione uſi non ſint, adeóque eam notionem non efformârint. Potuerunt Veteres de conſectariis, quæ deducimus ex iis quæ perſpecta habebant, non cogitare; quod non intelligo dumtaxat de conſectariis veriſimilibus, ſed & de prorſus neceſſariis. Neque hoc potuit tantùm fieri, ſed etiam perſæpe factum eſt, in rebus manifeſtis. Exempli cauſâ, nôrant & Veteres & proximè elapſa ſæcula; nôrant, inquam, *ſanguinem* eſſe liquorem, qui perpetuò è corde fluit ad extremos artus; ſciebant, ut ſanguis è vena commodè emittatur, vinciendum eſſe artum, inter cor & extremitatem. Hinc, ut alia omittam, neceſſariò, niſi mens læva fuiſſet, debuiſſent colligere eſſe in corpore noſtro vaſa per quæ ſanguis ad extremos artus feratur; & alia, per quæ ad cor refluo æſtu redeat. Si res in ſe ſpectetur, & argumenta, quibus à *Guil. Harveïo* confirmata eſt expendantur, certè non tam videbitur fuiſſe perſpicacis ingenii motum ſanguinis in orbem invenire, quàm ſtupidi non vidiſſe. Attamen res ab omnibus ignorata fuerat. Non multò majoris negotii erat invenire *Antipodas*, poſitâ eâ cognitione Navigationis & Aſtronomiæ, quæ fuit à multis ſæculis, apud varias Gentes,

quàm sanguinis reciprocum æstum ; ; & cùm primùm nonnulli Philosophi, aut Nautæ mentionem ejus rei injecerunt, omnes debuissent illico rem quasi verissimam agnoscere, & pudore suffundi, quòd citiùs eam non animadvertissent. Contrà omnino accidit, ut sannis, & probris, imò etiam anathematibus exciperentur, non à stultis, sed * ab acutissimis ac eloquentissimis sui sæculi viris, qui Antipodas primùm in lucem, per hoc nostrum Hemisphærium, proferre ausi sunt.

15. Hisce exemplis, manifestò liquet iis, qui *principia* ex quotidianis experimentis nôrunt, non satis tutò attribui cognitionem *consectariorum* necessariorum. Quod si in rebus sensus percellentibus, clara & facilia consectaria homines non vident ; quid erit dicendum de rebus incorporeis? Certè cautiùs in hac re erit agendum, neque quidquam affirmandum, de quo manifestò non constet. Quæ ratiocinatione colligimus ex enunciationibus, quæ apud Veteres leguntur, non sunt continuò illis tribuenda ; quamvis firmæ sint, & faciles ratiocinationes. Animus humanus non modò omnia non videt simul, sed persæpe etiam ea quæ videre posset non intuetur. Quandoque ante pedes posita negligimus, ut remotiora sectemur. Amplissimus hìc mihi sese aperit campus, in quem digredi possem, si vellem. Sed in arctiorem gyrum coërcenda est oratio, & Lectoribus satiùs est relinquere quærenda quæ omittimus, quàm eos nimiâ exemplorum copiâ obruere.

16. II. Objici præterea possit, si admittatur quod diximus de non tribuenda ulla parte notionis compositæ Veteribus, cujus clara non sint in eorum Scriptis vestigia, præsertim in re paulò difficiliore ; inde sequi pauca eorum verba perfectè à nobis intelligi posse, cum pleráque ejusmodi notiones significent, nec proinde *adæquatas* notiones eorum quæ docent comparari. Unde sequetur, multa, quæ credi vulgò solent ex contraria ratione interpretandi, dubia videri debere; quod si verum esset multò minor utilitas nasceretur ex Veterum lectione, quàm à plerísque hactenus creditum est.

17. Respondemus 1. verissimum esse multò pauciora intelligi, quàm Vulgus putat: 2. innumerarum opinionum, quæ apud Veteres fuerunt, *inadæquatas* tantùm notiones posse comparari : 3. ideóque frustra sæpe in eorum Scriptis quæri solutiones controversiarum, quæ nunc exercent viros eruditos. Verùm tanti nostrâ non interest accuratissimè scire, quid per omnia voluerint Veteres ; cum ex potissimorum capitum cognitione colligere possimus omnia, quæ necessaria sunt ad

* *Vide inter alios Augustinum de C. D. Lib. XVI. c. 9. & Lactantium* Lib. III. c. 24.

bene

bene, beatéque vivendum. Si tanta utilitas ex Veterum Scriptis non colligatur, quanta colligeretur, si quæcumque dicunt non obscuriùs intelligeremus, quàm ipsi intellexerunt; at iis utendum quàm maximè licèt, sine errandi periculo; sat magna utilitas ea erit, ut gratulari nobis debeamus, quòd eorum tot monumenta ad nos pervenerint. Multa fortasse, neque enim dissimulabo, comperiemus nos nescire, quæ scire nos antea putabamus; sed quid? an præstat opinari sibi esse nota, quæ re ipsâ nota non sunt, quàm intelligere suam ignorantiam? Non opinor; imò verò, si Socrati credimus, humanæ sapientiæ apex in eo situs est, ut quàm ignari simus, probè cognoscamus; cui viro si quis adsenserit, judicio suo meum etiam adscribat.

18. Si hæc probè intelligeretur interpretandi ratio, & in animum, ut par esset, demitteretur, non parum conferre posset ad trium gravissimorum malorum emendationem. Retunderetur primùm superbia Criticorum, nata ex eo quòd putent se scire quod nesciunt, & quâ sæpe bonis literis aut invidiam, aut contemptum crearunt. Deinde mitigaretur ingenium Theologorum, qui intelligerent sæpe, si ad hanc normam ratiocinationes suas exigerent, ex Scriptura nullo modo posse probari, quod in ea clarè haberi, ob Critices ignorantiam, existimant. Parciùs uterentur anathematibus, & dissentientes faciliùs ferrent. Denique errores orti ex temerariis consectariis deductis ex Scriptura, contra allatas Regulas explicata, agnoscerentur, atque ex Christianorum Theologia eliminarentur; quod optare hactenus licuit, sed nescio an sperare umquam licebit.

CAPUT III.

De nominibus Substantiarum & Modorum.

1. LOGICÆ nostræ P. II. c. 3. ostendimus quàm sit obscura notio *Substantiarum* omnium, quæ quasi reverà sint spectantur; unde sequitur, earum nomina significare notiones obscurissimas. Nomine *Substantiæ* intelligimus naturam, quæ per se est, & cui insunt variæ qualitates, quas *Modos* solemus vocare. Sed quæ sit illa natura ignoramus, nisi quòd certas qualitates in ea simul esse cernimus.

2. Igitur quotiescumque occurrit nomen Substantiæ, apud veterem Scriptorem, ante omnia intelligamus necesse est, illi ignotum fuisse obscurum illud *subjectum*, ut loquuntur Philosophi, cui insunt qualitates. Deinde quot in illo nôsset, vel esse putaret (nam hîc, ubi de animi notionibus agimus, perinde est an sint, ánve esse putemus) qualitates, plerúmque nobis ignotum esse; ac proinde an voci quam legimus eamdem subjiciamus potestatem, quàm subjecit is qui ei usus est. Exceptis enim Substantiis nonnullis, quæ omnibus ex æquo notæ, quotidianâ experientiâ, nec notiores sunt nunc quàm olim, aut fuerunt olim quàm nunc; dicere nemo queat, num Scriptor, quem legit, idem prorsus intellexerit ac quod legentis animo obversatur. Quam in rem, in memoriam revocandum est quod Capite superiore dicebamus, de nominibus notitionum compositarum; nam Substantiæ quoque notio composita est, ut ex allata ejus definitione liquet.

3. Exempli causâ, *Deus* est nomen Substantiæ, quæ licèt singularis, nec cum ulla alia conferenda, spectatur tamen à nobis quasi subjectum quoddam, ornatum qualitatibus, quæ ejus *attributa* vocari solent. Quæcumque formetur Dei notio, est illa *à posteriori*, ut loquuntur Scholastici; nempe, si ex usu, nunc inter Christianos recepto, describatur, collectio præstantissimarum quarumque qualitatum, quæ nullo defectu finiri intelliguntur. At quamvis singulas illas qualitates, animo à cæteris sejunctas, & *abstractè*, ut loqui solent, spectatas intelligere possimus; attamen subjectum, cui insunt, adsequi non possumus; adeóque nomen Dei nomen est notionis obscurissimæ, etiam inter Christianos. Sed inter Ethnicos multò obscurior est, quippe apud quos, ut antea * ostendimus, nomen est Naturæ humanâ præstantioris, sed cujus quàm latè

* *P. II.* §. *I. c.* 3.

patea:

pateat præſtantia non liquet. Erant enim illis varii ordines Deorum, quorum aliis alii ſuperiores eſſe credebantur. Invocabantur

------ di, deæque, ſuperi, atque inferi & medioxumi.

ut ille loquitur apud *Plautum*, Ciſtellariâ Act. II. S. I. verſ. 36. ad quem vide Interpretes, & eos qui de Diis ſcripſère. Colebantur & Dii *mali*, ne nocerent, qui, ut docebat * *Labeo*, propitiabantur cædibus & triſtibus ſupplicationibus; unde apparet quandoque, non diffitentibus ipſis Ethnicis, voces *Deus* & *Numen* ſignificare Naturam hominibus quidem potentiorem, ſed nequaquam meliorem. Igitur non erat certa poteſtas his vocibus ſubjecta, & cùm ſermo ſit de Naturis inconſpicuis difficillimè ſcire licet quid ſit earum nominibus pro locis, in quibus occurrunt, intelligendum. Quouſque enim porrigebatur præſtantia Deorum inferorum, mediorum, & ſuperorum? Nemo certè dixerit, nec Ethnici ipſi figmentis illis ſuis certos limites conſtituerant. Si ſermo ſit de rebus, quæ oculis uſurpari poſſunt, ea quæ de illis dicuntur comparamus cum iis quæ cernimus; atque ex illa comparatione, colligimus quid voluerit is, cujus verba intelligere conamur. At rem inconſpicuam, qualis eſt divina natura, non poſſumus conferre cum nominibus, quibus vocari ſolebat. itaque nihil obſcurius eſt illis vocibus.

4. Poſſunt duorum ejuſdem temporis, & gentis hominum comparari ſermones, qui planè contrarii erunt, de una eadémque illa Natura, à qua omnia regi conſentient. Non poſſunt de eadem tabula picta ita judicare, ut alter dicat in ea Elephantem eſſe pictum, alter Hominem; at de Deo, quia inconſpicuus eſt, æquè repugnantia affirmare poſſunt. Alter deſcribet tibi Deum quaſi hominum patrem, qui numquam eis benefacere deſinat, & peccantibus facilè parcat, nec libenter pœnas infligat. Sic de Deo loquetur Philoſophus, ut omnes nôrunt. Contrà ſuperſtitioſus deſcribet tibi Deum ἀβέβαιον, εὐμετάβολον, εὐχερῆ πρὸς ὀργὴν, ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι τιμωρητικὸν, μικρόλυπον· *inconſtantem, mutabilem, pronum ad iram, vindictæ levibus de cauſis cupidum, de minimis indignantem.* Quæ verba ſunt *Plutarchi*, è libro de ſuperſtitione. Itaque licèt ejuſmodi homines conſentiant de voce *Deus*, & nonnullis Dei *attributis*; in cæteris multùm diſſentiunt, nec idem vox *Deus* in utriuſque ore ſonat. Si ſuperſtitioſus ex ſua notione vocem *Deus* interpretetur, in viri ſapientis oratione, toto cœlo errabit; ſi ſapiens, vice verſâ, ex ſuo ſenſu, in ſuperſtitioſi verbis

* *Vide Auguſtinum de C. D. Lib. I. c. 11. & alibi. Adi & Plutarchum de ſuperſtit.*

cam

eam intelligat, non minùs falletur. Igitur in hisce potissimùm rebus cavendum est, ne ex nostris notionibus verba Ethnicorum interpretemur.

5. Ad Christianos Scriptores ut redeamus, multi multa de creatione, cæterísque actionibus Dei scripserunt; sed fatendum est, ut nobis omnino constat rerum universitatis initium ad Deum auctorem referendum esse: ita rationis qua è nihilo creavit, seu actûs illius, qui *creatio* dicitur, nullam à nobis claram notionem formari posse. Sunt & alia μυστικώτερα, quæ à Theologis dicuntur de Deo, & quæ haud magis intelliguntur, ut facilè possemus ostendere. Quando quispiam loquitur de actione rei corporeæ, in aliud corpus, illâ conspectâ intelligimus quid velit; sed quî possimus intelligere eos qui de actibus quibusdam divinis verba faciunt, quos nec nos, nec illi vidimus? Cùm sermo est de homine nobis simili, in cujus animo vel corpore quidpiam contigisse dicitur; ex nostra ipsorum experientia, quadam tenus saltem, suspicari possumus quid significetur. At quid intelligere possimus, ubi sermo est de Natura nobis dissimillima; & de qua ea dicuntur, quibus similia in nobis numquam experti sumus? Attamen si proferantur verba, ex Scriptoribus divinitùs afflatis deprompta, non difficulter credimus iis subesse sensum quempiam quem ignoramus, quia spiritus divinus res divinas novit. Verùm cùm homines sine afflatu de ejusmodi rebus loquuntur, non modo non intelligimus quod dicunt, sed ne ipsi quidem sciunt quid sibi velint.

6. Nomina Substantiarum creatarum esse pariter rerum obscurissimarum nomina, ex ipsarum consideratione ostendimus, loco Logicæ nostræ memorato; neque hîc quod illic diximus repetere necesse est. Ipsas Substantias non videmus, nec quid intelligant earum nominibus alii, præsertim quos interrogare non licet, scire possumus. Qualitates, ut dixi, quæ in iis intelligant nescimus. Cavendum ergo est, in interpretatione Veterum, ubi de hisce loquuntur, ne iis tribuamus quod ipsi intelligimus, pro eo quod illorum animis obversabatur.

7. Verùm non singulares dumtaxat Substantiæ considerantur, sed Substantiarum collectiones, quæ quò ampliores sunt, eò habent nomina obscuriora. Nomina sunt collectionum Substantiarum similium, ut *exercitus*, qui significat cœtum militum; *classis*, quæ est collectio navium; *urbs*, quæ est multitudo domuum, & similia innumera. Sunt quoque nomina collectionum Substantiarum dissimilium, ut *navis*, *domus*, &c. In hisce autem animadvertendum est spectari non nudas tantùm Substantias, sed innumeros etiam Modos, qui iis in-

esse

esse intelliguntur; quo fiunt notiones ampliores, eadémque operâ obscuriores.

8. Si vel ea nomina expendamus collectionum Substantiarum, quæ, exempli causâ, attulimus, quàm obscura sint ejusmodi vocabula facile animadvertemus. Scimus quidem *exercitum* esse multitudinem militum, qui sunt sub signis, & duci aut ducibus parent; satisque clara est ea notio, si ita *abstractè* consideretur. At si agatur de exercitu, non qui esse potest, sed qui est, ut claram ejus notionem habeamus, qualis necessaria est, ut de rebus ab eo gestis, aut gerendis judicare possimus; plura sunt cognoscenda, quorum ferè semper maxima pars omittitur à Scriptoribus, qui ea voce utuntur. Scire, exempli gratiâ, nos oporteret 1. quot sint milites: 2. an sint veterani, an tyrones; equitésne, an pedites; seu quot fuerint utriúsque generis; quo armorum genere instructi, & cui pugnæ rationi adsueti: 3. cujus sint gentis, & quomodo exercitati: 4. quàm animosi sint, aut quàm timidi: 5. an ducibus dicto audientes sint, an iis confidant, vel diffidant: 6. quis sit animus, quæ peritia, quæ potestas ducum: 7. quos habeant belli apparatus, & unde omnia exercitui & bello gerendo necessaria comparare queant: 8. qui sint iis socii, & quæ auxilia ab iis accipere possint, &c. Attamen plerique Historici, qui aut Rerum publicarum generales Historias, aut excellentium Imperatorum vitas scripserunt, ne quartam quidem partem earum rerum memorant; seu eas ipsi rescire non potuerint, seu cùm scirent, imperitiâ scribendi, dicere neglexerint; unde consequens est ut de præliis, victoriis, expeditionibus, itineribusque exercituum, & universim de eorum rebus gestis, non satis exploratò judicare possimus. Lege mihi Historicos omnes, quotquot sunt, Græcos ac Latinos; & comperies plerosque eâ omissione gravissimè peccasse, atque densissimas tenebras toti narrationi offudisse. Dicemus iterum aliquid hac de re, in Sect. 3. Part. III. hujus Opusculi. Atqui solet conferri Historia Picturæ, quasi, nimirum, res gestas populorum & virorum insignium oratione nobis pingeret, & spectandas posteris daret. Quis vero ferret in vultu hominis pingi dumtaxat oculos & nasum, omissis cæteris partibus? An judicium ullum posset ferri de pulcritudine totius vultûs, ex tabula, quæ dimidiam tantùm ejus partem spectandam præberet? Attamen ita se gerunt plerique omnes Historici, ut ex iis, quæ modò dicebamus, liquet; & volumus de eventibus, quos eorum Historiæ complectuntur, certa judicia ferre! Verùm, si sapimus, ex imperfectis ejusmodi descriptionibus, conjecturas tantùm faciemus, quas nec accuratas, nec *adæquatas* esse fatebimur, nec pertinaciùs æquo defendemus. Stultum

certè

certè esset ex tabula imperfecta, de tota re quæ pingitur sine provocatione ad ampliorem cognitionem, judicare velle.

9. Omnes putant se scire quid sit *classis*, & sæpe Historici maritimas copias eâ solâ voce describunt; omissis numero, magnitudine & forma navium, numero classiariorum & militum, aliísque circumstantiis, quas memoravimus, cùm de *exercitu* loqueremur. Attamen absque accuratiore cognitione classis, *adæquatum* nullum judicium de ea ferre nobis licet. Idem dicendum de voce *urbs*, cujus domuum numerus & amplitudo reticetur, & quæ quot incolas habuerit, quasve divitias ignoramus; quod frequentissimè, inter legendum, contingit.

10. Quod si nomen collectionis Substantiarum proferatur, quæ complectatur diversi generis Substantias, innumeris *Modis* ornatas, nec aliter describatur; oportebit nos in obscurissima notione adquiescere. Exempli causâ, *navem* adduximus, quod nomen est machinæ ligneæ ingenti numero partium, inter se compactarum, constantis; in qua sunt clavi, mali, funes, & cætera armamenta. Quia in Scriptis Veterum nulla est navis, præsertim longæ, descriptio accurata; permulta sunt in descriptione classium, & navalium præliorum, quæ nullatenus possumus adsequi. * *Florus* nos docet magnas classes à Populo Romano, brevissimo tempore instructas fuisse, eísque impositos & transvectos maximos exercitus, quod vix ac ne vix quidem intelligere possumus, ob causam memoratam. Scio esse permultos, qui Romanam Historiam legant, atque illa veloci lectione prætervolent, quasi nihil esset difficultatis; sed hoc ipsum ostendit Lectores persæpe acquiescere in obscurissima notione eorum, quæ maximè intererat scire; nec eo seciùs de aliis judicare, quàm si accuratissimè omnia perlustrâssent. Qui non satis intelligent quid velim, ii adeant * eos, qui de re nautica Veterum scripserunt; rem enim copiosiùs exponere, per institutam brevitatem, non licet.

11. Hisce de notionibus Substantiarum demonstratis, non opus erit, ut multis agamus de Modorum notionibus; quia ut monui, omnes Substantiæ spectantur, quasi Modis variis præditæ. Tria ergo dumtaxat animadversione digna proferemus: I. Si Modum unum *abstractè* consideremus, exempli causâ, figuram quamlibet, notio ejus nobis ob versatur

* *Lib. II. c. 2. quem confer cum Polybio Lib. I.*

† *Præsertim Joan. Schefferum & Marc. Meibomium.*

ſummæ perſpicuitatis; atque ejuſmodi notionum nominibus utuntur Geometræ; ſed de his intelligendis hoc loco non laboramus, nec ulla eſt certior via, quâ perveniatur ad intelligentiam Veterum qui de Geometria ſcripſerunt, aut eam quandoque attigerunt, quàm ſi ei diſciplinæ operam demus.

12. II. Sunt etiam nomina Modorum, non minùs perſpicua attendentibus, ſed quæ uſu Vulgi ita ambigua facta ſunt ut recentiores demùm Phyſici eam ambiguitatem animadverterint. Nomina qualitatum, quæ *ſenſiles* vocantur, duo ſignificant; quæ non poſſunt ſine maximo errore miſceri, & tamen à Vulgo miſcentur. Exempli cauſâ, *lux*, *ſonus*, *odor*, *ſapor*, *calor*, &c. ſunt ejuſmodi nomina, quibus ſignificatur cùm id quod ſentimus, quando animadvertimus *lucem*, *ſonum*, *odorem*, *ſaporem*, *colorem*, &c. tum id quod eſt in corporibus lucidis, ſonoris, odoratis, ſapidis, & calidis. Quod ſentimus eſt Modus noſtræ Mentis; quod eſt in illis corporibus eſt eorum corporum Modus, íſque planè diverſus ab eo qui eſt in nobis. Verùm de his ſolent agere Phyſici, & nos diximus quod ſatis ſit, Phyſicæ noſtræ Libro Quinto. Itaque nihil ea de re addemus, cùm præſertim non ſoleant Critici in tam ſubtilem notionum diviſionem, & conſiderationem deſcendere. Satis iis eſt, ſi modò poſſint Veteres interpretari, æquè clarè ac intelligitur vulgò ſermo hominum, vernaculâ Linguâ utentium.

13. III. Innumera ſunt vocabula, quæ ſignificant non unum Modum, qui rebus extra nos poſitis, aut menti noſtræ inſit, quales ſunt ii de quibus modò dicebamus, ſed plurium Modorum collectionem; eáque vocabula difficilia ſunt intellectu, quòd non ſit facile omnes Modos, quos ſignificatione ſuâ complectuntur, invenire; quia ii qui iis vocabulis uſi ſunt, ea numquam aut raró ſat accuratè definierunt, nec poſſunt nunc à nobis interrogari. Talia ſunt nomina affectuum, Vitiorum & Virtutum. Hæc enim ſunt dumtaxat varii Modi, qui nobis inſunt, & quorum certis collectionibus certa nomina impoſita ſunt Ut ergo accuratè intelligamus quid ſignificent ea nomina, oportet nos ſcire quot varios modos complectantur, quorum ſi vel unus nos fugit dici non poſſumus ea nomina intelligere. Exemplis res liquidior fiet.

14. *Amor* & *Odium* affectus ſunt, qui in hiſtoria humani generis, omnibúſque ferè omnium Scriptorum ſcriptis, utramque paginam faciunt. *Amor* vix poteſt ita definiri, ut una definitio conveniat omnibus affectibus, qui eo nomine vocantur, propter maximam eorum varietatem. Conſtat quidem quidquid eo nomine appellatur oriri ex re quapiam, quæ nobis

bis est voluptati, & in eam ferri ; sed sunt diversissima ea, quæ nobis voluptatem creant, & dissidentes prorsus circumstantiæ affectuum, qui sub eo nomine continentur. Quæcumque nobis voluptatem creant ea *bona* vocamus, súntque aut corporis, aut animi, aut externa. Itaque hæc omnia bona amare dicimur ; &, pro variis circumstantiis, *amor* nomen est diversissimorum affectuum, sive diversis Modis constantium. Qui nisi diligenter distinguantur, non intelligimus eos, qui iis vocibus utuntur.

15. I. *Amor* significat eum affectum, quo duo sexus conjunguntur, matrimonii, aut etiam voluptatis causâ. Nihil frequentius, apud omnes Scriptores, & artem satisfaciendi huic amori scripsit *Ovidius*. Si sermo sit de amore licito juvenum, qui matrimonium spectant, in eo hæc consideranda veniunt : 1. est totius sanguinis quidam fervor : 2. voluptas animi in adspectu ejus qui amatur, & in sermonibus cum eo cædendis : 3. cupiditas eo potiundi, atque unà vitæ transigendæ : 4. vota quibus amans optat omnia ei secunda accidere, & si quà possit adjuvare, alacre, promptum ac profusum auxilium : 5. lætitia aut dolor, prout rebus secundis, aut adversis utitur : 6. egregia de eo opinio, sive corporis, sive animi dotes spectentur : 7. animus ad omnia obsequia paratissimus. Ad hæc omnia accedit amoris vehementia, quæ, pro temporum, rerum ac personarum circumstantiis, major aut minor est. Jam autem quis est, qui lectâ hac voce *Amor*, quomodo omnia illa se habeant accuratissimè nôrit? Nemo profectò, ideóque fateamur necesse est nos non plenè adsequi narrationes, in quibus hæc vox occurrit; etiamsi summatim scimus, affectum quem descripsimus significari. Atqui sæpe, ut de historiis judicare possimus, multùm interest quàm accuratissimè omnia illa, si fieri possit, cognoscere. Si quis legat historiam belli, quod *Cæsar* Octavianus gessit cum *Antonio*, videátque hujus cladis causam referri ad amorem, quo Cleopatram deperibat ; non satis intelliget, quî amor cladis causa esse potuerit, nisi vehementiam ejus ex aliis circumstantiis historiæ cognoverit.

16. II. *Amor* passim etiam sumitur pro amicitia, quæ intercedit inter viros, qualis fuit inter *Ciceronem*, & *Atticum*; cujus gravissima indicia videmus, in illius ad hunc Epistolis, atque in vita *Attici* à *Corn. Nepote* conscripta. Nihil est in amicitia quod non sit in amore antea descripto ; à quo si abstuleris ea quæ ad corpoream voluptatem pertinent, plenam habebis descriptionem amicitiæ. Itaque non opus est eam pluribus à nobis describi. Nisi hæc omnia attendamus, non intelligemus cur omnes, qui de Amicitia scripserunt, tantas laudes

laudes ei tribuerint; quorum omnium inſtar eſſe poteſt *Cicero*, qui in libro de Amicitia, negat * *ſe ſcire, an, excepta ſapientiâ, quidquam ſit homini amicitiâ melius à Diis immortalibus datum*; contendítque eos † *ſolem è mundo tollere videri qui amicitiam è vita tollunt.*

17. III. *Amor* eſt parentum erga liberos, & liberorum erga parentes; qui amor, præter omnia quæ ſunt in arctiſſima amicitia, conjunctionem ſanguinis habet; quâ fit vehementior inter eos amicitia, ita ut parentes liberos, liberi parentes omnibus aliis amicis longè anteponant. Qui non animadverterint quanta ſit, & quàm juſta conjunctio in hac amicitia, præſertim ſi, ut par eſt, mutua ſit, numquam capere poterunt, cur tam multi parentes commodis liberorum, magis quàm ſuis, ſtudeant, cúrve exſtent exempla liberorum, qui libentiſſimè parentibus quæcumque ab iis acceperant, etiam vitam reddiderint. Qui cœlibes vitam egerunt non capiunt, cur parentes mortem liberorum uſque adeo lugere ſoleant; cur vero? Quia numquam voluptatem illam ſenſerunt, quæ amicitiæ inter parentes & liberos longè jucundiſſimus eſt fructus; & quam ſibi in æternum eripi ſentire non poſſunt parentes ſine graviſſimo dolore. Numquam omnes illas notiones, quas *paternæ amicitiæ* nomen complectitur, attenderunt; unde etiam ſequitur, ut non ſatis intelligant quæ de hiſce rebus à Veteribus ſcripta ſunt.

18. IV. *Amor* denique ſumitur pro quavis cupiditate, ut *amor regni*, *amor pecuniæ*, &c. quæ ſunt circumloquutiones ambitionis, avaritiæ & aliorum affectuum; quibus homines in bonum quoddam, aut quod bonum putant, feruntur. Eos non aggrediar deſcribere, uti nec *odium*, cujus natura ex deſcriptione contrarii facilè intelligi poteſt. De omnibus ſummatim obſervandum eos ſolos, qui eorum naturam diligenter inveſtigârunt, & varias partes, ut ita dicam, quibus conſtant diſcriminare poſſunt, adſequi quæ de illis paſſim dicuntur, & rationem effectuum, qui illis tribuuntur noſſe.

19. Similia dicenda de nominibus *virtutum* & *vitiorum.* Sunt enim habitus animi, quibus homines convenienter rationi & naturæ ſuæ vivunt; aut contrà leges, ex ratione & natura humana petitas, perfringunt; quibus in habitibus, varia continentur. Nullus non Ethicæ ſcriptor hoc oſtenderit, ſi adeatur. Attamen exemplum hîc addam, ut res manifeſtior fiat. *Juſtitia* à ‡ Juriſconſultis definitur: *conſtans*

---

* *Lib. de Amic. c.* 6. † *Ibid. c.* 13. ‡ *Inſt. Lib. I. Tit. I. §. I.*

& perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Igitur in Juſtitia hæc ſunt, 1. cognitio juris, quod eſt, aut naturæ, aut inſtitutionis hominum: 2. peritia, quâ regulæ generales juris ſingularibus factis aptantur: 3. voluntas, quâ illæ regulæ non modò in ſe ſpectatæ probantur, ſed & in uſum revocantur, quotieſcumque ſe dat occaſio: 4. animus ita temperatus, ut non patiatur perturbatione ullâ ſibi excuti eam cognitionem ac voluntatem. Hiſce continetur Juſtitia, quod ut meliùs intelligatur, ſciendum *jus naturæ* vocari quidquid conſentaneum eſt ac utile humanæ Societati, in quocumque ſit ſtatu; adeò ut eo poſito atque obſervato, meliùs ſe habeant homines; contrà verò neglecto, aut violato, deteriùs. *Jus* verò *inſtitutionis* eſt quod nititur legibus Reipublicæ, in quâ vivimus; quæ tamen leges non debent obſervari, ſi contingat *juri naturæ* eſſe contrariæ. Igitur *juſtitiâ* præditus is dicetur, qui legum omnium Reipublicæ, cum jure naturæ conſentientium obſervans eſt, & præterea facit quidquid jus naturæ ab omnibus hominibus exigit.

20. Ejuſmodi eſt juſtitia, de qua dixit *Theognis*:

> Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι,
> Πᾶς δέ τ' ἀνὴρ ἀγαθὸς, Κύρνε, δίκαιος ἐών.

> *Juſtitia una alias virtutes continet omnes,*
> *Et quiſquis juſtus, vir bonus ille fuit.*

Ea eſt Juſtitia Evangelica, de qua egimus ſuperiore Sectione, Cap. VI. ubi nonnulla obſervavimus, quæ hîc dicenda eſſent, niſi alio loco proponi debuiſſent. Nimirum, non apud omnes Scriptores, & omnibus in locis, æquè latè patet vox *juſtitia*, ut illic oſtendimus.

21. Deſcriptiones vitiorum plurimas ſuppeditabit *Theophraſtus*, in Characteribus Ethicis; ex quibus liquebit, ſi quis cupiat ſcire quid eorum nominibus ſignificetur, diligenter conſiderandas eſſe omnes partes, quibus poteſtates eis ſubjectæ conſtant. *Theophraſtus* enim non ſatis habet ea definire paucis verbis, ſed præterea mores ejus, qui iis vitiis inquinatus eſt, ſingulatim deſcribit. Exempli cauſâ, non modò definit ἀρέσκειαν, ἔντευξιν οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ ἡδονῆς παρασκευαστικήν· *congreſſionem quæ voluptatem creat, non in optimum finem*; ſed & copioſè deſcribit, iis allatis quæ facit ἄρεσκος, ſine quibus vix intelligeremus quis ſit, nam parum accurata eſt definitio, ut multæ aliæ, quibus utitur *Theophraſtus*. Hoc exemplum profero, non quòd ſingula Capita ejus libelli

non

non suppeditent clara ejus quod dixi exempla; sed ut animadvertat Lector quod, in hoc negotio, maximi est momenti; nimirum, varias Gentes in hujusmodi nominibus varios Modos unà junxisse, eíque collectioni certum nomen imposuisse; cui apud alias Gentes simile nullum est quòd non formarint notionem collectione eorumdem Modorum constantem. Sic ἀρέσκεια non potest dici Latinè unâ voce; significat enim *id animi vitium, quo quis omnibus placere studet, etiam malis artibus*; quo vitio qui laborat dicitur ἄρεσκος. *Isaacus* quidem *Casaubonus* vertit *blandum*, & ἀρέσκειαν *blanditiam*; quæ voces non multùm quidem à significatione Græcarum absunt, & significant vitium, quo laborat ἄρεσκος, nam eum *Theophrastus* omnibus adblandientem describit; sed non æquant totam earum significationem. Etenim primò propriam potestatem vocis ἄρεσκος non exprimunt, quæ tamen exprimenda est; cùm ex ea appareat quis sit scopus ejus qui hoc vitio laborat, & ea facit, quæ eum facientem describit *Theophrastus*. Hanc esse vim vocis, quam diximus, intelligere licet, ex verbis Pauli, Rom. XV. 1, 2, 3, & 1 Cor. X. 33. ubi ἀρέσκειν in bonam, partem sumitur, significátque nihil eorum omittere, quæ per virtutem facere liceat, ut omnibus placeamus, seu ut eorum benevolentiam nobis conciliemus. Secundò, ex ea descriptione liquet τοῦ ἀρέσκου ἔργον non esse tantùm ut aliis blandiatur, sed ut lautioris fortunæ, & liberalioris atque elegantioris ingenii videatur; quod dimidiâ parte Capitis docet *Theophrastus*. Ἄρεσκον ergo sic descripseris: hominem qui omnibus placere studet verborum comitate, obsequio, cultûs elegantiâ, liberalitate, & sumptibus; quibus verbis quæcumque habet Theophrastus complecti queas. Hinc in Onomastico veteri: Ἀρέσκεια *hic placor, venustas.* Ἀρέσκων, *placitus, participium.*

22. Sunt & alia nomina vitiorum, apud eumdem *Theophrastum*, quæ unâ voce Latinâ exprimi nequeunt. I. Ἀδολεσχία, quæ *Garrulitas* à *Casaubono* vertitur, est propriè, ut ex ipsius *Casauboni* commentario intelligere est, id vitium quo laborant homines otiosi, qui ἐν λέσχῃ ἥμενοι *sedentes in taberna* de rebus nihili per totos dies colloquuntur. Non diffiteor homines illos esse *garrulos*, sed hæc vox non satis latè patet, nam ἀδολεσχία est inanis, atque otiosa garrulitas. II. Βδελυρίαν ille vertit *obscœnitatem*, aut *impuritatem*, quas tamen voces non satis commodas esse fatetur. Ac sanè βδελυρία vox est quæ ambitu suo multò plura complectitur, quàm voces Latinæ; describitque hominem *Theophrastus*, qui nullâ ratione ducitur existimationis suæ, qui nihil pensi habet decorúmne

an indecorum sit quod agit, aut dicit. Hæc autem latissimè patent, ut & nomina multorum convitiorum, quibus subjectas notiones enumerare difficillimum est. Hinc videre licet ipsum *Theophrastum*, postquàm hanc, & similes voces definivit, in sequentibus ea dicentem quæ definitione nequaquàm complexus erat. Caput περὶ βδελυρίας inchoat hisce verbis: *non est difficile βδελυρίαν definire*, aitque esse παιδιὰν ἐπιφανῆ καὶ ἐπονείδιστον, hoc est, ut habet *Casaubonus*, *jocum*, *ludúmve evidentem nimis, ac flagitiosum.* Dimidiâ verò parte Capitis, describit hominem fraudulentum, nec quidquam turpe ducentem. Nec rarum est hoc, in hisce Characteribus. III. Ἀναισθησίαν *stupiditatem* esse putat *Casaubonus*, éstque sine dubio ἀναίσθητος *stupidus*; sed quæ illi tribuuntur à *Theophrasto* ostendunt esse etiam hominem, cujus animus perpetuò peregrinatur, neque umquam attendit id quod agit. Gallicè dixeris, *un hébeté, qui est toûjours distrait.* IV. Μεμψιμοιρία, non est satis rectè versum *querela*, vel *iniqua querulitas*; aliquid addendum. Est enim animus suâ sorte parum contentus quo fit ut perpetuò fortunas suas queratur. Non opus est ut plura, ex *Theophrasto*, exempla proferamus.

23. Hinc colligere est, non esse facile non modò invenire voces aptas ad vertenda aliâ Linguâ nomina collectionum Modorum, sed ne quidem Modos omnes enumerare, qui continentur in ejusmodi collectionibus. Attamen ex iis vocibus, sæpe pendet totius orationis sententia. Quare decet literarum studiosos diligenter ea quæ antea dicta sunt attendere; ne intelligere sibi videantur quod non intelligunt, útque integras vocum notiones eruere addiscant, non in obscuris aut imperfectis adquiescant, quemadmodum vulgò fieri solet.

CAPUT IV.

De Nominibus Relationum.

1. NON repetam hîc quod dixi Logicæ Part. I. c. 4. de *Relationibus*; addam tantùm exempla, quibus probabo ex Veteribus, quæ illic rationibus philosophicis ostendi. Dixi nomina Modorum omnium, qui augeri & minui possunt, esse nomina Relationum; quæ cùm sint infinita, diligenter cavendum ne *absolutè* dici credantur, quæ tantùm *relatè* dicta sunt. Hoc autem observandum, cùm in nominibus adjectivis, tum etiam in substantivis & in verbis, integrisque Enunciationibus;

ciationibus ; quæ veræ dumtaxat ſunt *relatè* ad nonnulla, non univerſim & *abſolutè*. Exemplis res clara fiet.

2. Dicebat *Plato* ∴ τὰ πρός τι προσδεῖσθαι τινὸς ἑρμηνείας. οἷον τὸ μεῖζον τινὸς, καὶ τὸ θᾶττον τινὸς, καὶ τὸ κάλλιον καὶ τὰ τοιαῦτα. τό τε γὰρ μεῖζον ἐλάττονός ἐστι μεῖζον, καὶ τὸ θᾶττον τινὸς ἐστι. *Quæ ad aliquid dicuntur* (hoc eſt , quæ ad aliquid referuntur) *aliqua interpretatione indigere*, *quale* eſt majus aliquo & celerius aliquo, & *pulcrius* , & *ſimilia*. *Nam* majus *eſt* majus *minore*, & celerius eſt aliquo *celerius*, &c. Pro comparativis, poſitiva μέγας, ταχὺς, καλὸς, potuit afferre ; hæc enim non minùs ſunt τῶν πρός τι, quàm comparativa. Hinc maxima obſcuritas in ſermone, cùm neſciamus quâ menſurâ, ut ita dicam, utatur is qui ejuſmodi vocibus utitur ; quis autem non innumeris in locis eas adhibet, cujúſve opiniones omnes tam accuratè novimus, ut ex iis poſſimus perſpicuè ſcire quæ ſit illi menſura ejuſmodi Relationum ? Ideò hoc argumento utebatur junior Academia, ut nihil percipi poſſe oſtenderet. *Rerum natura*, ait Cicero *, *nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re ſtatuere poſſimus quatenus --- Nulla omnino in re minutatim interroganti, dives, pauper ; clarus, obſcurus ; multa, pauca ; magna, parva ; longa, brevia ; lata, anguſta ; quanto aut addito, aut dempto, certum reſpondeamus non habemus.* *Sextus* Empiricus Pyrrh. Hypot. Lib. I. de octavo modo, quo cohibendum judicium oſtendebant Academici : Ὄγδοός ἐστι τρόπος (ἐποχῆς δηλονότι) ὁ ἀπὸ τοῦ πρός τι, καθ' ὃν συνάγομεν, ὅτι ἐπεὶ πάντα ἐστὶ πρός τι, περὶ τοῦ τίνα ἐστὶ ἁπλῶς καὶ ὡς πρὸς τὴν φύσιν, ἐφέξομεν · *octavus eſt modus* (cohibitionis judicii) *ex relatis, ſecundùm quem colligimus, cùm omnia ſint relata, quænam ſint ſimpliciter & ſecundùm naturam, nos aſſenſum retenturos.* † Verum hinc non ſequitur nihil eſſe abſolutè & in ſe, ſed tantùm Modis , qui capiunt plus aut minùs, nullam eſſe certam menſuram conſtitutam, in animis hominum.

3. Idem aliis teſtimoniis probare pergemus. *Cicero* Tuſcul. Quæſt. Lib. I. n. 94. *Quia ultra nihil habemus, hoc longum ducimus ; omnia iſta, perinde ut cuique data ſunt, pro rata parte à vita, aut brevia, aut longa dicuntur. Apud Hypanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Ariſtoteles ait beſtiolas quaſdam naſci, quæ unum diem vivant. Ex his igitur quæ horâ octavâ mortua eſt, provectâ ætate mortua eſt ; quæ verò occidente ſole, decrepita ; eo magis, ſi etiam ſolſtitiali die. Confer noſtram longiſſimam vitam cum æterni-*

∴ *Diogenes Laertius, L. III.* §. 109. * *Acad. Quæſt. Lib. IV. n.* 92. † *Vide etiam qui idem habet contra Mathemat. l.* 303. *& ſeqq.*

tate, in eadem propemodum brevitate, quâ istæ bestiolæ, reperiemur. Imò verò nostra vita nihil pœnè erit æternitati collata.

4. Dignus etiam est auditu, hanc in rem, *Seneca* Ep. XLIII. sive Lib. V. Ep. 8. *Quidquid inter vicina eminet, magnum est illic ubi eminet. Nam magnitudo non habet certum modum; comparatio illam aut tollit, aut deprimit. Navis quæ in flumine magna est, in mari parvula est; gubernaculum, quod navi alteri magnum, alteri exiguum est.* Idem, aut alter *Seneca*, in Troade vers. 1014. idem ferè expressit, hisce verbis.

Ferre, quam sortem patiuntur omnes, Nemo recusat:
Nemo se credit miserum, licèt sit.
Tolle felices, removeto multo
Divites auro, removeto centum
Rura qui scindunt opulenta bubus;
Pauperi surgent animi jacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.

5. Hinc perspicuè intelligere est omnes planè voces, quibus significantur Modi, qui augentur, aut minuuntur, esse *relativas*; quod & pluribus exemplis ostendimus, in Logica. Igitur quotiescumque nobis occurrunt eæ voces, oportet illico in animum revocare quis sit qui iis utitur, quo tempore, & apud quam Gentem vixerit. Quod nisi fiat, in similem errorem incideremus, ac qui audito certo *pedum* numero; qui agri modus esset, & indicaretur à viro, qui non diceret quo *pedum* genere esset usus; illico arreptâ *pedis* mensurâ, quam apud se haberet, vellet ad eum *pedem* alterius dicta exigere; licèt breviorem aut longiorem pedis mensuram adhibuisset, prout apud varias Gentes varia est. Paria faciunt, qui ex notionibus suis *relativas* voces, ab aliis usurpatas, interpretantur.

6. Igitur quando laudatur, aut vituperatur quispiam, ante omnia quærendum, quis laudet aut vituperet, &, quantùm licet, investigandum quid senserit de virtutibus, aut dotibus quas extollit, déque vitiis in quæ invehitur. Si enim magnam, atque amplam notionem habeat virtutum, laudes illæ multò majores erunt: ut contra, si de iis tenuiùs & exiliùs sentiat, multò erunt minores. De vitiis paria sunt animadvertenda, in contrariam partem. Quærendum etiam quo tempore, & apud quos vixerint qui laudantur, aut vituperantur; nam pro temporibus & locis, crescunt & minuuntur probra & laudationes.

7. Ex-

7. Exempli causâ, si quis apud Ethnicos, Græcos aut Romanos, dicatur *optimus*, *sanctissimus*, *innocentissimus*, atque *integerrimus vir* vixisse, quod apud utriusque Linguæ Scriptores non raro occurrit; intelligendum id erit, pro modulo illius ævi & illarum Gentium. Si Christiano more ejusmodi vocabula tunc interpretaremur, planè alios viros illos fuisse fingeremus, ac reverâ fuerunt. Quamvis enim nolim, quod nonnulli faciunt, nimiùm spernere virtutes Ethnicorum, aut etiam eas vitiis accensere; attamen *bonitas*, *sanctitas*, *innocentia* & *integritas* Christiana, multo latiùs patent, quàm apud Ethnicos patebant.

8. Hoc vel ex eo liquet, quòd laudatissimi illi viri, apud Ethnicos, eas virtutes dumtaxat erga cives, aut summùm adversùs socios exercerent; sed erga populos nullâ amicitiâ secum conjunctos, aut etiam hostes, omnia sibi licita esse putarent, ut ex eorum historiis satis apparet. Horum virtus tantò tenuior est Christianâ virtute, quantò toto orbe terrarum arctiores erant fines eorum patriæ, aut tractuum quos amici ac vicini iis populi insidebant; nam Christiana virtus planè ad omnes homines porrigitur. Scio Stoicos * haud absimilia dixisse iis, quæ de Christianæ virtutis amplitudine docemur; sed ex eorum formula nemo olim vixit, & virtutis naturam falsis aliis dogmatibus corrumpebant.

9. Ut majoris momenti exempla proferam, quod monuimus in memoriam etiam revocandum est, ubi laudantur qui sub Vetere Testamento vixerunt. Sic cùm David dicitur *homo secundùm cor Dei*, 1 Sam. XIII. 14. præterquàm quod illic sermo est de Rege, regiæque adeò dotes spectantur; id non ita intelligendum est, quemadmodum intelligeretur de Christiano, qui ad Evangelii normam vitam exegisset. Militaris enim vita Davidis, cùm juvenis esset, multitudo deinde uxorum, & concubinarum, adulterium denique & homicidium, consistere non possent cum moribus viri, qui sub Evangelio diceretur esse *secundùm cor Dei*. Non diceretur hodie vir, qui Davidis instar vixisset, *præcepta Dei observasse*, *sequutus eum esse toto corde*, *ut id tantùm fecisset quod in oculis ejus rectum est*, quod legimus 1 Reg. XIV. 8. Sed illic potissimùm ratio habetur Idololatriæ, quam certè David diligentissimè vitavit; éstque intelligendum encomium, pro modulo illius ætatis.

10. Similiter cùm præteritorum proximè sæculorum aut etiam paulò antiquiorum Scriptores promiscuè ἁγιωτάτους καὶ σοφωτάτους *sanctissimos* & *sapientissimos* vocant Ecclesiarum Christianarum Rectores, cùm singulos, tum etiam in Conci-

* *Vide Ciceronem Offic. Lib. III. c. 7.*

lia coactos, id est intelligendum pro captu sæculorum, & hominum; non interpretandum ex divino illo sanctitatis & sapientiæ exemplari, quod nobis præbuit Christus, & quod in Scriptis suis descripserunt Apostoli. Quicumque Historiam Ecclesiasticam legerunt, dictáque & facta *sanctissimorum & sapientissimorum* virorum exegerunt ad normam Evangelii & rectæ Rationis, satis nôrunt quantum ab hac recesserint eorum sanctitas & sapientia. At qui non perpetuò ante oculos habent exemplar illud unicum, ad quod omnia sunt componenda, decepti ejusmodi vocibus eos venerantur, atque imitari per omnia conantur; qui certè neque veneratione, neque imitatione digni sunt, nisi quatenus cum Evangelii, Rationisque æterno virtutis exemplari consentiunt. Plura non addam, nam ferè præstat ea de re tacere, quàm nimis pauca scribere.

11. *Relativa* etiam sunt cùm nomina substantiva, tum etiam verba omnia quibus notiones significantur, quæ augmentum aut diminutionem capiunt. Ejusmodi sunt nomina virtutum & vitiorum, & verba quibus vita ad virtutes exacta, aut vitiis contaminata signari solet. Ejusmodi sunt & omnia alia, in quorùm significatu varii veluti gradus distingui possunt. Exempli causâ, à Veteribus Romanis Oratores & Poëtæ, quos illi primos habuerunt, aut qui non multò post primos floruerunt, summopere sunt laudati, quia nihil melius nôrant; qui tamen postea, melioribus natis, meritò spreti sunt. *Ennium* non modò laudavit ætas quæ eum vidit, sed & *Cicero* passim extollit; at ejus poëmata, si cum Virgilianis, aliisque ejusdem ævi conferantur, quid sunt, præter *sterquilinia?* Verùm *Cicero* nihil Latinè legerat, quod *Ennium* superaret. Quos plausus consequutus est *Plautus*, ab hominibus sui ævi? *Horatius* tamen, acerrimus harum rerum judex, hoc judicium de iis plausibus tulit:

* *At nostri proavi Plautinos & numeros &*
Laudavere sales; nimiùm patienter utrumque,
Ne dicam stultè, mirati.

De similibus laudibus, in priscum oratorem congestis, audiamus ipsum † *Ciceronem*, in Bruto: *Carbonem in summis oratoribus habitum scio; sed, CUM in cæteris rebus, tum in dicendo, semper quo nihil est melius, id laudari, qualecumque est, solet.* Exempla alia non proferemus, quia quæ de nominibus adjectivis diximus, ea facillimè substantivis & verbis aptari possunt.

* *In Arte Poet.* † *In Bruto, Cap.* 86.

12. Unum præterea monebimus, quod ad omnis generis loquutiones pertinet. Nempe, innumeras Enunciationes, quæ generales & *absolutæ* primo intuitu videntur, esse tantùm *relatè* veras, adeóque ex tota sua amplitudine urgeri non posse. Iis passim utuntur Scriptores omnes, exceptis solis Geometris, sive Mathematicarum rerum scriptoribus; qui nulla proferunt axiomata, quæ non debeant universim de omnibus quæ complectuntur intelligi, atque urgeri pro tota significatione quam verba, quibus constant, apud Geometras obtinent. Sciunt quid velim quicumque, vel ab ipso limine, Mathematicas disciplinas salutârunt. Ex aliis dumtaxat Scriptoribus, *relativarum* Enunciationum exempla aliquot sunt nobis proferenda.

13. Moses, Gen. VI. 5. ita loquitur: *videbat Jehova vitia hominum in terris augeri, nec quidquam eorum animum, præter malum, cogitando quotidie effingere.* Hæc verba ita solent à nonnullis proferri, quasi hoc iis inesset axioma: *NIHIL quidquam hominum animus, præter malum, cogitando quotidie effingit*; quo perdita totius humani generis nequitia significetur. At ne quid dicam de hyperbole, quæ est in hisce verbis, ut in Commentario ad eum locum ostendi, loquitur Moses *relatè* ad ante-diluvianos homines, non ad omnes omnium ætatum mortales. Itaque quod *relatè* dicitur non debet *absolutè* intelligi, quo sensu falsum esset; certum enim est innumeros pios quotidie multas sanctas cogitationes animo versare.

14. Psaltes Ps. XIV. 2. hæc habet: *Jehova è cœlo despexit in homines, ut videret an sit sapiens, qui quærat Deum. Omnes defecerunt, unà corrupti sunt, nemo facit bonum, ne unus quidem.* Hinc totius humani generis depravatio colligitur, quasi neque temporum, neque locorum rationem ullam habuisset Psaltes. Non diffiteor gentem humanam universam, excepto uno ejus redemptore, prolapsam esse & prolapsuram in peccatum. At Psaltes hæc non dicit, in humani generis concione, sed apud Judæos, in Chaldæa exulantes; loquiturque de iis qui injusto jugo Gentem suam premebant, nimirum, de Chaldæis; ut sequentia manifestò ostendunt, quod aliquando ad eum locum demonstrabimus. Nec certè ita quisquam loquatur, de quavis ætate, sine maxima hyperbole.

15. Esaias Cap. LXIV, 6. *Omnes*, inquit, *fuimus instar immundi, & omnia nostra justa facinora instar vestis sordidæ*, aut *menstruatæ*, ut habet *Hieronymus*. Hinc quidam colligunt ipsa piorum omnium κατορθώματα esse peccato inquinatissima; cùm Esaias de Judæis sui ævi loquatur, qui justa facinora fortasse scelera vocabant. Nam licèt primâ personâ utatur, liquet

quet eum nomine ſuo non loqui, ſed nomine maximæ partis Gentis Hebrææ.

16. Paulus 2 Cor. III. 5. ita loquitur de eo quod antea dixerat, de Apoſtolatu ſuo: *Fiduciam autem hujuſmodi habemus, per Chriſtum, apud Deum; non quòd idonei ſimus per nos ipſos, ad cogitandum quidquam, velut ex nobis ipſis; ſed quod idonei ſumus id ex Deo eſt, qui etiam fecit, ut idonei eſſemus miniſtri novi Teſtamenti.* Manifeſtum eſt Paulum dicere ſe non potuiſſe per ſe fieri Apoſtolum, ſine revelatione & donis cœleſtibus, quæ prædicationi ſuæ pondus adderent. At nullâ ratione habitâ loci, in quo hæc verba exſtant, univerſale axioma hinc colligitur, quo ſignificant nonnulli Theologi, poſt Adami peccatum, neminem hominem ullam cogitationem rectam animo verſaſſe; niſi ope inuſitatæ *Gratiæ*, quam Deus, præter ordinem Naturæ, nonnullis largitur. Quod dogma, ut verum ſtatuatur, certè ex verbis Pauli probari nequit, quæ dicuntur *relatè* ad Apoſtolatum, cui idoneus à Deo factus erat, non à ſe.

17. Sexcenta poſſent proferri talia, quæ cùm *relatè* dicantur, divulſa ab orationis contextu urgentur quaſi *abſolutè* intelligenda. Veteres Patres regularum Criticarum aut imperiti, aut negligentes, paſſim ita Scripturam laudant, habuerúntque multos poſtea ſequaces; ea, opinor, de cauſa, quòd multò facilius ſit ejuſmodi axiomata excerpere, quàm omnes omnium locorum circumſtantias diligenter attendere, antequàm ex iis quidquam probare aggrediamur. Sciunt me verum dicere, quicumque Veteres *Tractatores* non prorſus oſcitanter legerunt.

18. Hic etiam animadvertendum eſt, innumeras ubique occurrere loquutiones, quas, ut rectæ ſint, ſatis eſt κατά τι, hoc eſt, *relatè* ad quamdam ſignificationem eſſe veras. Igitur niſi Scriptoris ſcopus, & doctrina aliunde nota poſtulent phraſin, pro tota nativæ ſignificationis amplitudine, urgeri; non facilè ii ſunt erroris incuſandi, qui ϭχέσιν dumtaxat aliquam, pro rei quæ agitur natura, urgendam cenſent. Non omnis ſermo, ut jam diximus, eſt Geometricus; ſatis habent plerique, ſi nihil dixerint quod non ſit aliquo ſenſu verum. Huc faciunt quæ diximus, ſuperioris Sectionis Cap. V. Sect. 5. ubi egimus de tralatitiis vocibus & loquutionibus non nimiùm urgendis; ut neceſſe non ſit nova nos huc exempla congerere.

19. In omnium Scriptorum interpretatione, pluries in haſce regulas eſt peccatum; at cùm nullum eſſe oporteret librum, ad cujus interpretationem adhiberetur par ἀκρίβεια κριτικὴ, ac ad explanandos Libros Sacros; neſcio quî factum ſit, ut in his illuſtrandis certiſſimi quique Criticorum canones conculcarentur,

rentur. Ex qua re innumeræ παρερμηνείαι natæ ſunt, eáſque ſequuta numeroſiſſima errorum & controverſiarum propago. Eruditos & veri amantes viros decet hiſce malis remedium quærere, & laboranti Chriſtianiſmo ſedulò atque animosè medicinam facere.

CAPUT V.

De rerum Concretarum & Abſtractarum nominibus.

1. QUÆNAM *Concretæ* & *Abſtractæ* notiones dicantur, non opus eſt ut doceamus; nam præterquàm quòd res vulgò nota eſt, de ea egimus Logicæ noſtræ P. I. c. 6. Haud magis neceſſe eſt de nominibus Concretarum notionum agere, cùm huc pertineat quidquid antea de nominibus Subſtantiarum diximus. Sed ſunt, de nominibus Abſtractarum notionum, nonnulla obſervatu digna.

2. Nomina notionum Abſtractarum ferè ſunt ſubſtantiva, formata ex adjectivis. Sic à *divinus* fit *divinitas*, ab *humanus humanitas*, à *pius pietas*, à *ſanctus ſanctitas*, &c. Nomina enim hæc ſunt Abſtractarum notionum, cùm in ſe ſpectantur; notione *ſubjectorum*, quibus inhæreant, nullâ admiſtâ. Uſque adeò uſitata ſunt ejuſmodi vocabula, ut vix ulla frequentius, in omni ſermonis genere, occurrant.

3. Hinc factum ut antiquiſſimi Græcorum Poëtæ, cùm ſæpiſſimè viderent adhiberi nomina Abſtracta, nec aliter quandoque homines loqui, ac ſi credidiſſent eſſe Naturas quaſdam, quæ ſeorſim eſſent, quæ iis nominibus deſignarentur; occaſionem arripuerint earum notionum in perſonas mutandarum. *Heſiodus* in Theogonia, verſ. 120. inter antiquiſſimos Deos, proximè poſt Chaos & Terram memorat *Amorem.*

Ἠδ' Ἔρος ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Et amor qui pulcherrimus eſt inter immortales Deos, &c.

Sic & *Ariſtophanes*, in * Avibus, facit *Amorem* patrem Deorum.

Πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων, πρὶν Ἔρως συνέμιξεν ἅπαντα.

* P. 574. Ed. Gen. Æm. Porti.

Prius

Prius non erat genus immortalium, quàm Amor omnia miscuisset. Indidem prognatæ sunt Θέμις, *Justitia*, Μνημοσύνη, *Memoria*, Ἵμερος, *Cupido*, Θάνατος, *Mors*, Μόρος, *Fatum*, Κὴρ, *Parca*; & alia id genus Numina, quæ in sequentibus memorat *Hesiodus*. Postea ad imitationem ejus Poëtæ & aliorum, non rarò, apud Ethnicos, nomina notionum Abstractarum facta sunt nomina Deorum. Exempla sat multa congessimus, quamvis in aliam rem, superioris Sectionis Cap. VIII.

3. Sic *Plato* & *Platonici*, cùm loquerentur de *Ideis*, quo nomine significabant, ut videtur, Abstractas omnium rerum notiones, * quæ divino intellectui obversabantur, antequàm quidquam crearet, sic interdum loquebantur, quasi ejusmodi notiones naturæ quædam seorsim existentes fuissent. Quo factum ut *Aristoteles* aliíque illas Ideas existimarint esse, ex *Platonis* sententia, substantias quasdam.

4. Mentem *Platonicorum* ita expressit *Cicero*, in † Oratore: *Phidias cùm faceret Jovis formam, aut Minervæ, non contemplabatur aliquem è quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis* (ἰδέα τοῦ κάλλους) *eximia quædam, quam intuens, in eàque defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigebat. Ut igitur in formis & figuris est aliquid perfectum & excellens, cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa cadunt: sic perfectæ eloquentiæ speciem animo videmus, effigiem auribus quærimus. Has rerum formas appellat* IDEAS *ille non intelligendi solùm, sed etiam dicendi gravissimus auctor & magister, Plato; eásque gigni negat & ait semper esse, ac ratione & intelligentiâ contineri.* Debuisset tamen addere *Cicero* eas ideas perpetuò Dei intellectui obversari, & ad earum exemplar omnia fuisse à Deo formata. Similiter *Plutarchus*, in ∵ Quæstionibus Platonicis, ait *Platonem* παραδείγματα καὶ ἰδέας, τὰ νοητὰ τῶν αἰσθητῶν, ὥσπερ εἰκόνων, ἢ ἐμφάσεων ὑποτίθεσθαι· *intelligibilia esse sensilium exemplaria & ideas, quasi imaginum, aut expressionum.*

5. At quia dicebant δημιουργὸν sive *creatorem* mundi ad idearum exemplar omnia formasse, hásque esse essentias omnium rerum, quæ, ut etiamnum sentiunt Philosophorum scholæ, sint æternæ & immutabiles; ideò existimârunt alii Platonicos Substantias esse credidisse, à Deo sejunctas. Quod confutare aggreditur *Aristoteles* Metaphys. Lib. XII. c. 5. ubi vult eos, qui defendunt ideas, κενολογεῖν καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς, *inania loqui, & figuras poëticas proferre.* Rationibus autem variis eas

---

* *Vide Platonem in Phædro p.* 346. *& Timæo p.* 526. *Ed. Gen. Ficini & Philonem* περὶ κοσμοποιΐας.

† *Capp.* 2. *&* 3. ∵ *p.* 1091.

oppug-

oppugnat, & inter alia hæc habet: δόξειεν ἂν ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τὴν οὐσίαν, καὶ οὗ ἡ οὐσία. ὥστε πῶς ἂν αἱ ἰδέαι οὐσίαι τῶν πραγμάτων οὖσαι χωρὶς εἶεν· *videatur etiam fieri non poſſe, ut ſeorſim ſit eſſentia & id cujus eſt eſſentia. Igitur quomodo ideæ, quæ ſunt eſſentiæ rerum, ſeorſim eſſent?* Sic & alii ita intellexerunt *Platonem. Plutarchus*, de placitis Philoſ. Lib. 1. c. 3. de Principiis: Σωκράτης Σωφρονίσκου Ἀθηναῖος, καὶ Πλάτων Ἀρίστωνος Ἀθηναῖος. αἱ γὰρ περὶ παντὸς ἑκατέρου δόξαι. Τρεῖς ἀρχάς, τὸν Θεὸν, τὴν ὕλην, τὴν ἰδέαν (λέγουσι.) Ἔστι δὲ Θεὸς ὁ νοῦς, ὕλη δὲ τὸ ὑποκείμενον πρῶτον γενέσει καὶ φθορᾷ, ἰδέα δὲ οὐσία ἀσώματος ἐν τοῖς νοήμασι καὶ ταῖς φαντασίαις τοῦ Θεοῦ· *Socrates Sophroniſci F. Athenienſis, & Plato Ariſtonis F. Athenienſis (eædem enim utriuſque ſunt de Univerſo ſententiæ) tria principia, Deum, Materiam & Ideas eſſe dicunt. Eſt autem Deus mens, materia verò ſubjectum primum generationis & corruptionis, idea denique eſſentia incorporea in intellectionibus & imaginationibus Dei.* Capite verò X. ubi de Ideis: Ἰδέα, inquit ex *Platonis* ſententia, ἐστὶν οὐσία ἀσώματος, αὐτὴ μὲν ὑφεστῶσα καθ' αὑτὴν, εἰκονίζουσα δὲ τὰς ἀμόρφους ὕλας, καὶ αἰτία γινομένη τῆς τούτων δείξεως. Σωκράτης καὶ Πλάτων χωριστὰς τῆς ὕλης οὐσίας τὰς ἰδέας ὑπολαμβάνει, ἐν τοῖς νοήμασι καὶ ἐν ταῖς φαντασίαις τοῦ Θεοῦ, τουτέστι τοῦ νοῦ, ὑφεστώσας· *Idea eſt eſſentia incorporea, per ſe ipſa ſubſiſtens, informans materias formâ deſtitutas, & cauſa cur hæ appareant. Socrates & Plato ſejunctas à materia eſſentias ſtatuunt, in intellectionibus, & imaginationibus Dei, hoc eſt mentis ſubſiſtentes.*

6. At Platonici recentiores queruntur *Platonis* mentem in alienum ſenſum torqueri, contendúntque * aliud nihil Magiſtrum illum ſuum voluiſſe, niſi Deum apud ſe intellexiſſe quid eſſet facturus, antequàm facere aggrederetur id quod creavit. Certè hæc videtur ejus fuiſſe ſententia, ſed nec ipſe, nec ejus diſcipuli excuſari poſſunt affectatæ obſcuritatis, in rebus magni momenti. Ex hujuſmodi ſermone factum, ut *Ideæ*, aut notiones Abſtractæ tractu temporis in perſonas mutatæ ſint, etiam apud alias Sectas. Dum res vulgò notas dicunt, vocibus & loquutionibus planè inſolitis, aut etiam ſomnia mera oraculorum ritu profundunt, incautos Lectores fallunt, cæteris bilem, aut riſum movent.

7. Hoc tamen fatendum, etiam in aliis rebus, uſu receptum eſſe, ut res ipſæ *abſtractè* ſpectatæ, à rebus conſideratis, quaſi exiſtentibus, veluti diſtinguantur in ſermone. Paſſim dicimus *eſſentias*, aut *naturas rerum*, nec aliter nos loqui patitur uſus; attamen fallaces ſunt ejuſmodi loquutiones, quia *naturæ*, aut *eſſentiæ rerum* ſunt res ipſæ; ita ut *naturam rei* dicere perinde ferè ſit, ac ſi dixeris *rem rei*, ſi ſenſum potiùs quàm ſonum verborum attendas. Scio Metaphyſicos ſolere dicere hæc in-

* *Proclus Comment. I. in Parmenidem.*

ter ſe diſtingui *ratione*; ſed eſt perinde ac ſi dixeris non diſtingui, niſi *relatione* quadam, quam fingit animus diſtinguentis ſed quæ nullam rei mutationem affert.

7. Abſtractæ notionis nomina ſunt *Fortuna*, *Sors*, Μοῖρα, attamen vulgò quaſi perſona quædam habebatur, cùm ei vota nuncuparentur, & ſacra fierent. Unde verò hoc ortum? Nimirum, Poëtæ & Philoſophi ita de ea loquebantur, quaſi de perſona quadam, ut paſſim videre eſt. Exempla peti poterunt ex iis, quæ attulimus ſuperioris Sectionis Cap. IX.

8. Ex hujuſmodi loquutione, quâ res veluti à ſe ipſa, mutatione nominis, diſtinguitur, natus eſt jocularis error viri doctiſſimi, certè multæ lectionis, *Caſp. Barthii*, qui in animadverſionibus in *Rutilii Numatiani* Itinerarium, verſ. 328. *Numen Junonis* diſtinxit ab ipſa *Junone*. Totum locum adſcribere non pigebit, & particulatim ad examen revocare. "Diis "etiam ipſis, inquit, peculiaria *Numina* & *Genios* quoſdam "adſcripſiſſe Idololatras, de eorum libris, etſi vulgò non "cognitum, diſci tamen poteſt. Sic in priſcis Inſcripti-"onibus, *Genius Plutonis* deprehenditur. Sic *Jovialem Geni-*"*um* legimus, apud *Arnobium* Lib. III. quem ille mirificâ ur-"banitate, ut eſt talium doctiſſimus, *villicum Jovis* appellat. Sic de aliis Diis, alii.

9. I. Debuiſſet vir eruditus proferre Inſcriptionem, in qua *Genius Plutonis* ab ipſo diſtingueretur, quaſi Numen quod coli à Plutone oporteret, non quaſi Genius à Plutone miſſus; neque enim hoc illi facilè accredimus, qui in ſequentibus locis uſque adeò hallucinatus eſt. II *Genius Jovialis* non eſt, apud *Arnobium* Numen quod Jovi eſſet Genii loco, ſed nomen Laris domeſtici ideò ſic dicti, quòd à Jove datus familiæ crederetur. *Arnobius*, ſub finem Lib. III. memorat ſententias Theologorum Ethnicorum de Penatibus, atque inter alia hæc habet. *Idem* (Nigidius) *in Libro ſexto exponit & decimo, diſciplinas Etruſcas ſequens, genera eſſe Penatium quatuor, & eſſe Jovis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos, inexplicabile neſcio quid dicens.* Hinc liquet *Genium Jovialem* poſſe dici Genium à Jove progenitum, aut miſſum, qui enim alii ſunt *Genii Jovis*, quàm à Jove aut orti, aut venientes? Ita verò pergit *Arnobius*: *Cæſius & ipſe aſſequens Fortunam arbitratur, & Cererem Genium Jovialem, ac Palem, ſed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, ſed maſculini neſcio quem generis, miniſtrum Jovis ac villicum.* Hic Pales, non *Genius Jovialis*, dicitur Jovis villicus.

"10. Numina autem, ait *Barthius*, Diis quædam ſingula-"ria, & ab reliqua eorum eſſentia velut ſeparata, adſcripta nos

"nunc

" nunc demonstrabimus. Sic non de se, sed de suo *Numine*, " loquitur Juno, in Æneide septima :

> " *—Quod si mea Numina non sunt*
> " *Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod*
> " *usquam est.*

" *Apuleius* Lib. VI. de Venere : *totum per orbem anxiâ disquisitione tuum vestigium furens animi requirit, téque ad extremum supplicium expetit, & totis Numinis sui viribus ultionem flagitat.* Ut sit *Numen* quædam veluti anima Deorum illorum. Eodem libro, idem Scriptor : *ad istum modum supplicanti, statim sese Juno, cum totius Numinis sui augusta dignitate, præsentat.* Hinc eruditè inter Deos, & " Numina eorum, distinctionem facit *Arnobius* Lib. VII. in " Prosopopœïa bovis ad Jovem : *Numquid aliquando tuos ludos minùs sanctè, diligentérque perfeci ? Numquid aliquem præsulem, tuum Numen qui offenderit, aut te traduxi ?* Aut te " aut Numen tuum.

11. At, mi *Barthi*, *Numina Junonis* sunt ipsa Juno ; quemadmodum *natura aëris* est ipse aër, quamvis distingui videatur verbis. Talia infinita sunt, in omnibus Linguis, ubi res, per *abstractionem* spectata, à se ipsa veluti distinguitur. Sic manifestò intelligendi *Virgilius* & *Apuleius*. *Arnobii* pravam editionem sequutus es, sic enim * in melioribus leguntur ejus verba : *numquid aliquem præsulem, tuum numen qui offenderet, ante traduxi ? Sig. Gelenius*, infelix Criticus, hunc locum corruperat, quia non intelligebat ; at tuum erat *Barthi*, ei non credere.

12. Pergis tamen, &, " Dii ipsi, inquis, suis aliquando " Numinibus aras instituerunt. *Solinus* Cap. II. *suo quoque Numini idem Hercules instituit aram, quæ maxima, apud Pontifices, habetur.* Locus est Capite I. nec procul ab initio, sed *suo Numini* idem est ac *sibi*. Sic de Caligula *Suetonius* Cap. XXI. paria faciente ; *Templum etiam Numini suo proprium*, inquit, *& Sacerdotes, & excogitatissimas victimas instituit.* Cætera non sunt digna, quæ pluribus confutentur.

13. Cavendum est igitur nè, quia Abstractæ notiones nominibus substantivis exprimuntur, & quandoque de iis ita loquimur, quasi seorsim essent à rebus, à quibus sunt animo sejunctæ, eas putemus esse aliquid à rebus illis diversum. Nec ea cautio inutilis debet censeri quod nemo

* *P. 272. Heraldinæ Editionis Parisiensis an.* 1605.

peccet

peccet in ejusmodi rebus. Allata enim exempla sæpe in iis peccatum ostendunt, quibus alia etiam multa possemus addere & copiosiùs, prout digna fortè essent, explanare; quæ brevitati studentes aliquot indicabimus paucis, & explicabimus. Nomina notionum Abstractarum sunt *Patria*, *Senatus*, *Synodus*, *Ecclesia* & similia; quando distinguuntur ab ipsis hominibus, quibus conflantur *Patria*, *Senatus*, *Synodus*, *Ecclesia*, ut sæpe fit in omnibus Scriptoribus. Sumus autem usque adeò illis nominibus adsueti, ut videamur nescio quas naturas animo intueri, cùm ea vocabula proferuntur, distincta ab hominibus.

14. *Mori pro patria* pulcrum erat, quia eâ voce intelligebant nescio quid, quod sanctum habere, & revereri decebat. Sed re ipsâ quid erat patria Atheniensi, exempli causâ, aut Romano? Si solùm intelligas, Italia, & Attica; pro quibus cur pulcrum sit mori, nulla ratio est, potiùs quàm pro Africa, aut pro Asia. Non magis enim ad te pertinet gleba, in qua natus sis, quàm alia quævis in qua commodè vitam degere queas; stultúmque adeò est mori pro agello in occasum, aut in septentriones spectante, potiùs quàm vivas in alio, qui magis ad orientem solem, aut ad meridiem verget. Si homines malis, quæ fuerunt Respublicæ Atheniensis & Romana, præter societates latronum, si eas probè introspiciamus? Itaque qui pro iis moriebatur, latro erat, qui pro latronum globo vilem animam profundebat. At notio Abstracta, cui detracta sunt quæcumque offendere possent, nescio quid amabile & reverendum animo offerebat.

15. Si civem Romanum audiamus dicentem * *Senatum esse principem salutis, mentísque publicæ*; † *summum Populi Romani, populorúmque & gentium omnium ac Regum concilium*, ∴ *orbi terrarum præsidens*; quis non ex ejusmodi descriptione magnificè de Senatu Romano judicet? Quis non credat Senatores Semi-deos fuisse æthereis sedibus delapsos, ut fessis humanæ gentis rebus subvenirent, pacémque & otium, unà cum justitia, per omnes terras, confirmarent, ac bonis ubique contra improbos auxilio essent? At si Censores sedeamus, atque ad eam animo conceptam notionem, Senatum legere velimus; vix unum atque alterum Senatorem reperiemus, in quem magnifica illa notio quadret. Homines sunt aut ambitione occœcati, aut libidinosi, aut avari; aut tribus illis vitiis simul laborantes; aut ignavi, aut timidi, aut imprudentes, aut iniqui, aut superbi; uno verbo pœnè totus Senatus nequissimorum hominum cœtus. Verùm à re ipsâ

* *Cicero de Har. Resp. c.* 27. † *Pro Domo. c.* 28. ∴ 2 *Philip. c.* 7.

nomine Abstractæ notionis prolato, avertitur animus, convertitúrque ad imaginem inanem, inter Ideas Platonicas volitantem, quam stultè miratur.

16. Si aurem præbeamus viris, quorum alioquin auctoritatem spernere nequaquam possumus, de *Synodis* veteribus loquentibus, nobis magnificâ oratione describent ἁγίας καὶ οἰκουμενικὰς συνόδους θεοφόρων πατέρων, συναθροισθείσας ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ μεγάλου βασιλέως, καὶ ἰσαποστόλου · *sanctos & œcumenicos cœtus afflatorum divinitus patrum, congregatos in regiam magni Regis, & Apostolis æquiparandi.* Quis, auditis his & similibus verbis, religioso quodam horrore & corpore & animo non contremiscat, ac paratus non sit oracula ejusmodi cœtûs avidis auribus excipere, haud aliter ac si cœlo ipso emitterentur? Verùm hæc est, (quis crederet?) Abstracta notio Synodorum, quæ in inconspicua Idearum Republica coguntur; non imago earum, quæ inter miseros mortales olim congregatæ fuere. Reges ignari (non legent hæc Muhammedani, nec Ethnici, sed ii quorum scire interest, quo fiet ut verum apertè proloquar) Reges, inquam, ignari nec inter bonos principes numerandi, convocarunt Græculos, qui linguæ acuendæ per totam vitam operam dederant, rerum ipsarum ignaros, contendendi studiosos, perpetuis rixis inter se divisos, & bardos aliquot homines ex occidente, rudiores quidem illos, sed non meliores; iique post pudendas contentiones, obscurissima quædam dogmata, verbis sæpe parum aptis, auctoritate suâ firmant; quæ stupidi populi sine examine adorent, quasi divinitus accepta. Non ficta me loqui nôrunt qui Synodorum historias legerunt; nec certè vanus erat * qui dixit:

> Οὐδέ ποτε συνόδοισιν ὁμόθρονος ἔσσομ' ἔγωγε,
> Χηνῶν ἢ γεράνων ἄκριτα μαρναμένων.
> Ἔνθ' ἔρις, ἔνθα μόθος τε καὶ αἴσχεα κρυπτὰ πάροιθεν,
> Εἰς ἕνα δυσμενέων χῶρον ἀγειρόμενα.

> *Numquam ego sedebo in Synodis anserum aut gruum, temerè pugnantium. Illic contentio, illic rixa, & probra antea latentia sævorum hominum in unum locum collecta.*

17. Visne aliam notionem Abstractam? Lege quæ de *Ecclesia repræsentativa*, ut solet vocari, à plurimis olim & nuper

* *Gregorius Nazianz. Carm. X. cujus vide etiam Ep. LV, LXV, LXXI, LXXII & LXXIV.*

scripta

ſcripta ſunt ; illâ nihil ſanctius, nihil doctius, nihil amantius veri excogitari poteſt. Sed cave ne Abſtractæ notioni ſimilem ullam in rerum natura quæras, niſi fruſtra eſſe velis. Si rem in qua reperiri oporteret, quod tantis laudibus ornatur, inſpicias ; delaberis fortè ad opinionem *Gaſp. Scioppii*, inſignis Grammatici, qui Eccleſiam *repræſentativam* definiebat *mandram, ſive gregem, aut multitudinem jumentorum, ſive aſinorum* ; & benignè atque amicè loquutum eſſe judicabis, quòd *ferarum* non dixerit.

18. Sed vereor ne à Criticis inveſtigationibus ad graviora ſenſim deflectere videar. Itaque hic gradum ſiſto, Lectorémque, monitum ne notionibus Abſtractis facilè credat, dimitto. Hæ nobis res, non quales ſunt, ſed quales eſſe deberent deſcribunt ; neque, ſine ſtultitia, ſtatuere poſſumus res ita ſe habere, ut eas animo fingimus, quia ejuſmodi eſſe par eſſet.

CAPUT VI.

De Notionum Singularium, Particularium & Univerſalium nominibus.

1. ANTE omnia, Lectori noſtro notum eſſe ſtatuimus quod docent Dialectici, de Enunciationibus *Singularibus, Particularibus*, & *Univerſalibus* ; alioquin eſſet repetendum quod de iis in Logica diximus. Quamvis autem tria genera ſint Enunciationum, prout *Subjectum* eſt Singulare, Particulare, aut Univerſale, Logici de Enunciationibus ſingularibus eadem tradunt ac de Univerſalibus ; eo quòd perinde ſit, quæcumque ſit amplitudo *ſubjecti*, modò univerſum intelligatur. At Critici neceſſe habent de nominibus trium harum notionum ſeorſim agere, quia non habent eadem de omnibus monenda.

2. *Singularium* notionum nomina ſunt, quæ res ſingulares ſignificant, ut Socrates, Alexander, &c. At in ſignificatione horum nominum, quandoque magna eſt difficultas, cùm ea nomina notiones compoſitas ſignificent. Idem enim nomen nunc complectitur quidquid eſt in re quam ſignificat, nunc partem dumtaxat, nec ſemper eamdem. Exempli cauſâ, ubi ſermo eſt de homine quopiam, triplici illo ſenſu nomen ejus ſumitur. Dicemus Socratem primum Athenienſes docuiſſe verè philoſophari ; qua in loquutione intelligemus integrum Socratem, animo & corpore conſtantem. At dicemus *Socratem*

tem esse mortuum, ad corpus, nimirum, quod attinet ; quem, si de ejus animo cogitemus, negabimus esse mortuum, immortalémque esse contendemus ; quemadmodum ipse de se loquebatur morti proximus. Cùm enim * Crito eum rogâsset, quî vellet sepeliri : οὐ πείθω, ἔφη, Κρίτωνα ὡς ἐγώ εἰμι οὗτος ὁ Σωκράτης ὁ νυνὶ διαλεγόμενος, καὶ διατάττων ἕκαστα τῶν λεγομένων ἀλλ᾽ οἴεταί με ἐκεῖνον εἶναι ὃ ὄψεται ὀλίγον ὕστερον νεκρόν : *non persuadeo, inquit, Critoni me esse hunc Socratem, qui nunc disputo, & singula dicta dispono ; sed opinatur me illud esse, quod paulò post videbit cadaver.* Itaque Crito rogare debuisset, ex sententia Socratis : θάπτομεν δὲ τίνα τρόπον τό σου νεκρὸν ; *quomodo sepeliemus cadaver tuum ?* nam *Socratem* volebat ille animum suum vocari, at vulgus aliter loquebatur.

3. Quam in rem hoc quoque observandum, si velimus ejusmodi loquutiones, cùm apud Veteres occurrunt, intelligere, sciendum esse quæ sit eorum de immortalitate animi sententia. Si enim Platonicus dicat *mortuum esse Socratem*, de corpore ejúsque conjunctione cum animo loquetur ; atque intelligi se volet. Si verò Epicureus eadem loquutione utatur, integrum hominem intelliget. Quod monitum ad omnia pertinet, quæ pluribus partibus constant, & de quibus non consentiunt homines.

4. I. Enunciationes *particulares*, vel nomina notionum particularium, eadem ferè de ratione, sunt obscura. Nam *quidam*, *aliqui*, *plurimi*, *multi*, & similia, quæ indicia haberi solent hujusmodi notionum, hoc unum certè significant, id quod dicitur non posse omnibus tribui, de quibus sermo est ; at de quibus & de quanto numero dicatur, nullo modo docent. Si dicam exempli causâ : *multi Ethnicorum olim intellexerunt Religiones populorum, inter quos nati, educatíque fuerant, falsas esse* ; propterea nemo intelliget quos Ethnicorum designare velim, nec sciet quantum esse putem eorum numerum.

5. II. Vox *multus*, aliæque id genus, quæ non certum numerum significant, cùm per se obscuræ sunt, quia nescimus quibus limitibus contineantur notiones quas significant ; tum etiam quia sunt *relativæ*, & relationem signant plerumq; ignotam. Hoc inde liquet, quòd de una eadémque re possint contrariæ voces adhiberi. Exempli causâ dixi *multos Ethnicorum scivisse Religiones suas patrias esse falsas* ; nunc verò dicam, *paucos Ethnicorum intellexisse Religionum suarum errores*, neque hæc Enunciatio minùs vera habebitur.

---

* *In Phædone, p.* 401. *Ed. Gen. Ficini.*

Nempè, *paucos* eos dico, cùm eos confero cum ingenti multitudine eorum, qui cæco errore abducti Religiones illas verissimas esse crediderunt; *multos* verò si comparentur cum pauculis, quales essent aliquot decades.

6. Passim autem ejusmodi Propositiones particulares occurrunt, quas accuratè intelligere non licet; quia quas & quot particulares notiones complectantur, scire non possimus. Iis etiam ita adsueti sumus, ut libenter in obscura illa notione adquiescamus, nec quidquam ultra quæramus; quamvis quandóque possemus quærendo accuratiùs rem cognoscere. Quod ideò fieri videtur, quòd plerumque numerorum, qui vocibus *pauci* & *multi* designantur, proportionem rescire non liceat. Vide, si vacat, quæ scripsimus ad Gen. XXXVIII. 12. Idem dicetur de vocibus *major* & *minor*, quæ invicem referuntur, & quæ incertissimæ sunt significationis; quia plerúmque nescimus, quantò pars quæpiam dicatur major, aut minor; nec quantus sit numerus partium, quæ inter se conferuntur. In Tit. de Verborum significatione §. 156. hæc leguntur: *majore parte anni possedisse quis intelligitur, etiam si duobus mensibus possederit, si modò adversarius ejus, aut paucioribus diebus, aut nullis possederit.* Nimirum *major pars* non refertur ad reliquas anni partes, sed ad tempus, quo possedit adversarius; quod nemo possit ex iis verbis divinare, nisi rem aliundè nôrit.

7. III. Verùm major etiam nascitur obscuritas ex Enunciationibus, in quibus vox *multi* non modò obscuritate quam diximus laborat, sed & novâ ambiguitate, nam videtur sumi ἀντὶ τȣ̃ *omnes.* Exempli causâ, Ita loquitur Christus Matth. XXVI. 28. *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.* Qui volunt Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, verba ἀντὶ ΠΟΛΛΩΝ urgent, quæ non possunt concoquere exponi hisce, ἀντὶ ΠΑΝΤΩΝ. At alii observant eumdem, qui sanguinem suum effudit *pro omnibus* rectè dici sanguinem effudisse *pro multis*, quia *omnes* complectuntur *multos*; atque in hoc quidem loco, *H. Grotius* intelligit *eos cùm ex Judæis, tum ex gentibus, qui fœderis conditiones amplectuntur.* Crediderim potiùs *multos* dici, ut opponatur multitudo ingens totius humani generis, paucitati Judæorum. Verum hoc colligendum, non ex hoc loco, sed ex aliis.

8. Ac sanè videmus quandoque *omnes* & *multos* promiscuè sumi, sed posterius adhiberi, quando respicitur paucitas, prius in absoluta loquutione: *Igitur*, ait Paulus, Rom. V. 18. *sicut per unius delictum venit peccatum in* OMNES (εἰς ΠΑΝΤΑΣ) *in condemnationem: sic & per unius justitiam, justitia venit*

in

in OMNES (εἰς ΠΑΝΤΑΣ) *homines, in justificationem vitæ: Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt* MULTI (ΠΟΛΛΟΙ) *ita & per unius obedientiam, justi constituentur* MULTI, ΠΟΛΛΟΙ. Manifestum est *multos* & *omnes*, hoc in loco, ἐκ παραλλήλου poni, quasi idem significantia.

9. Hinc intelligere possumus inania esse varia, quæ Interpretes nonnulli, cùm Judæi, tum Christiani, colligunt ex Dan. 12. 2. nisi aliunde comprobentur. MULTI (רבים *rabbim*) *ex dormientibus in pulvere terræ, excitabuntur; hi ad vitam æternam, illi verò ad opprobria & contemptum æternum:* Judæi, qui credebant bonos dumtaxat resurrecturos, voce *multi* sententiam suam defendere conabantur. *Dixerunt*, ait R. D. *Kimchi* ad Esa. XXVI, 19. *Magistri nostri, quorum memoria sit benedicta, mortuorum resurrectionem esse justorum, non impiorum; idque apparet ex hoc versu Isaïæ, ubi dicitur* מתיך *mthecha, mortui tui, scilicet, vivent. Similiter ex Danïëlis prophetia, qui dixit* ורבים *& multi*; nempe, *evigilabunt.* At posito hîc de resurrectione, ex grammatico sensu, agi; vox *multi* opposita quidem est *paucis*, sed non *omnibus.* Eadem de ratione, frustra etiam sunt, * qui hinc probari statuerunt, inter eos qui resurgent in vitam æternam, eósque qui excitabuntur ut pœnas dent, esse mediam quamdam conditionem; ideò tantùm quòd *multi* dicantur, non *omnes*.

10. IV. Igitur diligenter distinguendæ sunt Enunciationes, quæ particulares videntur, ob nomen quod particularem notionem significare solet; ab iis, quæ verè & naturâ suâ sunt particulares. Sæpe enim, sub particularis notionis signo, latet notio universalis, ut ex allatis exemplis satis liquet. Verùm sunt quoque particulares Enunciationes, sine ullo signo, ex quo de earum amplitudine judicare liceat. Exempli causâ, vitia frequentia in quapiam Gente ita ei tribuuntur ut, si verba sola spectemus, scire nequeamus qui & quot eorum incusentur. Dixit *Epimenides* de Cretensibus, quod dignatus est Paulus repetere,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretes semper mendaces, malæ belluæ, ventres pigri.

Si omnes planè Cretenses, sine exceptione, eâ indole fuissent, res posset etiam eo modo exprimi. At in tota Gente, non

* *Vide Rob. Bellarmin. de A. G. & S. P. Lib. VI. c. 1. & 3.*

eſt credibile nè unum quidem eorum vitiorum fuiſſe immunem. Itaque eſt particularis Enunciatio, quâ ſignificabat *Epimenides* vitia illa frequentiſſima fuiſſe inter Cretenſes, aut pleróſque iis fuiſſe inquinatos. Talia multa poſſent proferri, qualia aliud agentes congeſſimus ſuperioris Sectionis Cap VII. §. 6.

11. Ut ad notiones *univerſales* veniamus in Enunciationibus univerſalibus probè conceptis nulla eſt, ad verba quod attinet, obſcuritas; qui enim de omnibus rebus, de quibus loquitur, quidpiam affirmat, ſine exceptione ulla, modò verbis utatur perſpicuis, facillimè intelligitur; cùm exceptiones, ut vidimus, ſoleant obſcuritatem parere. Ejuſmodi ſunt axiomata Geometrarum, quæ nullis planè exceptionibus laborant; ejuſmodi hoc eſt, *omnes homines eſſe mortales*, & ſimilia.

12. Sed præter illas Propoſitiones, aliæ ſunt quæ, licèt univerſalibus prorſus verbis conceptæ ſint; tamen univerſales non poſſunt dici, niſi certo ſenſu, & quæ Interpretibus negotium faceſſere ſolent. I. * *Integrè loquimur*, ait Auguſtinus, , *cùm de aliquo literarum magiſtro, dicimus:* omnes iſte hîc literas docet; *non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit, quicumque ibi literas diſcit.* Igitur ſubintelligendum, *qui hîc literas diſcunt.* Sic Pſalm. CXLV. 14. *Suſtentat Deus* omnes *cadentes & erigit* omnes *incurvos*; nempè, qui ad ejus auxilium, ut par eſt, confugiunt.

13. Ubi ſermo eſt de re clara, facilè videmus, quid Enunciationi deſit, & ſuppleri oporteat; at in re obſcura, aut quæ in controverſiam venit, rei obſcuritas, aut Interpretum affectus, magnas concertationes creat. Exempli gratiâ, poſtquàm in partes itum eſt, inter Theologos, de Divinæ miſericordiæ amplitudine, dum alii volunt Deum omnibus ſuppeditare quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt, paratúmque eſſe omnibus ignoſcere, ſi modò talentis cœleſtibus rectè utantur; alii verò contendunt Deum non niſi paucis velle ignoſcere, quibus ſolis ſuppeditavit ea, ſine quibus ad meliorem frugem nemo poteſt redire; poſtquàm, inquam, ea de re diſceptari cœpit Enunciationum univerſalium ſenſus in controverſiam quoque eſt vocatus.

14. Locus eſt vexatus à Theologis 1 Tim. II. 4. *Deus* OMNES *homines ſalvos fieri vult, & ad cognitionem veritatis venire*; de quo ita Auguſtinus, Enchir. ad Laurentium Cap. 103. *Cùm audimus*, inquit, *& in ſacris literis legimus*, quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri; *non ta-*

* *De Prædeſt. Sanct. c. VIII.*

men

men ideò debemus omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare; *ſed intelligere quod ſcriptum eſt*, qui vult omnes homines ſalvos fieri; *tamquam diceretur*, nullum hominum fieri ſalvum niſi quem ipſe ſalvum fieri velit. *Non quòd nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit*; *ſed quòd nullus fiat, niſi quem velit, & ideò ſit rogandus, ut velit, quia neceſſe eſt fieri ſi voluerit. De orando quippe Deo agebat Apoſtolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id, quod in Evangelio ſcriptum eſt* : qui illuminavit omnem hominem; *non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur* ; *ſed quia niſi ab illo, nullus illuminatur.* Similia & alibi habet.

15. Dubium certè non eſt, quin Enunciationes univerſales quandóque ita intelligi debeant; ſed circumſtantiæ loci oſtendunt, Propoſitionem Pauli planè eſſe univerſalem. Cùm enim Apoſtolus hortetur Chriſtianos, ut pro *omnibus* hominibus precentur, & præſertim pro magiſtratibus, quia gratum hoc eſt Deo, qui *omnes homines vult ſalvos fieri*, neceſſariò hîc vox *omnes* eodem ſenſu ſumi debet ac in ſuperioribus, hoc eſt, prorſus univerſaliter. Abſurda alioquin eſſet hæc ratiocinatio: orate Deum ſervari omnes omnino homines, nam quicumque ſervantur, illi non ſine Deo ſervantur. Præterea certum eſt affirmantem Pauli Propoſitionem poſſe in negantem converti, quæ ſit ejuſmodi: *Deus non vult ullos perire, ſed omnes venire ad cognitionem veritatis* ; nam hæc Enunciatio eſt Petri 2 Ep. III. 9. niſi quòd pro cognitione veritatis, habet *pænitentiam*. Negans autem Propoſitio non poteſt ita exponi, ut ab Auguſtino eſt expoſita affirmans. Itaque & apud Paulum debet eſſe Propoſitio, quæ ſit prorſus univerſalis.

16. II. Sunt præterea Enunciationes univerſales, ſi verba attendas, quæ ad rem ipſam quod attinet, particulares ſunt; quia, nimirum, hyperbolicæ cùm ſint, pro parte totum dicere videntur. Exempla ejuſmodi loquutionum attulimus ad Geneſ. VI. 5. ubi vide à nobis dicta. Sed & nonnulla alia non abs re erit addere. Sic Joan. III. 32. *Teſtimonium ejus*, ait Chriſtus de ſe, *nemo admiſit*, hoc eſt, perpauci. Apoſtolus verò Philip. II. 21. *Omnes*, inquit, *quærunt quæ ſua ſunt, non quæ ſunt Chriſti Jeſu*, hoc eſt, plerique. Quò facit Regula Juris: *Refertur ad univerſos quod publicè fit, per majorem partem.* De div. Regg. Juris §. CLX.

17. Similiter *omnes homines, totúmque orbem* vocant frequentiſſimè Scriptores Ethnici, Gentes aliquot vicinas, aut intra Imperii Romani fines degentes. Sic *Iſocrates*, non procul ab initio Panegyrici: ὁμολογεῖται, inquit, de Athenienſibus verba faciens, τὴν πόλιν ἡμῶν πᾶσιν ἀνθρώποις εἶναι ὀνο-

 μαςότην

μαςύτην· In confesso est urbem nostram esse, apud omnes homines, celeberrimam. Fragmentum de Bello Civili:

Orbem jam totum victor Romanus habebat.

Vide Luc. II. 1. & ad eum locum Intt. Possent & ex Linguis hodiernis exempla adjici, nisi res manifesta esset.

18. III. Aliæ sunt Enunciationes universales, quæ potiùs omnia aut pleraque genera rerum, de quibus sermo est, quàm singulas significant. Sic Matth. IV. 23. Christus dicitur *sanâsse* omnem *morbum* & omnem *languorem in Populo*; hoc est, omnis generis morbos. Ita Act. X. 12. memoratur linteum cœlo demissum, *in quo erant* omnia *quadrupedia & serpentia terræ & volucria cœli*; hoc est, omnis generis animalia. Sic & *Virgilius*:

† *Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt.*

Qualia innumera possent proferri.

19. Hinc *Theod. Beza*, ὑποθέσει δουλεύων, ut solet, in versione suâ, ita transtulit locùm Pauli 1 Tim. II. 1. *Adhortor ut fiant deprecationes pro-----* quibusvis *hominibus, pro Regibus &* quibusvis *in eminentia constitutis*; *nam hoc----- acceptum est Deo, qui vult* quosvis *homines servari.* Debuisset eodem jure vertere 2 Pet. III. 3. *nolens quosvis homines perire, sed quoslibet ad pœnitentiam venire*; quod cùm fieri nequeat, nec illud factum oportuit. In hac ratione Critica hîc adquiescimus, nec ad Theologicas delabemur.

20. IV. Denique videntur esse loquutiones universales, quæ non nisi cum exceptione sunt intelligendæ, quamvis non exprimatur. Sic Matth. XVII. 11. Christus aptat Joanni Baptistæ vaticinium Malachiæ, déque eo dicit, ἀποκαταςήσει πάντα, *omnia restituturum fuisse*; quâ voce non intelligit quæcumque restitutione indigebant in humano genere, aut etiam inter Judæos, sed quæ pertinebant ad munus Joannis; de quibus adeundi Interpretes, atque inter alios *Henr. Hammondus*, cum iis quæ adjecimus ejus Adnotationibus, 1 Joan. II. 20. ita alloquitur Christianos Apostolus: *vos unctionem habetis à Sancto, & nôstis* omnia; quæ, nimirum, Christianos scire oportet, & præsertim quæ de antichristis antea dixerat.

21. Ex hac observatione, intelligendus locus Rom. XI. 36. *Ex ipso, per ipsum & in ipsum sunt* omnia; nempe, omnia dona, quæ huic aut illi pro arbitrio largitur, non quæcumque

† *Georg. Lib. III. vers.* 110.

eveniunt; quis enim ausit dicere vitia, & scelera *ex Deo, per Deum, & in Deum esse?* Profectò nemo, qui non desipiat. Sic & Ephes. I. 11. *Operatur*, inquit Paulus, *omnia, secundùm consilium voluntatis suæ*; & ejusdem Cap. vers. 23. *omnia in omnibus adimplet*; hoc est, omnia quæ facere in negotio salutis Dei est; neque enim aut malum operatur, aut credit loco nostro, aut judicat in nobis.

22. Hæc de Enunciationibus *Singularibus, Particularibus* & *Universalibus* animadvertenda habebamus, magni, nisi fallor, momenti ad intelligenda ejusmodi notionum nomina; aut minimùm ad vitandos errores, qui ex perperam intellectis oriri solent. Ubi non licet fugientem veritatem adsequi, errorem saltem vitare licet, quod tunc temporis loco inventæ veritatis nobis esse debet.

CAPUT VII.

De Notionum Clararum & Obscurarum nominibus.

1. DUO ad hoc Caput pertinentia, cùm jam alibi sint à nobis pertractata, non necesse erit hîc repeti, *Logicæ* nostræ P. I. c. 9. egimus de notionibus *claris* & *obscuris*, eadémque operâ ostendimus quæ sint clararum, quæ obscuriorum notionum nomina. Hujus verò Criticæ nostræ superiore Sectione, Capp. VIII, & IX. multa exempla congessimus vocum obscurarum, aut etiam nullam subjectam notionem habentium. Hinc possumus colligere clara esse nomina omnium simplicium notionum; earúmque ex compositis, quarum omnes partes enumerare possumus. Contrà verò obscura sunt nomina, quibus aut nulla est subjecta potestas, aut cujus singulas partes non possumus ordine recensere. De claris, nihil est quod hîc animadvertamus, ubi nec memorabimus, quæ Dialecticus de notionum obscuritate dicere posset; quia hoc in loco, non de rebus, sed de rerum nominibus agere instituimus. Verùm cùm maximi sit momenti, ut probè intelligantur Veteres, secernere posse voces obscuræ significationis, ab iis quæ claras habent subjectas notiones, rem hîc novis exemplis illustrabimus; ex quibus liquebit maximas, excultissimas atque antiquissimas Gentes vocibus nonnullis frequentissimè esse usas, quarum obscurissima fuit, & fortè etiam aliquando nulla planè significatio.

2. Vix ullæ voces frequentiùs occurrunt in Græcorum & Romanorum monumentis, iis quæ *munditiem*, ac *immunditiem*, eásq;

variorum, ut poſtea videbimus generum ſignificant. Græci paſſim loquuntur περὶ τῶν κοινῶν καὶ βεϐήλων, & περὶ τοῦ μολύνειν ἤτοι μιαίνειν, plurimaſque adhibent voces ex hiſce derivatas, aut compoſitas. Latini ſimiliter habent quæ ſubinde narrent de rebus, aut hominibus *impuris*, vel *immundis*, vel *profanis*, déque *pollutionibus*, aut *profanationibus*, aliiſque ſimilibus. Utrique ſæpiſſimè verba faciunt de *ſordibus*, quibus contaminari cenſentur quæcumque eas tangunt. Si cóntraria ſignificantes voces ſpectes, utramque etiam apud illos paginam faciunt voces ἁγνὸς, & καθαρὸς, earúmque derivata, apud Græcos : ut nomina *purus* & *mundus*, vocéſque affines, apud Latinos. Atqui omnium horum vocabulorum non ſolùm ambiguus, ſed & non rarò obſcuriſſimus eſt, aut nullus ſignificatus.

3. I. *Mundities* aut *immundities*, proprio, & nativo ſignificatu, ad res corporeas ſpectat. Nonnulla ſunt, quæ *immunda* dicuntur, ob ſingularem naturam, quæ iis ineſſe creditur. Exempli cauſâ, pleraque quæ fœtent, eò quòd ſint corrupta, *immunda* vocantur. Fimus dicitur *immundus*, ejúſque contactu *fœdari* dicimur. Si ejuſmodi vocibus ea dumtaxat, quibus læduntur ſenſus hominum, intelligerent qui iis olim uſi ſunt, aut qui eas etiamnum uſurpant (nam & nos ita loquimur) nihil eſſet quod de ejuſmodi loquutionibus diceremus, præter ea quæ anteà de nominibus notionum ſimplicium obſervavimus. Sed hodie, cùm de rebus eo ſenſu *immundis* loquimur (credibile autem eſt Veteres ſimilia cogitaſſe) de ſenſibus noſtris non cogitamus, ſed de neſcio qua *immunditie* ; quam quaſi *abſolutam* qualitatem ſpectamus, & quam credimus ineſſe rebus *immundis*, à quibus propterea abhorremus. Sumat quiſque experimentum hujus rei, &, ſi in ſe ipſe deſcendere nolit, ab alio petat quid ejuſmodi vocibus intelligat, eúmque eò adigat ut eas clarè definiat. Tum demum intelliget pleroſque homines neſcire quid dicant, cùm de *immunditie* loquuntur. Imò verò multi ſunt, qui ferinam fœtentem in deliciis habent, atque avidiſſimè comedunt ; quam alii ſi vel digito tetigiſſent, fœdatos ſe, & ablutione indigere judicarent.

4. Contrà *munda* & *pura* dicuntut, quæ neque ipſa ſenſus offendunt, neque ſunt contaminata, attactu eorum quæ per ſe *immunda* eſſe exiſtimamus. Veſtes, exempli cauſâ, *mundæ* aut *puræ* ſunt, quæ nullâ re, poſtquàm à fullone allatæ ſunt, contaminatæ fuerunt. *Sordere* verò dicuntur, atque *immundæ* eſſe eæ, quibus contrarium quidpiam accidit. Scimus quid hæc ſibi velint, cùm intelligimus quid ſit *immundities*, de qua antea diximus ; alioqui priori ignorato, poſterius etiam ignoremus neceſſe eſt.

5. II.

5. II. A rebus corporeis eæ voces ad animum ſunt tranſlatæ, animúſque *purus* dictus, qui non eſt vitio ullo, aut ſingulari quopiam ſcelere, de quo ſermo ſit, attaminatus; contrà *impurus* quiſquis eſt aut vitiis, aut peccato quodam inquinatus. Hinc Latini *impurum* & *impuratum* hominem nequam & improbum vocant, quemadmodum Græci ἀκάθαρτον. Hæ harum vocum ſignificationes claræ ſunt, ſi modò perſpicuum eſt quid ſit vitium & virtus; quod certè clarum eſſe poteſt, ſed omnibus ſine dubio non erat olim, uti nec eſt hodie.

6. III. Verùm quicquid eſt obſcuritatis, in memoratis ſignificatibus vocum, quibus *mundities*, aut *immundities* ſignatur, id nihil eſt, præ eo quod nunc dicam. Veteres, nimirum, paſſim neque corporis propriè, neque animi ratione habitâ, *impurum*, aut *pollutum* dicebant in ſacris, eum quem ſacra attrectare aut iis adeſſe nefas erat, eo quòd *impuratus* haberetur. Quod ſi ſacra faceret, hoc in ſtatu, ea Numini diſplicere arbitrabantur. Exempli cauſâ, manibus illotis, quamvis cæteroqui nullæ ſordes iis adhærerent, immolare victimam non licebat, imò ne quidem templa ingredi. Immundi ſimiliter erant, qui cadaver attigerant, aut etiam propiùs ei adfuerant, qui puerperam inviſerant, qui ſurgebant è lecto, antequàm abluiſſent, qui ὀνειρωγμὸν paſſi erant, qui cum uxore concubuerant. Immundæ erant mulieres omnes, tempore καταμηνίων, aut λοχίων. Hæc omnia ſigillatim probari neceſſe non eſt, cùm partim ſint notiſſima, & partim à nobis in *Commentario in Pentateuchum* probata, ubi primùm de ejuſcemodi *pollutionibus* ſermo fuit. Sunt prætereà qui hac de re datâ operâ ſcripſerunt, qui, ſi neceſſe ſit, * adiri poterunt.

7. Jam quæro, quid menti eorum obverſaretur, qui dicebant hominem eſſe pollutum, nec ſine purificatione poſſe ad ſacra accedere, qui cadaver humanum attrectaſſet, aut etiam homini morienti adfuiſſet: quòd ſi, pollutione illâ neglectâ, è veſtigio Templum adiiſſet, aut rem divinam feciſſet, nec preces, nec victimam Deo placere potuiſſe; imò verò fuiſſe ingratiſſimas, quæcumque cæteroquin hominis virtus eſſet. An ex eorum ſententia adhærebat aliquid corpori, aut animo ejuſmodi hominis, ex tacto, aut conſpecto cadavere, quod, licèt ignoraret, ea vitiaret? Non puto, nec, ut opinor, credebant qui hominem funeſtatum purè ſacra facere poſſe negabant. Certè apud illos pollui non cenſebantur Sacerdotes, qui non modò contrectabant cadavera victimarum, ſed etiam iis inteſtina, & ſtercora, ad ſanctiſſima altaria, è ventre extrahebant. Quid ergo è conſpecto cadavere humano potuit in

* *Vide Joan. Lomeijerum, de Luſtrationibus Veterum C. XVI. & ſeqq.*

ſpecta-

ſpectatores ſubitò tranſire, quod eos impuraret ? Quid etiam fuit in rebus merè naturalibus, & in quibus nihil eſt quod hominem deteriorem aut meliorem reddat, quo quiſquam Deo, naturæ rerum auctori, minùs acceptus fieret ? Cur Templum à funeſtato, ſi id illico ingrederetur, *βεβηλοῦσθαι, κοινοῦσθαι*, *profanari, ac pollui* credebatur ? Cur redeunti è macello patuere Sacraria, quæ claudebantur homini, in cujus gremio homo, dum ei vulnerato, aut ſubito caſu perculſo opem, ut par eſt, ferre nititur, mortuus fuerat ? Non quæro hîc quæ eſſe potuerit ratio hæc primùm inſtituentibus, cur ejuſmodi doctrinam de *pollutionibus* animis hominum inſerere cuperent ; ánve aliud quidpiam ſignificarent, quàm quod primo intuitu videtur. Hoc unum ſcire velim quid cogitarent populi, qui attactu cadaveris hominis, non vituli, aut agni *pollui* ſe putabant, & dictitabant ? Quam ſubjiciebant ei voci, ſimilibúſque poteſtatem ? Profectò nullam ; nec aliud reſpondere potuiſſent, niſi ſe à Majoribus ita accepiſſe, hominem funeſtatum tactu, aut conſpectu cadaveris humani eſſe *pollutum* ; hoc eſt, ſe à teneris hanc opinionem imbibiſſe, ad ſacra accedere non debere, & dici ſolitos ejuſmodi homines *pollutos* ; ſed rationem rei, ac ſignificationem ejus vocis & ſimilium ſibi eſſe ignotas.

8. Attamen hac poſitâ opinione, quaſi certiſſimâ, & readmiſſâ quaſi perſpicuâ, innumeri ritus erant quibus homines hoc, aut aliis ſimilibus modis *polluti* purgabantur, aut expiabantur, & multi quidem ludicri. Non modò aquâ, eáque purâ abluebantur, ſed cæterorum elementorum ope, aut etiam animalium, plantarum, & foſſilium luſtrabantur ; quorum luſtrationum exempla affatim congeſſerunt * viri eruditi, quorum labore effectum eſt, ne nobis neceſſe ſit ulla huc convehere.

9. Quid verò erat *purgare*, aut *luſtrare*, hoc myſtico ſignificatu ? Quæ intelligebatur mutatio fieri in homine, qui è domo funeſta egreſſus manus abluebat, aut aquâ luſtrali adſpergebatur, aut ſimile quid faciebat ? Corpus mundius non fiebat, quod fœdatum nemo dixerit, eò quòd acceſſiſſet ad cadaver ; nec animus etiam, qui cadavere nequamque pollutus fuiſſe cenſeri poteſt, purgabatur. Quid ergo ſignificabatur voce *purgare*, aut *luſtrare* ? Ritum celebrare, cui cur hoc nomen eſſet impoſitum neſciebant.

10. Horum meminiſſe oportet fidum Interpretem, qui non Judicem agit Veterum, aut indagatorem veri, ſed tantùm fungitur interpretandi munere ; quod totum in eo ſitum eſt, ut doceat quæ cogitarint Veteres, ſeu obſcura ea ſint, ſeu

* *Vide Lomejerum, Cap. XVIII. & ſeqq.*

clara,

clara, non quæ cogitare debuerint, ut quid dicerent intelligerent. Hoc verò neglecto, sæpe videmus viros doctos omnes ingenii nervos intendere, atque omnem lapidem movere ut sub verbis nihil significantibus, aut obscurissimas notiones exprimentibus, inveniant perspicuas & firmas ratiocinationes. Attendant studiosi, & multò plura exempla harum rerum, inter legendum, invenient, quàm vulgò persuasum est.

11. Hæc cum sint manifesta, nihil, quod in ratiocinatione nostra carpi possit, video. At unum hoc objici queat, nostrum esse ostendere qui factum fuerit, ut Judæi veri Dei cultores ita etiam loquuti fuerint, & similes ritus habuerint. Hoc verò paucis verbis potest expediri; nempe, inanes per se ritus à Deo nequaquam primùm esse institutos, sed cùm populus Hebræus esset illis dudum adsuetus, Deum leges suas ejus ingenio attemperâsse; quod cùm alii, tum etiam nos ostendimus in *Commentario* nostro *in Pentateuchum*. Ac sanè hoc liquebit; si reputemus, apud Ægyptios, quorum Regnum Hæbraicâ Republicâ multò antiquius fuit, talia usitata fuisse, diu antequàm nasceretur Moses; ut nos ipse docet, cùm ait jam à tempore Josephi Ægyptios non sustinuisse convivari cum peregrinis, ne, nimirum, pollerentur. Vide Gen. XLIII. 31. & quæ illic notavimus. Græci etiam & Romani, antequàm noti essent illis Judæi, ejusmodi opinionibus credulitatem suam addixerant. Nec certè incommodos & inutiles, cùm ad vitam, tum ad virtutem quod attinet, ritus instituisset umquam Deus, nisi invenisset Judæos iis adeò addictos, ut ex eorum animis nullis novis legibus revelli possent. Possumus ergo, sine ulla vel minima divinæ majestatis imminutione, dicere Deum cum pueris, ut ita dicam, balbutiisse, quando de pollutionibus, ex more recepto, loquutus est. Possumus institutores primos ejusmodi rituum ridere, & ostendere eos inanibus verbis plebi imposuisse.

12. Certè plerique Patres, qui adversus Ethnicos scripserunt, ita eorum ritus oppugnârunt, ut simul ostenderint, si Judæis Deus eos imposuit, id nequaquam factum fuisse, ob eorum rituum præstantiam; sed propter Judæorum perversam indolem, qui meliora repudiaturi erant. Eam in rem, multa habet Scriptor *Constitutionum Apostolicarum*, qui certè laudari potuisset, si suo ipsius nomine proferre ea maluisset quæ Apostolis, vix excusandâ fraude, tribuere conatus est. Pauca tantùm, de *pollutionibus*, excerpemus. Ita ergo, apud eum, Apostoli Lib. VI. c. 27. quod inscribitur *de observationibus Judaicis & Ethnicis*, mulieres & viros alloquuntur: *μελέτα τοὺς αὐτοῦ νόμους, μηδὲν παρατηρουμένη, μὴ κάθαρσιν φυσικὴν, μὴ μίξιν νόμιμον, μὴ τοκετὸν, ἢ ἀποβολὴν, μὴ μῶμον σώματος, ἐπείπερ τὰ*

τοιαῦ-

τοιαῦτα παρατηρήματα ΜΩΡΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ἘΦΕΥΡΕΜΑΤΑ ΜΑΤΑΙΑ, καὶ νοῦν οὐκ ἔχοντα. οὔτε δὲ κῆδος ἀνθρώπου, οὔτε ὀστέα νεκροῦ, οὔτε μνῆμα, οὔτε τοιόνδε βρῶμα, οὔτε ὀνειρωγμὸς μιᾶναι δύναται ἀνθρώπου ψυχήν. ἀλλὰ μόνη ἀσέβεια ἡ εἰς Θεὸν, καὶ παρανομία, καὶ ἡ εἰς τὸν πλησίον ἀδικία· *meditare etiam leges illius, nihil observans, non purgationem naturalem, non copulationem legitimam, non partum aut abortionem, non corporis maculam, siquidem hujusmodi observationes sunt* HOMINUM STULTORUM INVENTA INANIA, *& ratione carentia. Neque verò hominis funus, atque ossa mortui, neque sepulcrum, neque certus quidam cibus, neque nocturnum seminis profluvium polluere animum hominis possunt; verùm sola impietas in Deum & iniquitas, & erga proximum injustitia.* Vide & Cap. XXX.

CAPUT VIII.

De Notionum Adæquatarum & Inadæquatarum nominibus.

1. OMNES, ut rectè summus Orator, *trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulcrum putamus.* Cognitio autem est duplicis generis, alia enim est accurata, omnésque rei cognitæ complectitur partes; alia vero minùs perfecta, & quæ ad nonnullas dumtaxat pertinet. Cùm infinita sint, quæ non nisi posteriori modo cognoscimus, nec etiam aliter cognoscere possumus; attamen perpetuâ quadam siti laboramus perspiciendarum rerum, quas natura ipsa nobis occuluit.

2. Sæpe etiam, quæ est humani ingenii aut cæcitas aut superbia, nobis ea penitus nota esse putamus, quæ partim dumtaxat novimus. Tum verò, cùm de iis rebus loquimur, vocibus utimur, quæ sæpe plus significant, quàm intelligimus; & aliorum etiam scripta legentes eorum dictis tribuimus sententiam multò ampliorem ac pleniorem, quàm umquam eorum animis obversata est. Hinc fit ut ab eorum sententia aut penitus aberremus, aut partim deflectamus; dum vocibus, quæ *adæquatas* notiones significent, usos eos esse perperam credimus. Igitur interest eorum, qui Veterum Scripta intelligere cupiunt, probè distinguere nomina *adæquatarum* notionum à nominibus, quibus *inadæquatæ* tantùm rerum notiones subjectæ sunt.

3. I. Docuimus, *Logicæ* P. I. c. 10. adæquatas esse omnes notiones simplices; ideóque harum nominibus subesse adæquatas notiones. Adæquatæ pariter sunt notiones Modorum *abstractè* spectatorum; cùm simplices sunt, aut etiam compositi, si omnes partes nôrimus; & nomina, quibus significantur, nomina sunt notionum adæquatarum. Fingimus etiam ipsi varias notiones, quibus animus addit, aut detrahit quidquid vult; quòd non sint imagines rerum, quæ extra nos sunt, sed mera nostra figmenta; quibus in notionibus cùm sit nihil, nisi quod volumus, non mirum si sint adæquatæ, ac proinde si idem de earum nominibus, ac de superioribus feratur judicium. Notionum ergo adæquatarum nomina sunt *calor*, *frigus*, *dolor*, *voluptas*, &c. *rotunditas*, *triangularis*, *quadrata figura*, aut ex iis mista, &c. *Centaurus*, *Chimæra*, &c.

4. II. At si deveniamus ad Substantias, quas spectamus ut re ipsâ existentes, tum demum scire non possumus an nobis obversentur notiones earum adæquatæ; imò verò, si rem paulò diligentiùs expendamus, nobis constabit inadæquatas esse, * quod alibi demonstravimus. Igitur quotiescumque occurrent nomina Substantiarum, aut rerum quarum partes sunt Substantiæ, certum hoc haberi debet, ea esse nomina notionum inadæquatarum. *Deus*, *homines*, *corpus*, *spiritus*, *animal*, *planta*, *lapis*, &c. nomina sunt ejusmodi.

5. III. Præterea ipsi Modi, cùm sermo est de Modis re verâ existentibus in Substantiis, aut qui fuisse statuuntur, si præsertim res agatur in qua multæ sint circumstantiæ, ipsi, inquam, illi modi hominibus numquam omnes innotescunt; ideóque, nomina & loquutiones, quibus describuntur eventus, sermones, aut alia quæ narrantur, sunt notionum inadæquatarum appellationes. Exempli causâ, *victoria Cæsaris de Pompeio*, *sermones Socratis in carcere*, vocabula sunt rerum inadæquatè notarum.

6. Hinc varia maximi momenti consectaria deducere licet. Primùm enim hinc sequitur, cùm Scriptorem legimus de Substantia quadam aut de eventu multiplicibus Modis constante, loquentem, nos non posse plenam notionem rei de qua agit ei tribuere. Secundo, si integram notionem ejus rei non habet; non posse ex ejus dictis ea colligi, quæ ut colligi queant, necesse est rem penitùs esse notam. Tertiò, ex notione nequaquam perfecta sæpe nasci maximas difficultates, quæ ex eo Scri-

* *Logica P. I. c.* 10.

ptore

ptore neutiquam ſolvi poſſunt. Denique nihil tutius eſſe, in ejuſmodi rebus, quàm cohibere judicium, cùm de re ipſa, tum de ſententia Scriptoris, quem legimus. Verùm hæc ſunt paulò pluribus illuſtranda.

7. I. Prima omnium Subſtantiarum eſt *Deus*, ad quem id nominis ſingulari quodam ſenſu pertinet. Scimus à *poſteriori*, ut Philoſophi loquuntur, nihil perfectionis ineſſe creaturis, quod illi non inſit; nam à fonte nihil poteſt manare, quod in eo antea non fuerit. At nemo mortalium adæquatam notionem ejus perfectionum umquam ſibi effinxit. Itaque quæcumque ſit Scriptorum, qui de divina natura ſcripſerunt, ſapientia; nihil adæquati de æterna illa Subſtantia ab iis expectandum eſt. Quotieſcumque occurrit vox DEUS, tenendum ſemper eſt nomen eſſe notionis, quæ pro Scriptoris ingenio, aut ſapientia, plura aut pauciora complectitur attributa; ſed quæ Archetypum ipſum neutiquam æquat.

8. Imò verò, cùm ſermo eſt de aliis Subſtantiis, ſeu ſpirituales illæ ſint, ſeu corporeæ, nomina quibus appellantur ſunt vocabula parum integrarum notionum. *Mens humana* quid ſit neſcimus; *Corporis* intima natura, & humani quidem ſingularis diſpoſitio; exceptis iis quæ oculos aut ſolos, aut inſtrumentis adjutos percellunt; nobis ignota eſt. Minùs novimus cæteros ſpiritus, cæteráque corpora. Itaque quoties de illis agunt Veteres, toties fatendum eſt eos uti nominibus inadæquatarum notionum.

9. Quod ſi ſermo ſit de actionibus Dei, aliarúmque intelligentium Naturarum; aut ſi res, de quibus loquuntur, multiplices circumſtantias complectantur, interventúmque variarum cauſarum; tum verò rerum compoſitarum inadæquatas dumtaxat notiones, ſingulis fermè vocabulis, ſignificant. Similis eſt eorum ſermo tenuiſſimis illis picturis, quæ quaſi in receſſu cernuntur, & offerunt quidem nobis varia ſpectanda, ſed propter tenuitatem ac diſtantiam imperfecta, ac evanida rerum majorum veſtigia. Qui loquuntur περὶ τῶν θείων ὑποστάσεων, περὶ τῆς γεννήσεως υἱοῦ, καὶ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως πνεύματος ἁγίου, & de aliis id genus, multùm abeſt ut adæquatas notiones verbis ſuis ſubjiciant. Qui Hiſtorias narrant, quamvis copiosè omnia perſequantur, quatenus licet, innumeras circumſtantias, aut notas, aut arcanas neceſſariò prætermittunt, ex quibus ſæpe eventus pependerunt. Hæc non dico, quaſi vitio vertam Theologis aut Hiſtoricis, quòd pleniores iis non fuerint notiones; multa enim ſunt, quæ plenius noſſe non poterant; at

ii

ii digni ſunt, qui reprehendantur, qui imperfectas notiones cum adæquatis miſcent, volúntque in Veterum Scriptis ea reperire, de quibus numquam cogitarunt.

10. Si eâ quâ par eſt attentione & reverentiâ expendamus quæ Apoſtoli habent de Jeſu-Chriſto, facilè intelligemus eos non putâſſe *merum* eſſe *hominem*, quandoquidem ei mundi * creationem tribuunt; eóſque errare, qui ſimilia ſentiunt; ſed de ratione, quâ æternum Numen cum Jeſu homine conjunctum ſit, tacent; quo credibile fit arcanum illud iis, in terris agentibus, nondum revelatum fuiſſe. Sciverunt certè Chriſtum eſſe Deum & Hominem, atque ita de eo loquuti ſunt; ſed modum rei ignoraſſe videntur, adeò ut poſſimus meritò ſuſpicari inadæquatam eis hujus rei fuiſſe notionem. At Religionis Chriſtianæ, ſequentibus ſæculis, Interpretes temerè ſtatuentes ex verbis Apoſtolorum pleniorem rei notionem colligi poſſe, quàm reverâ poteſt, modum ejus conjunctionis definire aggreſſi ſunt, & nomen ei imponere; unde natæ olim *Eutychianorum*, *Neſtorianorúmque* & aliorum concertationes; quæ nec hodie ſopitæ ſunt, nec potuerunt aut poſſunt ex ſolis Apoſtolorum ſcriptis componi; quia Theologi neſciunt in notionibus inadæquatis acquieſcere, quamvis pleniores ex Scriptura colligere nequeant. At ſi quod obſcuriùs docent Apoſtoli, obſcurè intelligere ſatis habuiſſent, nec ulteriùs progredi voluiſſent; nulla fortè umquam diſſidia hac de re orta fuiſſent, aut facilè ſaltem compoſita.

10. II. Geometræ, qui omnia ſua deducunt ex abſtractis, adæquatiſque notionibus, in quibus nulla eſt obſcuritas, facillimè à Lectoribus attentis intelliguntur. Nihil illis tribuitur, quod non agnoſcant, & cujus omnia neceſſaria conſectaria amplecti pro ſuis parati non ſint. At cùm res, de qua incidit ſermo, *inadæquatè* nota eſt, nec vocabulis ſignatur, quæ totam ejus naturam complectantur; cavendum ne contrarium ſtatuamus, ut fit, atque hinc deducamus inania conſectaria. Hinc natæ tot controverſiæ de Veterum ſententia, ad res divinas, ſpirituúmque & mentis humanæ naturam quod attinet. Plenas, nimirum, notiones earum rerum illis tribuimus, quas plenè nullus mortalium umquam novit. Igitur, ſi ſapimus, nihil ex eorum dictis colligemus, quod pateat ampliùs quàm eorum inadæquatæ notiones. Si velimus eorum eſſe diſcipuli, in ejuſmodi notionibus eſt acquieſcendum, nec ulte-

* *Joh. C. I.* 10, 14. *ubi vide à nobis notata.*

rius

riùs quidquam quærendum. Alioqui si ope consectariorum pleniores, quàm illi, adipisci notiones nitamur; dum statuimos eos adæquatarum notionum nomina protulisse; ab eorum sententia sensim recedemus, nec minus peccabimus; ac si quis ex summa non integra rationem inire institueret.

12. III. Maximæ difficultates in hisce rebus, necessariò nascuntur ex imperfectis notionibus, præsertim si eas perfectas judicemus: quemadmodum innumeræ orirentur, in calculo summarum, quas non nisi ex parte nosceremus. Rationes varias in concordiam numquam redigere possemus, quæ fortè tamen consentirent; ut facilè animadverteremus, si integræ summæ nobis essent notæ. Nomina inadæquatarum notionum, quibus usi sunt Veteres, occasionem suppeditant innumeris quæstionibus, quas ipsi Scriptores non attigerunt, nec licet ex ejuscemodi nominibus solvere. Quot possunt quæri de sententiis Veterum, cum rectè, tum secus de rebus divinis sentientium, quæ ex illorum verbis solvi nequeunt? Quas tenebras nobis offundunt, cùm volunt id quod sentiunt efferre? Nôrunt quàm verum sit quod dico qui legerunt quæ, de *Nicænis* controversiis, scripta sunt à viris doctissimis *Dionys. Petavio*, *Steph. Curcellæo*, *Pet. Dan. Huëtio*, *Rod. Cudwortho* & nuper à *Georg. Bullo*. Ad finem hujus Opusculi properantibus non licet accuratiùs rem exponere. Similia possumus dicere, de plerisque Historiis, ex quarum narratione oboriuntur quandoque tenebræ, nullâ luce ingenii discutiendæ; quia, ab Historicis, licèt vera dicentibus, quidquid oportebat dici non est scriptis mandatum; quòd eos fugerit longè maxima pars rerum, quarum historiam scribere aggressi sunt. Exemplo *Q. Curtii*, sequentis Criticæ nostræ Partis Sectione tertiâ, rem comprobatam dabimus. Intereà cavendum à peccato nimis frequente, quo de eventibus judicamus ex imperfectissimis historiis; quasi omnia essent complexæ, quæ ad rationes & causas eventuum pertinent. Peccatum hoc committitur præsertim ab Historiarum Ecclesiasticarum Interpretibus, qui passim ex mutilis ac mancis narrationibus, consectaria colligunt; quasi nihil esset omissum, aut quasi perspicuum esset id jure factum quod probant, injuria verò quod ipsis displicet. Hinc postea miræ nascuntur repugnantiæ, quas frustra tollere nituntur.

13. IV. Manifestum est ex antecedentibus, in retexenda Veterum de rebus, quas ex parte tantum nôrant, sententia, eos occurrere nodos, qui vix ac ne vix quidem solvi

à

à nobis possint. Quid ergo superest faciendum, nisi ut cohibeamus judicium? aut si judicemus, ut meminerimus nostra judicia niti obscuris nominibus aut descriptionibus inadæquatarum notionum; ideóque conjecturas potiùs esse, quàm res compertas, nec proinde invitis aliis obtrudenda, nec facilè damnandos aliter sentientes, aut acerbius traducendos. Res sunt per se obscuræ, nec nisi partim notæ, eæque verbis nequaquam claris expressæ. Neque verba, rebus collata, clariora fieri possunt; neque ex verbis, interdum parum aptis, lux ulla rebus affertur. Mirum esset, nisi quis in tantis tenebris erraret; at quò majus est errandi periculum, eò nos errantibus oportet esse æquiores.

SECUNDÆ PARTIS CRITICÆ

FINIS.

JOANNIS CLERICI

ARS CRITICA,

IN QUA

Ad Studia Linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ via munitur; Veterúmque emendandorum, & Spuriorum Scriptorum à Genuinis dignoſcendorum ratio traditur.

VOLUMEN SECUNDUM.



LONDINI,

Apud *Robertum Clavell*, *Timoth. Childe*, & *Andr. Bell*, MDCXCVIII.

ARTIS CRITICÆ

PARS III.

De Emendatione locorum corruptorum, de Libris suppositititiis à veris dignoscendis, ac Judicio de stylo & charactere Scriptorum ferendo.

SECTIO I.

De Emendatione locorum corruptorum.

CAPUT I.

De Origine Mendorum.

1. SI Deo Optimo Maximo visum fuisset antiquissimorum mortalium ita afflare animos, ut inter ea quæ invenerunt vitæ utilia ac necessaria, fuisset pulcherrima artium mechanicarum Typographia; non modò innumera Veterum monumenta, quæ ob paucitatem exemplarium interciderunt, manibus nostris nunc tererentur; sed illa etiam, quæ vim vetustatis omnia perdentis effugerunt, ad nos multò emendatiora pervenissent. Cùm enim olim, dum libri manu describerentur, singula exemplaria non aliter possent emendari, quàm si à viro docto & diligente accuratè legerentur, quod longum erat, & difficile; nunc unus atque alter, iteratâ unius exemplaris lectione, millena aliquot exemplaria emendare facilè possunt. Sed quoniam, ut ille ait, * *nullum habemus in præterita jus, præterquàm oblivionis*, iis missis quibus remedium nullum afferre possumus, videndum

* *Plinius Lib. II. c. 7.*

nobis

nobis superest, num sit ars aliqua quâ possimus loca Veterum in mendo cubantia dignoscere, ab iis quæ sana sunt, & veram in ea lectionem revocare. Hoc certè profitentur CRITICI à se fieri posse, atque hac in re potissimum artem suam sitam esse dicunt, nec dubium est, quin sæpissimè id præstiterint quod polliciti erant, & sanitatem innumeris locis ægris restituerint.

2. Quod illi factitârunt id, in hâc Criticæ nostræ Parte ad certas Regulas revocare, & in artis, quoad licebit, formam redigere, consilium nobis est. Ut autem tutiorem viam ineamus, quâ possimus pervenire ad cognitionem veræ lectionis locorum corruptorum; quærendum, ante omnia, quibus potissimùm modis corrumpi potuerint. Cognitâ enim, morborum causâ & origine, faciliùs & certiùs curari poterunt.

3. Menda ergo quatuor causis originem suam debent, LIBRARIIS, CRITICIS, IMPOSTORIBUS & VETUSTATI, quæ omnia paulatim atterit. I. LIBRARIORUM *incuriâ*, aut *imperitiâ*, pleraque sine dubio menda irrepserunt, quæ nos nunc exercent; cùm enim hi plerosque libros describerent, ab iis longè maximam mendorum segetem provenire necesse fuit. *Incuriæ* peccata tot & tanta sunt ut difficillimum sit sibi ab ea cavere. Novit enim quisque, si quid exscribat parum attentus, non modò se affinia vocabula, dum animus peregrinatur, miscere; sed diversa planè scribere, detrahere, addere, & nescio quot peccata admittere, quorum rationem ipse postea reddere non posset, nedum ut alii eam deprehendere queant. *Imperitia* quoque in describendo, si magna sit, ut sine dubio magna sæpissimè fuit in Librariis, monstra etiam mendorum peperit; cujus exemplorum ingentem copiam omnes MSS. Codices, omnes Criticorum libri suppeditant.

4. Sed variis modis imperiti, aut indiligentes Librarii in errorem delabi potuerunt; quos indicâsse, quoad licebit, inutile non erit. Cùm alii dictarent, alii scriberent, ab utrisque varia provenire potuerunt menda. Ut à *dictante* incipiam, ille, licèt statuamus emendato Codice esse usum, si non fuit satis peritus, sæpissimè decipi potuit, dum non bene legit, quæ bene scripta erant. Cùm enim manu exararentur omnia, multique sine dubio non pulchrè pingerent literas, ut hodie fit, loca fuere, in quibus legendis homines rei aut Linguæ non satis periti cespitare potuerunt. Voces affines, aut similes literas facilè miscebant. Si vox quæpiam bis repeteretur, & fortè ad eam usque vocem, ubi primùm occurrebat, dictâssent, sæpe fiebat ut omissis interjectis, ea quæ vocem secundò repetitam sequebantur priori proximè subjicerent:

jicerent; aut etiam integros versus, aliud agentes, omitterent. Præterea dictantis, & festinantis, lucri causâ, vox non semper fuit satis clara, aut pronunciatio satis distincta; ita ut scribentes, licèt attenti, quid dixisset, non satis intelligentes scriberent quod sibi audivisse videbantur, affinésque sono literas, syllabas, voces confunderent. Vocabula varia, apud Græcos præsertim, aut eodem, aut pœnè eodem modo pronunciabantur, quamvis diversissima, ut postea ostendemus; eáque à scribentibus, aut imperitis, aut parum attentis, facilè poterant misceri; cùm præsertim celeriter scribentibus, & sequentia attendentibus, non satis esset temporis ad videndum, utrum vox, quam scripserant, loco conveniret, aut ad interrogandum dictantem.

5. Præterea cum *dictans* videret sæpe, in margine exemplaris, quo utebatur, quiddam scriptum; poterat suspicari, verba esse à Librario festinante omissa, quæ Criticus ad oram postea scripsisset; præsertim si commodè possent inseri, ita ut orationis series iis nequaquam turbaretur. Attamen ejusmodi verba sæpe interpretationes sunt Grammaticorum, aut eorum qui Codicibus illis usi erant; quo factum, ut tam sæpe Critici querantur in contextum orationis admissa *glossemata*.

6. Dubium non est quin Librarii, qui vitam tolerabant quæstu, quem in describendis libris faciebant, pluribus simul dictarent, ut unâ operâ plura haberent ejusdem operis exemplaria; sed fuerunt etiam sine dubio pauperiores, qui vendebant ea quæ ipsi ex libris, nemine dictante, *descripserant*; quâ in re, eadem ferè irrepere potuerunt menda, quæ vitio *dictantis* debentur, exceptis iis quæ ex mala pronunciatione oriebantur. Præterea dum integra commata, aut etiam integras periodos legunt ac postea scribunt, festinandi causâ; quid mirum, si quidpiam omittunt, aut synonymas voces pro aliis scribunt? quod in omnibus veteribus Scriptoribus animadvertent, quicumque varias lectiones è veteribus MSS. Codicibus collectas, paulò attentius expendent. Innumera sunt ejusmodi, in variis lectionibus Veteris Testamenti, ex Versione LXX. Intt. & Novi, ut omnibus liquebit, ex inspectis collectionibus editis. Postremis præsertim sæculis, quicumque imperiti veteris orthographiæ, ex antiquis Codicibus quidpiam describebant facilè falli poterant, dum alias esse voces putarent, quàm reipsâ erant.

7. Hanc in rem observandum non semper, apud omnes Gentes, eamdem fuisse rationem pingendorum characterum, aut accentuum adscribendorum. Apud Latinos antiquissimis temporibus, character erat majusculus, qualis in veteribus

Inscriptionibus etiamnum cernitur; nisi quòd figuræ literarum calamo tam eleganter pingi non solerent, ac scalpro. Deinde invaluit scriptura, quæ *Langobardica* dicitur, rotundior & similior huic nostræ, quâ hodiè utimur. Hac exarati sunt plerique omnes MSS. Codices, qui extant in Bibliothecis, perpauci vetustiore illo Romano. Creditur ita dici ea Scriptura, quòd MSS. plerique ejus ævi, quo *Langobardi* Italia potiebantur, eo characterum genere sint conscripti.

8. Sunt in veteribus, seu majusculis literis, variæ sat similes, præsertim si parum eleganter pingantur; quæ non difficulter à Librariis rerum ipsarum imperitis, nec vocum significationem tenentibus, misceri potuerunt. Cujus rei ratio, in emendationibus, maxima habenda est. Similia animadvertenda, de literis Langobardicis. Sæpe factum ut menda irreperent in Codices Romano veteri charactere scriptos, quæ in Langobardicos transfusa sunt; deinde & nata nova eorum progenies, ex Langobardica scriptura; quibus mendis plurima loca usque adeò depravata sunt, ut in integrum restitui nullâ ingenii ope possint.

9. Græcorum etiam characterum aliqua videtur esse facta mutatio, nam cùm antiquissimi quadrati essent, quales in Inscriptionibus visuntur, postea inter scribendum videntur rotundiores esse facti. Sed præterea accentus & spiritus, qui in antiquissimis Codicibus nulli erant, in recentioribus sunt additi; unde nata etiam nova menda, dum hæc perperam appinguntur.

10 Apud Hebræos, ante tempora captivitatis Babylonicæ, in usu erat id literarum genus, quod à Phœnicibus acceperant, & quod vulgò *Samariticum* vocatur, eo quòd id servârint Samaritæ. Deinde is character in Assyriacum mutatus est, in Captivitate, ut demonstrarunt viri doctissimi, & potissimùm *Lud. Capellus*, in Diss. de Literis Hebræorum. Cum Hebræorum Librarii, aut *Scribæ*, homines essent, quemadmodum Græcorum & Latinorum, menda similia admittebant, ut postea liquidò ostendemus.

11. Verùm aliud animadvertere licet, in Codicibus antiquissimis, cum Græcis, tum Latinis, quod & in Hebraïcis fuisse, ante Masforetharum tempora, nonnulli Judæi fatentur; voces, nimirum, nullis interstitiis sejunctas, nec ullis interpunctionibus separatas esse; aut minimum, quàm plurimas ita conjunctas, quasi essent una vox; quo factum ut non modò falsis interpunctionibus, ab hominibus non satis peritis, corrumperetur postea sensus; sed etiam ut syllabæ conjungerentur, quas divelli oportebat; aut contra divellerentur,

quæ

quæ conjungendæ erant. Hinc intelligere licet, munus *Anagnostæ*, temporibus illis, non fuisse indocti prorsus hominis, cùm ejusmodi Codicibus utebantur; nam ex tempore orationem interpositis moris dividere, cùm divisa in Codice non esset, cujusvis certè non erat.

12. Ad hæc omnia, si accedat incuria *dictantis*, aut *scribentis*, aut utriusque simul; potuit alter dictare quod cogitabat, non quod erat in libro, aut alter scribere id quod animum ejus avocabat; quod nobis contingit, cùm animus distrahitur variis cogitationibus. Indidem provenire potuerunt variæ luxationes ac transpositiones, sequentium ætatum Criticis crucem fixuræ.

13. Præterea & hoc sæpe accidit, ut à festinantibus Librariis per compendium multa scriberentur, omissis aliquot syllabis, quæ Lectori conjiciendæ relinquebantur. Eæ vero vocum contractiones sæpe malè à Librariis aut Criticis intellectæ pepererunt maxima menda; cùm in nominibus appellativis, tum etiam in propriis.

14. Antiquissimis temporibus, cùm literarum studia in Græcia atque in Italia etiamnum florerent, Librariis pæne solis aut Criticis imperitis, vel æquo audacioribus poterant imputari omnia menda; sed cùm barbaries Orientem, sub Imperatoribus Christianis, jam invasisset, & crevisset mirum in modum Monachorum numerus; hi cœperunt veteres libros in Monasteriis exscribere, cúmque plerique homines indocti essent, præsertim ad humaniores literas quod attinet, quippe in legendis Liturgiis potissimùm occupati, menda innumera admittebant. Quod fiebat in libris Græcis, inter Græciæ & Asiæ Monachos, idem factitabant in Occidente alii Monachi, ad libros Latinos quod spectat. Hinc fit ut perpauci sint Græci, aut Latini Codices MSS. qui non scateant mendis; præsertim qui complectuntur res non ita vulgò notas.

15. Igitur cùm antiquissimi Librarii parum emendatè Codices describerent, iique Codices postea in manus Monachorum ignariorum inciderint; quid mirum, si depravatissimi pervenerunt in manus nostras? Cùm autem inventa est Typographia, viri docti, pro illo ævo, qui ex MSS. primùm typographicis literis descripta ediderunt Veterum monumenta, persæpe nimis ingenio suo indulserunt, in emenandis quæ vitiosa ipsis videbantur; unde nata in Editionibus, ex primis illis expressis, nova menda; quæ nonnisi inspectis denuo Codicibus MSS. hoc & præterito sæculo, tolli à viris doctis potuerunt. Sed & horum multi imperitiâ, aut audaciâ nimiâ, quâ conjecturas suas, quasi exploratas lectiones, in Veterum contextum admiserunt, eorum Scripta conspurcârunt; ne

ne jam loquar de Typothetarum mendis, quæ vix possunt omnino vitari.

16. II. Quot & quanta orta sint ex Librariorum aut indiligentia, aut imperitia menda satis, ut opinor, liquet ex superioribus. Hæc cùm CRITICI animadverterent, hoc in se laboris susceperunt, ut exemplaria optimorum quorumque Scriptorum manu suâ emendarent; cùm in gratiam amicorum, tum etiam lucelli causâ, quod exemplaria ab eruditis Grammaticis emendata majori pretio emerentur. Sed cum hi Critici non omnia æquè intelligerent, nec ex æquo omnes judicio valerent, sæpe quæ emendatione indigebant, quasi sana prætervolârunt; ut contra violentas manus attulerunt iis, quæ rectè posita erant. Quæ omnia exemplis postea comprobabimus.

17. III. Sed & homines nequam, quos non Criticos vocaverim, cum Critica nequaquam uterentur, sed FALSARIOS, datâ operâ, varia in Veterum scriptis mutaverunt, aut iis detraxerunt, vel adsuerunt, aut legentes fallerent. Quod in antiquitatibus Ethnicis rarius contigit, in quibus operæ pretium non erat fallere; sed in Ecclesiasticorum Scriptorum antiquissimis monumentis, quæ contendentes Christiani in suas partes trahere conabantur, frequenter accidit; ut in hujus Operis Præfatione jam monuimus, & aliis exemplis manifestis postea ostendemus.

18. IV. Ad hæc omnia accessit VETUSTAS, quâ factum ut antiquissimæ membranæ & chartæ laceræ, vel ita situ affectæ, ut literæ sæpe deletæ essent, ad posteros pervenerint. Hoc modo, sine culpa ulla Librariorum, Criticorum, aut Falsariorum, plurimæ lacunæ in Veterum Scriptis factæ sunt, quæ sæpe nullo ingenio expleri possunt; aut si non incommodè expleantur, desiderium tamen in nobis verorum Scriptoris verborum relinquunt. Exempla rem postea clariorem efficient.

CAPUT

CAPUT II.

In quo Mendorum antiquitas, Veterum testimoniis, exemplisque demonstratur.

1. QUAMVIS quæ à nobis superiore Capite dicta sunt certissima sint, ut cum ex ipsa re constat, tum exemplis postea liquebit; attamen quia multi de sinceritate atque integritate Codicum sacrorum & profanorum judicant, qui non tam ratione moventur, quàm exemplis, & præsertim auctoritate; age, superiora, hoc etiam modo, extra omnem dubitationis aleam collocemus.

2. Ut à veteribus Hebræis initium faciamus, ab iis Libros Sacros non satis diligenter servatos esse, si dixero, nihil dicam quod non facillimum sit creditu, ob frequentes eorum ad Idololatriam defectiones, quibus fiebat ut Prophetarum Scripta negligerent. At ipsa historia sacra rem, sine ulla consectariorum ope, nos docet, cùm narrat Librum Legis qui in Templo adservabatur, & septimo quoque anno publicè legi debebat, diu delituisse; nec, inventus cum fuisset, sine admiratione, à Rege alioqui pio, Josia, fuisse lectum. Vide 2 Paral. XXXIV. 15. Si Rex, quem ex Lege oportebat ejus exemplar habere, quod quotidie lectitaret, nullum habuit, non est credibile vulgò prostitisse ejusmodi libros emendos, aut describendos.

3. Quòd si, stante ac florente regno Judaïco, tam negligentes fuere Judæi Legis suæ, cùm non modò deberent ejus exemplaria plurima habere, quæ diurnâ ac nocturnâ manu versarent, sed etiam facilè possent; non est verisimile eos, non modò accisis suis rebus, sed planè profligatis, cùm in alieno solo, procul à patria, duram & inopem vitam agerent, majorem curam adhibuisse, ut multos ac emendatos haberent Codices; aut curâ suâ efficere potuisse, quod, stante Republicâ, à viris piis fieri non potuerat. Imo verò multi Patres credidere libros sacros, in Captivitate Babylonica, planè intercidisse. Duorum dumtaxat testimonium proferemus. Prior erit *Clemens Alexandrinus*, Stromat. * Lib. I. quem credibile est hoc habuisse à Judæis sui ævi: Κἂν τῇ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ, διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν, κατὰ τοὺς Ἀρταξέρ-

* *P. 342. Ed. Colon. an.* 1688.

ξ

ξυ τῶ Περσῶν βασιλέως χρόνυς, ὀλίπνυς Ἔσδρας ὁ Λδίτης ὁ Ἱερεὺς γενόμενος, πάσας τὰς παλαίας αὖθις ἀνανεόμενος προεφήτευσε γραφάς· *etiam in captivitate Regis Nabuchodonosor, cùm periissent Scripturæ, Esdras Sacerdos, temporibus Artaxerxis Persarum Regis, afflatus omnes veteres iterum renovans prophetavit Scripturas.* Idem antea * dixerat, sed paulò obscuriùs. Scriptor *Synopseos*, quæ extat in secundo *Athanasii* volumine, in Synops. Lib. XII. qui est Esdræ: Ἱστορεῖται δὲ καὶ τοῦτο περὶ τοῦ Ἔσδρα, ὅτι ἀπολομένων τῶν βιβλίων, ἐξ ΑΜΕΛΕΙΑΣ τῶν λαῶν, καὶ διὰ τὴν πολυχρόνιον αἰχμαλωσίαν, αὐτὸς Ἔσδρας φιλόκαλος ὢν, καὶ εὐφυὴς, καὶ ἀναγνώστης, ἐφύλαξε πάντα καθ' ἑαυτὸν, καὶ λοιπὸν προήνεγκε, καὶ πᾶσιν ἐκδέδωκε, καὶ οὕτως διασώζεται τὰ βιβλία· *narratur & hoc de Esdra, cùm periissent Biblia* NEGLIGENTIA *populorum, & propter diuturnam captivitatem, ipsum Esdram, cùm esset rerum honestarum studiosus, bonæ indolis, & lector, servasse omnia apud se, & postea protulisse, ac omnibus edidisse, quo pacto servata sint Biblia.* Similia possent ex † *Chrysostomo* & ∴ *Theodorito* proferri.

4. Quæ non affero, quòd credibile mihi fiat Esdram ex memoria, aut afflatu restituisse omnes libros veteres, sed quia videtur omnino hæc historia orta esse ex aliqua vera narratione. Nimirum, corrupti erant Libri Sacri, negligentiâ populorum & longinquitate temporum; eósque Esdras recensuit, quatenus licuit. Hæc enim est opinio vulgò inter recentiores Judæos recepta. *Elias Levita*, in Præf. tertia sui *Massoreth hammassoreth* fol. 44. Ed. *Seb. Munsteri*, ita eam exponit בגלית ראשונה אבדו רוב ונו *in Captivitate prima, perierunt plurima exemplaria, distracta sunt, paucáque incorrupta manserunt, & præterea qui noverant biblicos libros mortui erant; ut coactus fuerint Esdras & Consilium ejus reformare coronam secundùm vetustatem suam, & emendare libros.* Vide & sequentia.

5. Verùm antiquiores Judæi, post hæc etiam tempora, non satis emendatos fuisse libros suos fassi sunt; fortè propter negligentiam eorum, qui postea vixerunt. Ita *Demetrius*, apud *Aristeam* p. 13. Ed. nuperæ Oxoniensis, de libris Judæorum, qui in Bibliotheca Alexandrina deerant, Ptolemæum alloquitur: Τῦ νόμυ τῶν Ἰυδαίων Βιβλία, σὺν ἑτέροις ὀλίγοις τισὶν, ἀπολείπει τυγχάνει γὰρ Ἑβραϊκοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα. ΑΜΕΛΕΣΤΕΡΟΝ δὲ, καὶ ὐχ ὡς ὑπάρχει ΣΕΣΗΜΑΝΤΑΙ, καθὼς ὑπὸ τῶν εἰδότων προσαναφέρεται, προνοίας γὰρ βασιλικῆς ὐ τέτευχε. δέον δέ ἐστι καὶ ταῦτα ὑπάρχειν παρά σοι διηκριβωμένα· *legis Judaïcæ libri, cum paucis quibusdam aliis, desunt. Dicuntur enim esse Hebraïcis*

---

* l. 329. † Homil. VIII. in Ep. ad Hebr. ∴ Præfat. in Cantic.

literis

literis & linguâ ; sed negligentiùs, nec ut merentur, exarati, sicut ab intelligentibus perhibetur. Regia enim providentia nondum iis contigit. Oportet autem ut & illi sint, apud te, diligenter descripti. Hæc pœnè verbatim repetit *Josephus* Ant. Jud. Lib. XII. c. 2. habétque etiam : *συμβέβηκε δ' αὐτὰ καὶ ἀμελέστερον ἢ ἔχει σεσημάνθαι· contigit eos negligentiùs, quàm oportuit, exarari* ; nam pro ἔχει, quod nihil hic significat, legendum ἐχρῆν *oportebat*, quod respondet τῷ ὑπάρχειν *Aristeæ*, quod quandoque significat *promereri*. Hanc etiam Historiam præstare nolim, sed hoc saltem hinc apparet, ante versionem LXX. Intt. non solitos esse Judæos, magnâ diligentiâ, Codices Sacros describere.

6. Neque hoc figmentum esse, aut Hellenistæ Judæi vanam opinionem, ostendit ipsa LXX. Interpretum Translatio ; ex qua manifestò liquet eos usos non esse exemplari emendatissimo, aut accuratè descripto. Frequenter enim falluntur, dum aliter legunt, quàm oportet, aut affines figurâ literas miscent ; ut cùm in *Critica Sacra*, tum in *Notis Criticis*, multis ostendit *Lud. Capellus*, & nos quoque, in Commentario in Pentateuchum, non rarò demonstravimus. Scio aliter sensisse *Joan. Buxtorfium*, virum Rabbinicâ eruditione instructissimum ; sed in rebus Criticis planè hospes fuit, & ab omnibus pœnè Interpretibus cùm Veteris, tum Novi Testamenti dissentit.

7. Cum autem Judæi, aliquot pòst sæculis, animadverterent circumferri Codices non satis emendatos ; quæsitis antiquissimis, sed exiguo numero, ex iis Massoram conflarunt, atque descriptum iri posthac Codices sacros decreverunt ; quod quando & quomodo factum sit docuit is, quem modò laudavimus, *Lud. Capellus* in *Arcano punctationis*, ejúsque *vindiciis*. Idem etiam ostendit non aliter judicandum de Judæorum Criticis, quos illi *Massorethas* vocant, quàm de aliis ; adeóque illorum judicium posse à quovis viro erudito iterum ad examen revocari.

8. *Samaritæ* etiam, qui Pentateucho veteribus, ut antea diximus, Hebræorum literis exarato utuntur, passi sunt in suum Codicem plurima menda illabi ; ut exemplis postea ostendemus, & passim obiter demonstravimus, in Comment. in Pentateuchum. Habuerunt quoque illi suos Criticos, qui plurimos locos aut emendârunt, aut emendare conati sunt ; sed & nonnullos corruperunt, ut exemplis postea liquebit.

9. Nunc ad Græcos libros veniendum est, eósque cum sacros, tum profanos ; & à posterioribus quidem initium faciemus, quia minùs est, ad eos quod attinet, difficultatis.

Nemo

Nemo eſt cui ſanum ſit ſinciput, qui re ipſâ ſpectatâ, in dubium revocare poſſit, num facilè potuerit fieri ut menda admitterent Græcorum Librarii, ob rationes, quas ſuperiore Capite attulimus. At ſi umquam inſpexerit manu ſcriptos Græcos Codices, etiam optimæ notæ, & antiquiſſimos; aut quoque virorum eruditorum, qui illuſtrandis veteribus Scriptoribus Græcis operam dedere, Scripta nonnulla legerit; non modo potuiſſe fieri, ut multa menda irrepſerint in MSS. Codices, ſed reverâ irrepſiſſe illico fatebitur. Qui hæc in animum revocare neglexerit, nec umquam conſiderârit, & tamen volet de iis quæ diximus judicare, is non rationibus, ſed helleboro indigebit.

10. Afferam tamen duo loca doctiſſimi Geographi *Strabonis*, ex quibus apparebit novas non eſſe de corruptelis Librariorum querelas, & quantam diligentiam ſolerent Græci adhibere, nè iis fallerentur. Igitur ille Lib. XIII. p. 419. ubi agit de *Ariſtotelis* & *Theophraſti* libris, déque mendis quæ vetuſtate & malorum Criticorum operâ, in illos irrepſerant, pergit his verbis de Librariis loqui : *βιβλιοπῶλαί τινες* ΓΡΑΦΕΥΣΙ ΦΑΥΛΟΙΣ *χρώμενοι, καὶ οὐκ ἀντιβάλλοντες, ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων συμβαίνει τῶν εἰς πρᾶσιν γραφομένων βιβλίων, καὶ ἐνθάδε, καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ· Multùm etiam hanc in rem & Roma contulit— & Bibliopolæ quidam* LIBRARIIS MALIS *uſi, neque conferentes* (deſcripta exemplaria cum Archetypis) *quod & aliis accidit libris, qui vendendi cauſâ ſcribuntur, & hîc* (Romæ) *& Alexandriæ.*

11. Cum *Strabo* de Nilo ſcripturus eſſet, & conquiſiviſſet eos qui ante ipſum de eo flumine egerant ; invenit, inter alios, *Eudorum* & *Ariſtonem* Peripateticos ; ſed exemplaribus ſuis ſatis fidere non audebat, ut teſtatur, niſi eos cum aliis contuliſſet ; quæ tamen cum non poſſet reperire, eos Scriptores inter ſe contulit. Ἐγὼ γοῦν, inquit, *ἀπορούμενος ἀντιγράφων εἰς τὴν ἀντιβολὴν, ἐκ θατέρου θάτερον ἀντίβαλον· ego igitur deſtitutus exemplaribus, ad collationem faciendam, alterum cum altero contuli.* Qua in re, Geographus propriis utitur vocibus. Gloſſæ Veteres : *ἀντιβάλλω βιβλία, confero.* Ἀντιβάλλω *recognoſco.*

12. Proprium hoc munus fuit Criticorum, quod neceſſe fuit, inter Græcos, exerceri, ex quo lectitare antiquiorum monumenta, cum aliqua voluptate, cœpere ; nam ejuſmodi lectionis ſtudioſis nihil antiquius eſt, quàm ut habeant emendata exemplaria. Certè nulla eſt voluptas legentium ea quæ non intelliguntur, aut quæ neſcimus an edita ſint eo modo, quo à nobis leguntur, ab eo qui primus ea ſcripſit. Sic cùm *Alexander* ſecum ferre ſtatuiſſet Iliadem, quaſi *τῆς πολεμικῆς*

ἀρε-

ἀρετῆς ἐφόδιον, *virtutis bellicæ viaticum*, ἔλαβεν Ἀριστοτέλους διορθώσαντος, ἣν ἐκ τοῦ νάρθηκος καλοῦσιν, *accepit ab Aristotele, qui emendârat, quam ex narthecio vocant.* Fuit, nimirum, ejusmodi editio, quam ita vocabant, quia exacta dicebatur ad id exemplar, quod *Aristoteles* emendârat, quódque Alexander in narthecio circumferre solebat.

13. Hinc factum ut multi crediderint *Aristotelem* primum Criticam invenisse. *Dio.* Chrysostomus Or. LIII. de *Hom.* Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τοῦ ποιητοῦ διέξεισι, θαυμάζων αὐτὸν, ὡς τὸ πολὺ, καὶ τιμῶν· *Aristoteles, à quo aiunt Criticam & Grammaticam initium cepisse, in multis Dialogis de Poëta agit, eum summopere miratur, & magni facit.* Sed ante hæc tempora, fuerant qui *Homeri* lectione delectarentur, & qui proinde emendata ejus Poëmatum habere exemplaria conarentur. Itaque antiquiores videntur fuisse Critici, licèt eorum nomina ad nos non pervenerint. At ab ætate *Aristotelis*, cœpit hæc scientia florere, * potéstque ab illo veluti διαδοχὴ Criticorum, non secus ac Philosophorum, tradi. Sed nunc id non agimus, ut Criticorum Historiam texamus; satis nobis erit, si ipsam Artem illustrare, aliqua ex parte, possimus.

14. Liquet ex superioribus Eruditorum hanc non fuisse novam querelam, de negligentiâ aut imperitiâ Librariorum, à quibus Ethnicorum Græci Codices descripti sunt. Cùm verò ab iisdem, aut similibus Librariis describerentur Exemplaria Versionis LXX. Interpretum, & Novi Testamenti, non erit mirum, si dicamus ab iis similia in sacris admissa peccata. Neque enim putandum est homines lucri cupidos majorem curam adhibuisse in describendis Libris Sacris, quàm profanis. Imò verò quo plura vendi poterant horum exemplaria, quàm illorum, postquàm nomen Christianum crevit; eo plures, imperitioresque Librarii, aut Monachi ei rei operam dabant, & magis festinabant. Inanes non esse has conjecturas, manifestò ostendunt Codices MSS. Veteris & Novi Testamenti, quorum nullum invenire licet, qui non scateat mendis. Cave autem putes, postremis dumtaxat sæculis, ita se gessisse Librarios; jam enim ab antiquissimis temporibus, similia questi sunt Patres.

15. Eorum aliquot loca sunt hìc à nobis afferenda, in eorum gratiam qui cùm numquam eos legerint, de hoc negotio, ex metaphysicis quibusdam notionibus judicare aggrediuntur. Sic ergo *Origenes*, vir non modò sui sæculi

* *Vide G. J. Vossium in Aristarcho Lib. I. c. 6.*

doctis-

doctiſſimus, ſed & corruptorum Codicum emendator, in Comment. in Matthæum p. 439. Edit. Huëtianæ, laudato loco è Pſ. CXVII. Hebraïcè : δοκεῖ μοι ὑπὸ Ἑλλήνων συνεχῶς γραφόμενα τὰ εὐαγγέλια, μὴ εἰδότων τὴν διάλεκτον, συγκεχύσθαι ἐν τοῖς κατὰ τὸν τόπον ἔχουσιν αὐτὰ ἀπὸ προειρημένου ψαλμοῦ· *Evangelia, à Græcis dialecti* (Hebraïcæ) *ignaris frequenter exſcripta, corrupta eſſe mihi videntur in hoc loco, in iis quæ habebantur ex memorato Pſalmo.* Idem Comment. in Joannem, p. 151. Οὐ καταφρονητέον οὖν τῆς περὶ τὰ ὀνόματα ἀκριβείας τῷ ἀπαραλείπτως βουλομένῳ συνιέναι τὰ ἅγια γράμματα. τὸ μέντοιγε ἡμαρτῆσθαι ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς ἀντιγράφοις τὰ περὶ τῶν ὀνομάτων πολλαχοῦ, καὶ ἀπὸ τούτων ἄν τις πεισθείη ἐν τοῖς εὐαγγελίοις· *contemnenda non eſt accurata circa nomina diligentia, ei qui voluerit probè intelligere ſanctas literas. Peccatum quidem frequenter fuiſſe, in Evangeliis, ad nomina quod attinet, in Græcorum exemplaribus, facilè quis hinc perſuadeatur.*

16. Sed eſt utroque illo loco inſignior alius, in Comment. in Matt. p. 381. ubi ſuſpicatur hæc verba Matth. XIX. 19. *& diliges proximum tuum, ſicut teipſum,* addita fuiſſe Evangeliſtæ, quod an verum ſit nunc quidem non quæram, nec rationes *Origenis* expendere aggrediar. Tum verò ſubjicit : πολλὴ γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορὰ, εἴτε ἀπὸ ῥᾳθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως τῶν γραφομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ἑαυτοῖς δοκοῦντα ἐν τῇ διορθώσει προστιθέντων ἢ ἀφαιρούντων· *magna fuit exemplarium diſcrepantia, ſive propter negligentiam quorumdam librariorum, ſive propter audaciam quorumdam malè corrigentium quæ ſcripta erant ſive etiam propter eos qui in correctione quæ ſibi videntur addunt, aut detrahunt.*

17. Hæc ille, de Novo Teſtamento, de Vetere verò ità: Τὴν μὲν οὖν ἐν τοῖς ἀντιγράφοις τῆς παλαίας διαθήκης διαφωνίαν, Θεοῦ διδόντος, εὕρομεν ἰάσασθαι, κριτηρίῳ χρησάμενοι ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσι. τῶν γὰρ ἀμφιβαλλομένων παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα, διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν, τὴν κρίσιν ποιησάμενοι ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων, τὸ συνᾷδον ἐκείναις ἐφυλάξαμεν, καὶ τὰ ἑξῆς· *diſcrepantiam verò, quæ occurrebat in exemplaribus Veteris Teſtamenti, Deo favente, invenimus quî ſanaremus, reliquis editionibus uſi, unde judicium ferremus ; nam cùm judicaſſemus de iis, quæ dubia ſunt apud LXX. Intt. propter varietatem exemplarium, ex cæteris editionibus, ſervavimus id in quo conſentiebant, &c.*

18. At diligentia *Origenis* non obſtitit quo minùs paulò poſt *Lucianus* & *Heſychius* ſimiles recenſiones inſtituerent, ob mendorum multitudinem & editionum varietatem. Operæ pretium eſt audire quæ de *Luciano* habet *Suidas:*

das: τὰς ἱερὰς βίβλους θεασάμενος πολὺ τὸ νόθον εἰσδεξαμένας, τοῦ τε χρόνου λυμηναμένου πολλὰ τῶν ἐν αὐταῖς, καὶ τῆς συνεχοῦς ἀφ' ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταθέσεως καὶ μέν τοι καί τινων ἀνθρώπων πονηροτάτων, οἳ τοῦ ἑλληνισμοῦ προεστήκεισαν, παρατρέψαι τὸν ἐν αὐταῖς θελησάντων νοῦν, καὶ πολὺ τὸ κίβδηλον ἐνσκευασαμένων, αὐτὸς ἁπάσας ἀναλαβὼν ἐκ τῆς ἑβραΐδος ἐπανεσώσατο γλώσσης, ἣν καὶ αὐτὴν ἐς τὰ μάλιστα ἦν ἠκριβωκὼς, πόνον τῇ ἐπανορθώσει πλεῖστον εἰσενεγκάμενος· *hic cum animadvertiſſet ſacros libros multa adulterina recepiſſe, quòd tempus in illis multa depravâſſet, & propter continuam ab aliis in alia tranſlationem. Quin etiam cùm improbiſſimi quidam homines, qui Helleniſmo favebant, eorum ſenſum pervertere voluiſſent, & multa adulterina in eos introduxiſſent, ille omnes libros aſſumptos ex Hebraïca Lingua reſtituit in integrum, eâ accuratè percognitâ, & multo labore in emendatione collocato.* Vide eumdem in voce νοθεύω; unde liquet hæc petita ex *Symeone Metaphraſte*, in Martyrio Luciani. Fortaſſe, ut ſuſpicantur viri docti, & *Origenes*, & *Lucianus*, & *Heſychius* corruperunt ipſi non rarò LXX Int. dum Codices corruptos emendare nituntur. Verùm hoc ad noſtrum inſtitutum nihil facit, qui hoc unum hîc agimus ut oſtendamus, ab antiquiſſimis temporibus, multa à Librariis in Sacris Libris corrupta fuiſſe; quod ex allatis locis liquet.

19. Poſſemus hiſce adjungere plurima *Hieronymi* loca, ex quibus idem comprobaretur. Sed in re clara temperandum eſt Stylo, poſſùntque Lectores ejus prologos adire in varios Scripturæ libros. Videantur præſertim prologi in libros Paralipomenon, & in quatuor Evangelia. Sed & poſtea nonnulla ex eo loca proferemus. Aliorum quoque Patrum teſtimonia adjicere liceret, ſed profectò & res ipſa & quæ jam dicta ſunt, ac dicentur ſatis haberi debebunt, aut neſcio quid ſit ſatis.

20. De Codicibus Latinis ſimilia dici poſſe, ac de Græcis, nemo negaverit; & ſimiliter corrupta eſſe docent omnes omnium Gentium Critici, qui MSS. Codices tractârunt. Duo dumtaxat loca Veterum, alterum *Livii*, alterum *Ciceronis* proferam; ex quibus liquebit, quàm antiqua ſint menda, & quantæ ea de re fuerint dudum Eruditorum querelæ. *Livius* Lib. XXXVIII. c. 55 indicatâ, ex *Val. Antiate*, ſummâ auri & argenti, quam Antiochus dediſſe dicebatur *L. Scipioni*, & quæ falſa videbatur: *Malim*, inquit, *librarii mendum, quàm mendacium Scriptoris eſſe.* *Cicero* verò Ep. ad Quintum fratrem Lib. III. Ep. 5. *De Latinis verò* (libris, quos ſibi comparari cupiebat Quintus) *quo me vertam neſcio, ita mendoſe & ſcribuntur & veneunt.*

21. Hinc factum ut eruditi Grammatici gloriam, saltem apud posteros, nacti sint, ex collatione veterum librorum, diligentique eorum emendatione; ut *Valerius* ille *Probus* cujus meminit *Suetonius*, in libro de Illustribus Grammaticis, c. 24. *Legerat in Provincia*, inquit, *quosdam veteres libellos, apud Grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum* (Codicum, ut videtur) *memoriâ, necdum omnino abolitâ, sicut Romæ* (ubi libri recens exscripti præferebantur veteribus.) *Hos cùm diligentiùs repetere, atque alios deinceps cognoscere cuperet; quamvis se contemni, magísque opprobrio legentibus, quàm gloriæ & fructui esse animadverterat, nihilominùs in proposito mansit; multáque exemplaria contracta emendare, ac distinguere, & adnotare curavit, soli huic, nec ulli prætere Grammatices parti deditus.* Alii similia fecerunt, quorum nomina collegit *Jo. Ger. Vossius* in Aristarcho, Lib. I. c. 6.

22. Hæc cùm ita sint, nemo, qui non sit in Veterum lectione planè hospes, negare sustinuerit, posse in eorum Scriptis superesse menda, imò permulta re verâ etiamnum iis inesse; ac proinde antiquitatis studiosis utilissimam eam esse Criticæ partem, quæ de emendatione agit. Aliorum, qui nihil legunt præter Systemata Theologica, aut ejusmodi libros, & de hisce rebus ex præconceptis temerè opinionibus judicare audent, suffragia nihil moror. Neque illi hæc legent, neque nos eorum Scripta evolvemus; sed juventuti, quæ ab illis decipi potest, succurrendum judicavimus.

CAPUT III.

De Mendis ex imperitia Dictantis ortis; 1. *quòd literarum ductus non adsequeretur.*

1. QUÆ antea diximus, de variis rationibus, quibus menda nasci potuerunt, ea nunc sunt exemplis illustranda; qua quidem in re, nobis facilius esset modum excedere, quam intra modum manere, si vellemus exempla congerere ex Scriptis Criticorum superioris aut hujus sæculi, apud quos innumera omnium generum exstant. Sed hanc nobis legem imposuimus, ut aut antiquiora dumtaxat, aut à nobis animadversa proferamus, & paucis contenti simus. Antiqua exempla non modò probabunt quod volumus, sed & auctoritate eorum à quibus ea accipiemus iis, qui quàm maximè νεωτερίζοντες, nihil tamen nisi antiquitatem crepant, os occludent. In nostris verò, si peccemus, veniâ digniores erimus, quia conjecturas tantùm proferre nos profitemur. Fortè (nam & hoc monendum) contigisse posset, ut conjecturæ hæ nostræ, ab aliis Criticis essent quandoque occupatæ; ut accidit sæpe viris eruditis, ex quo Critice colitur, ut similia inscii protulerint. Neque enim semper plures editiones consulere potuimus, aut omnes Criticorum commentarios evolvimus, vel omnium olim lectorum recordamur. Itaque si quid hîc occurrat ab alio præceptum, non minùs nostrum est; quàm ejus qui præcepit, quicumque sit. Si quis tamen felicioris fortè conjecturæ gloriolam alii tribuere malit, id æquo animo feremus, & nobis occinemus illud Homericum

Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Cùm verò ab initio hujus Opusculi Linguas Latinam, Græcam & Hebraicam conjunxerimus, ex tribus illis Linguis exempla petemus. Sequemur autem ordinem, quem antea Cap. I. in originibus mendorum adsignandis observavimus; incipiemúsque proinde à mendis, quæ ex vitio *Dictantis* orta sunt.

2. I. Cùm nec omnes Librarii, aut quicumque exemplar, ex quo dictabatur Opus quodpiam, scripserant, satis eleganter literas pingerent, & vetustas ductus earum partim delere potuisset; non mirum est, si qui dictabat quandoque malè legeret, & perperam quidpiam efferret. Tria ejusmodi erroris exempla proferemus, ex Præfatione *C. Plinii Secundi*, in Historiam Naturalem; quamvis possent etiam tribui auri *Scribentis*, fatear enim persæpe non unam posse esse unius mendi originem. At nobis satis est, in re ejusmodi, si

ea menda, non ſine veriſimilitudine, ex priore fonte manare potuiſſe judicentur. Quod & de cæteris exemplis, poſtea proferendis, ſemel dictum eſſe volumus.

3. In * Pariſienſi Editione, aliam enim non inſpexi, ita loquitur *Plinius*, de ſuis collectaneis: *Viginti millia rerum dignarum cura ——— ex lectione voluminum circiter duûm millium, quorum pauca admodum ſtudioſi attingunt, propter ſecretum materiæ, ex exquiſitis auctoribus centum, incluſimus triginta ſex voluminibus*, ABJECTIS *rebus plurimis, quas aut ignoraverant priores, aut poſtea invenerat vita.* An ergo *Plinius* quæcumque priores ignoraverant, aut quæ vita invenerat, poſt illorum ætatem, *abjecit*; ut nihil prorſus diceret, niſi quod ante ipſum literis mandatum eſſet? An timuiſſet ſibi vitio verti, ſi quid ſcriberet, quod in priorum monumentis dudum non legeretur; cùm id laudari ſoleat, in omnibus Scriptoribus, & maximopere omnes facere nitantur? Non opinor, imò verò contrarium liquet ex hoc opere, ubi innumera † ſuo ævo reperta memorat] quæ à nemine fortè umquam ſcripta erant. Itaque lege ADJECTIS, atque intellige eum *adjeciſſe* iis, quæ antea ſcriptæ fuerant, *res plurimas, quas aut ignoraverant priores, aut poſtea invenerat vita.* Fortè dictantem affinis figura B & D in literis Romanis decepit, quæ, ductu interiore literæ B deleto, non multùm abit à figura τȣ̃ D.

4. In ſequentibus verbis mendum etiam eſſe videtur, haud multò minùs manifeſtum: *Nec dubitamus*, inquit, *multa eſſe, quæ nos præterierint. Homines enim ſumus, & occupati officiis; ſubciſivisque temporibus iſta curamus, id eſt, nocturnis, ne quis veſtrûm putet* HIS *ceſſatum horis. Dies vobis impendimus, cum ſomno valetudinem computamus.* Frigidum omnino eſt illud: *nequis veſtrûm putet his ceſſatum horis*; legendumque prorſus videtur SUIS, ita ut *Plinius* hoc velit: nequis veſtrûm putet, ut hæc ſcriberem, me ceſſaſſe ob officio, quod *ſuis horis* à me exſpectare potuit, ſcitote me nocturno tempore hæc ſcripſiſſe. *Plinius* ita tempus ſuum deſcripſerat, ut nec amici queri poſſent *ſuas horas*, quas, nempe, officiis ipſis exhibendis impendere eum oportebat, in ſtudiis ab eo collocari. *Horæ* illæ, quæ hic ſpectantur, erant hora, exempli gratiâ, ſalutandorum magiſtratuum, aut magnatum, & hora quâ cauſſæ dicebantur, de quibus *Martialis* Epig. Lib. IV. Ep. 8. ubi curas totius diei deſcribit.

---

* *Anno* 1685. *in uſum Delphini.*
† *Scripſit hæc dubio primus, quæ habet Lib. XVIII. c.* 20. *de Treverico agro.*

Prima

Prima salutantes, atque altera distinet hora,
Exercet raucos tertia caussidicos.

Vide *Plinium* juniorem in Ep. V. Lib. III. ubi de vita avunculi sui, quæ Epistola mirè hæc ejus verba illustrat.

5. Est in eadem præfatione tertius locus, in quem mendum irrepsit, ut videtur, eodem modo; idque eo faciliùs, quòd Librarii vocem non assequerentur: ubi ita *Plinius*, de historia à se scripta: *Nos quidem omnes, patrem te fratrémque diximus, opere justo; temporum nostrorum historiam orsi, à fine Aufidii Bassi. Ubi sit ea quæres? Jam pridem peracta* SANCITUR. Conjecit nuperus editor Plinii *sarcitur*, quod interpretatur, *revocatur, retractatur, accuratiùs elimatur.* Certè is videtur esse oportere sensus *Plinii*; sed *sarcire* hoc non significat. Malim SARRITUR, voce petitâ è re rustica, & quæ significat sarculo noxias aut inutiles herbas revellere; ita ut velit *Plinius*, se perfecisse quidem historiam, sed eam veluti *sarriendam*, hoc est, inutilibus aut falsis circumstantiis liberandam. De *sarritione* ipse multis egit Lib. XVIII. Capp. 21. & 26. Novam fateor esse metaphoram, sed similes passim, & audaciores etiam in *Plinio* leguntur.

6. Ut exempla nonnulla è Græcis afferamus, mihi videtur locus *Platonis*, initio Phædri, eodem modo corruptus, quòd literæ in media voce dictantis oculos fugerint. Postquàm Socrates explicuit fabulam de Orithyia à Borea rapta, quasi septentrionalis venti impulsu delapsa & mortua esset, subjicit: ἐγὼ δὲ, ὦ Φαῖδρε, ἄλλως μὲν τὰ τοιαῦτα χαρίεντα ἡγοῦμαι· λίαν δὲ δεινοῦ καὶ ἐπιπόνου, καὶ οὐ πάνυ εὐτυχοῦς ἀνδρὸς, κατ' ἄλλο μὲν οὐδὲν, ὅτι δ' αὐτῷ ἀνάγκη μετὰ τοῦτο, τὸ τῶν Ἱπποκενταύρων εἶδος ἐπανορθοῦσθαι, καὶ αὖθις τὸ τῆς Χιμαίρας. καὶ ἐπιρρεῖ δὲ ὄχλος τοιούτων Γοργόνων καὶ Πηγάσων καὶ ἄλλων ἀμηχάνων πλήθη τε καὶ ἀτοπίαι τερατολόγων τινῶν φύσεων. αἷς εἴ τις ἀπιστῶν προσβιβᾷ κατὰ τὸ εἰκὸς ἕκαστον, ἅτε ΑΓΡΟΙΚΩ τινὶ σοφίᾳ χρώμενος, πολλῆς αὐτῷ σχολῆς δεήσει· *ego autem, ô Phædre, ingeniosa quidem illa existimo, sed hominis laboris patientis, nec valde felicis, non alia de causa, quàm quòd ei postea necesse sit formam Centaurorum, ut & Chimæræ, emendare. Confluit & turba ejusmodi Gorgonum & Pegasorum, & aliarum quæ esse nequeunt cùm multitudine, tum absurditate monstrosarum naturarum. Quibus si quis non credens diligentiam adhibeat, ut singula, quemadmodum par est, interpretetur,* RUSTICA *quapiam sapientia usus, otio nimiùm indigebit.* Neminem esse puto, qui intelligat cui usui sit *rustica sapientia*, ad inveniendum fabularum latentem sensum, & absurdas narrationes ad rectam rationem ac verisimilitudinem argutâ in-

 terpre-

terpretatione revocandas. Certè Stoici aliíque Philosophi, qui talia aggressi sunt, non verebantur ne propterea rus redolerent. *Plato* ipse quandoque idem factitat, & antea hæc interpretamenta χαρίεντα vocat, hoc est, ingeniosa & scita. Contrà *ἀγροικὸς illepidum* & *parum scitum* sonat. Sed legendum ΑΓΡΕΥΤΙΚΗ *τινὶ σοφία, venatoria quadam peritia* ; quâ, nimirum, vir sagax evanida veri vestigia sequutus id à fictionibus poëticis secernat. Tralatitio sensu *ἀγρεύειν* Græcè & *venari* Latinè significat diligenter & sagaciter quærere, ut quævis Lexica docebunt. Eodem etiam tralatitio significatu non raro occurrunt θηράω & θηρεύω, quæ propriè sonant *venari*. *Cicero* ait *physicum* esse *venatorem, speculatorémque naturæ*. Ἀγρευτικὸς in vetere Onomastico vertitur *captiosus*, hoc est, capiendi cupidus & peritus ; quo factum ut *Eustathius* Dianam vocet * ἀγρευτικὴν, quemadmodum observavit *Henr. Stephanus*, qui nullum aliud exemplum vocis affert. Vox est, fateor, paulò rarior, sed analogicam esse ἀπὸ τοῦ ἀγρευτοῦ, *à venatore*, nemo negarit ; & ideo quia rara est, deletis mediis literis, à dictante legi non potuit, éstque in aliam absonam mutata. Eâ tamen etiam utitur *Scholiastes Pindari*, ad Pyth. Od. IX. ubi ἀγροτέραν interpretatur τὴν θηρευτικὴν καὶ ἀγρευτικὴν, vocibus prosæ Scriptorum, cùm ἀγροτέρα sit tantùm Poëtarum.

7. Insignem locum *Theophrasti* in Charact. Cap. III. de Adulatione, omissâ in medio literulâ corruptum, emendabimus, ubi describens adulatorem : *Jam verò*, inquit, interprete *Casaubono, si aliquid dicat ille* (cui adulator vult blandiri) *silentium omnibus imperare, καὶ ἐπαινέσαι δὲ ἀκούοντα, & laudare invitum.* Quod frigidum est, & locum hîc non habet, quo factum ut *Casaubonus* suspicatus sit legendum ἀκούοντος *audiente*, vertéritque *in os laudare*. At legendum ἀκέοντα, *tacentem*. Non modò silentium imponit aliis, si loqui velit, & loquutum laudat adulator, sed etiam non loquutum, quasi silentium illud esset prudentiæ indicium. Vox ἀκέων eo sensu frequens est, apud *Homerum*. Ejusmodi adulationis exemplum accipe ex *Ovidio*, Ponticorum Lib. II. El. 5. ubi ita Germanico adulatur :

Dúmque silens adstat, status est vultúsque diserti,
Spemque decens, doctæ vocis, amictus habet.
Mox, ubi pulsa mora est, atque os cœleste loquutum,
Hoc Superos jures more solere loqui.

* *Ed. Rom. pag.* 1247. *l.* 8.

8. Alte-

8. Alterum locum ejusdem Scriptoris emendabimus, in Charactere τοῦ ἀρέσκου, hoc est, hominis qui urbanitate, & cultûs, vitæque elegantiâ omnibus placere nititur. Mendum inde ortum, quòd initium vocis, aut non satis eleganter scriptæ, aut vetustate fugientis oculos, assequutus non sit qui hunc libellum dictabat. Ait ergo *Theophrastus*, Cap. VI. ejusmodi hominem *è longinquiore spatio salutare & virum appellare præstantissimum*; tum subdit καὶ θαυμάσας ἱκανῶς ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ μὴ ἀφιέναι, quod vertit *Casaubonus*: *fortunámque ejus admirari, soleat, & utrâque manu prehendens non dimittat.* Sed de *fortuna & prehensione* nihil *Theophrastus*, nec vocem ἱκανῶς expressit *Casaubonus*. Sensum tamen partim vidit. At legere debuit: καὶ ἀσπάσας ἱκανῶς ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ μὴ ἀφιέναι, *& complexus diu utraque manu, nondum dimittat.* Hanc nostram emendationem iterum *Homerus* confirmabit. Sic ille Odyss. γ. vers. 35. de Nestore & Pyliis, hospites Telemachum & Mentorem excipientibus.

Οἱ δ' ὡς οὖν ξείνους ἴδον, ἀθρόοι ἦλθον ἅπαντες,
Χερσίν τ' ἠσπάζοντο, καὶ ἑδριάασθαι ἄνωγον.

Illi igitur, ut viderunt hospites, confertim omnes venerunt
Manibus verò amplexabantur & jubebant sedere.

Docet *Eustathius* idem esse ac περιπλέκεσθαι, *circumfundere brachiis.*

9. Hisce exemplis, è Latinis Græcísque Scriptoribus, Hebraica nonnulla, prout pollicitus sum, adjiciam. Deut. XXXIII. 23. Moses ita Nephthalin alloquitur: *O Nephthalis, qui satur es favore, plenus benedictione Jehovæ, occasum & meridiem* (ים ודרום *jam vedarom*) *posside.* At Nephthalitæ obtinuerunt agros in septentrionali Chananææ tractu sitos, nec in ejus tractûs occidentali parte, nam eam habuerunt Aseritæ. Viri docti ita interpretantur, Nephthalitas habuisse agros ad occasum & meridiem spectantes, si comparetur eorum situs cum situ urbis, quam Danitæ nonnulli ad Jordanis fontes occupârant. Danitis autem Moses, in proximè præcedentibus verbis, bene adprecatus erat. Si omnis Tribus Danitica iis sedibus consedisset, posset hæc interpretatio ferri; sed perpauci illi Danitæ à Mose illic non respiciuntur, ut ostendimus ad eum locum. Itaque legendum videtur, non, ut est in nostris Codicibus, ים ודרום sed ים מרום jam merom, *mare merom*, hoc est, lacum qui ita vocabatur, & cinctus maxima ex parte fuit Nephthalitarum agris. Vide quæ illic notavimus. Facillimè potuit

וי misceri cum ם, si ductus literarum minùs accurati erant. Fateor, in Assyriaca seu Judaïca Scriptura, majorem esse ductuum similitudinem, quàm in Samaritica sive Phœnicia; sed in hac etiam literæ, minùs bene scriptæ, præsertim in nomine proprio, facilè potuerunt legentem fallere; & posset fieri ut Samaritarum Critici ex Judaïco Codice suum emendâssent.

10. Ad eamdem mendorum classem referri possunt multa nomina propria Hebraïca, quæ in versione LXX. Int. malè scribuntur: cùm non ipsis Interpretibus qui legere poterant Hebraïcè, sed Græcis Librariis solis tribui queant. Sæpe hac de re queritur *Origenes*, sæpe *Hieronymus*. Cùm nempè, nomina propria minùs claris ductibus essent exarata, nec à Græcis Librariis legi possent, ea mirum in modum mutarunt. Non possunt enim mendi suspecti esse Hebraïci Codices, qui semper eodem modo habent ea nomina scripta, & ut debent scribi ex ingenio Linguæ Hebraïcæ. Illustriora duo satis erit protulisse, nam ex minus notis innumera possunt exempla colligi, ut sciunt omnes, qui varias lectiones Versionis LXX-Viralis & *Josephi* inspexerunt. Josua, qui dicitur, in Judaïcis & Samariticis exemplaribus, *filius* נון *nun*, à LXX. Intt. constanter vocatur *filius ναυῆ*. Sed omnino videntur scripsisse NATN, cujus vocis cùm posterius N non satis accuratè pictum esset, mutatum in H à Librariis; quod mendum cùm in aliquot antiquissima exemplaria, Alexandrinæ fortè Bibliothecæ, admissum esset, per reliqua omnia recentiora propagatum est.

11. Nec mihi possim persuadere Prophetam חבקוק *hhabakkouk*, dictum à Linguæ Hebraïcæ peritis ἀμβακοὺμ, quemadmodum vocatur in Codicibus LXX. Intt. Scripserant omnino illi ABBAKKOTK, sed tam barbarum nomen fortè nec sine litura scriptum in Archetypo, aut non satis eleganter, non assequutus Librarius legit AMBAKOTM. Sic nomen proprium ABILIOC, secundi Alexandriæ Episcopi, mutatum in MILIOC, ut observat *Joan. Bap. Cotelerius* in Constitut. Apost. Lib. VII. c. 46. *num.* 21. in Ed. Amstelodamensi. Si invertatur, nempè B, ut sinister ductus fiat superior, & deleantur aliquantùm hemicyclorum mediæ partes, fit M. Eamdem literam facies, si K uno atque altero ductu augeas.

12. Cùm jam ad Typothetam missa essent superiora, inspexi in Bibliopolio Editionem Dalecampianam *in* 8. ut vocant, & vidi rectè in ea scriptum esse, in loco primo *Plinii* antea allato, *adjectis*. Itaque *abjectis* mendum erit aut Editoris, aut Typothetæ Parisiensis, quod tamen in Erratis omissum.

omissum. Nihilominus scripta mutare nolui, quòd exemplum non multò minùs appositum sit, ad ostendendum errare posse Librarium, dum malè legit. Quidni enim contigerit Librario quod viro erudito, *Joanni Harduino*, contigit? Præterea hinc discet Lector non esse semper elegantibus & ornatis editionibus credendum; sed si quid certò scire velimus, ἀντιβολὴν esse instituendam.

CAPUT IV.

De Mendis ex imperitia Dictantis ortis; 2. *quòd affines figura literas, ductúsque similes miscuerit.*

1. DICTANTEM fallere potuit, ut modò videbamus, ductuum & literarum affinitas; neque hoc tantùm factum in nominibus propriis Linguæ Librariis ignotæ, qualia proferebamus, sed & in notiore Lingua, vocibúsque frequentissimis, cujus rei exempla passim suppeditant Critici. Conferant studiosi harum rerum Glossaria Latino-Græcum, & Græco-Latinum *H. Stephani*, postea à *Bon. Vulcanio* & *Car. Labbæo* edita, innumeráque exempla in iis invenient ejusmodi hallucinationum. Nos pauca ex iis quæ observavimus atque ex optimis Scriptoribus, omissis alienis, proferemus. Sed & subinde conjecturas nostras ex Glossariis illis confirmabimus; quia in iis menda manifestiora sunt, cùm ob ordinem *Alphabeticum*, tum etiam ob additam interpretationem Græcam, aut Latinam.

2. Affinis est figura literarum N & M, præsertim si scribentis incuriâ aut pennæ errore superior pars dextri ductûs τῦ N aliquantùm inflectatur ad inferiorem, aut simile quid accidat. Ideò quandoque mistæ sunt. *Glossæ* Veteres: *Capreus*, *rimus* (lege *prinus*, aut *rinus*, hoc est *Caprinus*, repetitâ ex antecedente voce syllabâ *ca*) αἴγειος. Infrà *caprina*, αἴγειον, αἴγεια. In iisdem *Glossis*, aliisque Veteribus libris est *collimare* στοχάζεσθαι, quæ vox suspecta est nonnullis, qui putant ubique scribendum *collineare*, à *linea*, quod in *Glossis* proximè sequitur. At alii volunt dici *collimare*, quòd id fiat *limis* oculis. Alterutra opinio erit vera, hinc sequetur N pro M, aut M pro N plurimis in locis scriptum fuisse. Sic *Livius* Lib. II. c. 58. ubi describit contumaciam exercitûs *Ap. Claudio* ægrè parentis, quòd hic se plebis Romanæ inimicum profiteretur: *Si citiùs agi vellet*

vellet agmen, tardiùs sedulò incedere; si adhortator operis adesset, omnes suâ sponte MOTAM *remittere industriam.* Imò verò NOTAM, ita ut liquidum esset datâ operâ, non naturâ, segnes esse, quòd alioqui *nota esset eorum industria.* Sic *Nepos* in Cimone Cap. III. *Confestim* NOTÆ *ejus virtutis desiderium consequutum est.* *Gaspar Scioppius,* cui debemus ex parte dispositionem hujusce Sectionis *Criticæ* nostræ, animadvertit etiam in *Critica* sua sæpe N & M misceri.

3. Sed & alterum exemplum ex eodem Scriptore addemus. Ita ille loquitur Lib. X. c. 25. *Inde nusquam stativa Romanis fuere; negabat* (Q. Fabius Consul) *utile esse uno loco sedere exercitum; itineribus ac mutatione locorum,* NOBILIOREM, *ac salubriorem esse.* Scribo MOBILIOREM, hoc est, *εὐκινητότερον*, mutatione enim locorum non fit *nobilior* exercitus, sed *mobilior*; quia adsuetus itineribus faciliùs movetur, quàm qui in præsidiis torpescit. *Curtius* Lib. IV. c. 14. §. 16. ita loquentem Darium inducit: *nostrum* mobile *& expeditum agmen est, illius prædâ grave.*

4. Vice versâ, apud *Sallustium,* in Bello Catilinario, occurrit *mobilitas* pro *nobilitate,* ut ante nos animadvertit *G. Scioppius* in *Critica.* *Nonnulli,* ait Sallustius, *equites Romani qui, præsidii causâ, cum telis erant circa ædem Concordiæ, seu periculi magnitudine, seu animi* mobilitate *impulsi, quò studium suum in Rempublicam clarius esset, egredienti ex Senatu Cæsari gladio minitabantur.* Postrema verba ostendunt *nobilitate* veram esse lectionem. Cæteroqui *mobilitas animi* inconstantiam significat, cujus incusari non poterant hi equites, qui antea nec amici Cæsari, nec infensi Reipublicæ fuerant. Igitur hìc intelligenda ea animi affectio, quæ nobiles viros deceret. Sic Medea, apud *Ovidium,* Met. Lib. VII. non procul ab initio, de Jasone:

---Sed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas *animo est, ea gratia formæ,*
Ut timeam fraudem, &c.

Idem Lib. 2. ex Ponto Elegiam II. ita orditur:

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate *genus.*

5. Quòd

5. Quòd si M & N miscentur, multò faciliùs M & IN vel NI. confundi potuerunt, quod reverâ contigisse aliquot exempla ostendent. *Glossæ* veteres habent: *Abstenis*, ναφάλιος, ὁ ἀπέχων οἴνου. Primùm, pro *Abstemius* scriptum *Abstemis*, ut est in Cod. S. Germani, deinde *Abstenis*. *Livius* Lib. I. c. 29. ubi describit quâ ratione Romanorum Rex Tullus Albanos Romam transtulerit, post supplicium de *Mettio Suffetio* sumptum, dum Albanus exercitus inermis ab Romanis armatis cingeretur. *Inter hæc*, inquit, *jam præmissi ALBANI erant equites qui multitudinem traducerent Romam. Legiones deinde ductæ, ad diruendam urbem.* Non ea erat stultitia Tulli, ut Albanos equites mitteret, ad delendam suam ipsorum patriam, & suos invitos Romam ducendos. Intellige ergo equites Romanos, & lege ALBAM. Certè *Dionysius* Halicarnassæus huic nostræ emendationi manifestò favet, hoc enim ipsum ita describit, Ant. Rom. Lib. III. p. 172. EN ᾧ δὲ ταῦτα ἐγίνετο χρόνῳ, Μάρκος Ὀράτιος ὁ προεσταλμένος μετὰ τῶν ἐπιλέκτων ἐπὶ τὴν καθαίρεσιν τῆς Ἄλβας ταχέως διανύσας τὴν ὁδὸν καὶ καταλαβὼν πύλας τε ἀκλείστους καὶ τεῖχος ἀφύλακτον ἀπετῶς γίνεται τῆς πόλεως κύριος· *inter hæc M. Horatius præmissus cum delectis, ad diruendam Albam, celeriter confecto Itinere portas patentes & incustodita mœnia occupat, faciléque urbe potitur.*

6. Planè mihi persuasi *Lactantii* Lib. II. in præfatione, pro IN positum esse M. *Gestio enim*, inquit, *Constantine Imp. convictis MANIBUS, & hominum impiâ vanitate detectâ, singularis Dei asserere majestatem.* Nam legendum omnino videtur INANIBUS, nempè, *Diis*, qui rectius opponuntur *singulari Deo*, quàm *manes*; etsi non diffiteor *Lactantium* ostendisse Deos Ethnicorum esse *manes*, id est, homines mortuos.

7. Aperiam hìc suspicionem de loco celebri *Terentii*, quem similiter corruptum opinor. Is est in Phormione Act. II. S. I. vers. 75. Demipho, auditis filii nuptiis se absente factis, stomachans inducitur hisce verbis:

----non, non sic futurum est, non potest.
Egóne illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nihil suave MERITUM est.

Adi, si libet, Interpretes frustra in hisce postremis verbis insudantes; tum verò cum iis quæ legeris confer hanc nostram conjecturam: *Nihil suave*, NI CITUM *est*; hoc est, ut beneficium suave non est, nisi citò fiat: sic nec ultio grata est, nisi cita sit. Hæc egregiè concordant cum superioribus,

rioribus, in quibus Demipho negat se vel unum diem passurum filio nuptam esse Phanium; habéntque aliquid παροιμιῶδες, quod Græcè non malè dixeris: ἡδὺ μηδὲν, εἰ μὴ παιδί.

8. Græci Librarii similia frequenter peccârunt, ut viri docti ostenderunt. Unum atque alterum exemplum proferam, & prius quidem ex *Arriano* Lib. VI. p. 132. Edit. *H. Steph.* Sic loquitur de temeritate Alexandri: ὑπὸ μένεος τε τοῦ ἐν ταῖς μάχαις, καὶ τοῦ ἔρωτος τῆς δόξης, καθαπερεὶ ἌΛΛΗΣ τινὸς, ἐξηπτώμενος, οὐ καρτερὸς ἦν ἀπέχεσθαι τῶν κινδύνων· *fortitudini in præliis, & amori gloriæ, tamquam alii cuidam, temperare nescius non poterat abstinere à periculis.* Manifestum quidem mendum est, nam ἄλλη nihil hoc in loco sonat; sed quid scripserit Arrianus non ita liquet. Attamen scribendum crediderim ΟΛΚΗΣ, hoc est, *attractioni*, quæ * de vi quadam, quâ veluti pondere trahimur ab iis quæ sunt indoli nostræ consentanea. Primùm Κ resecto dextro cornu visum est esse Λ, deinde cùm ὄλλης nihil significaret, mutatum in ἄλλης, quæ Græca quidem vox est, sed hoc in loco sensu caret.

9. Alterum erit ex Constitutionibus Apostolicis Lib. II. c. 20. ubi de officio Episcopi, inter alia habetur, τὸ κατεαγμένον ἐν ἁμαρτίαις εἰς χωλείαν ὁδοῦ ΕΠΙΔΕΝΝΩΝ, διὰ παρακλητικῆς νουθεσίας, vertit *Joan. Bap. Cotel. peccatis fractum, ut in via claudicet, vinciens per exhortationem consolatoriam.* Attamen, in indice, retinuit eam vocem, quæ Græca non est, & quæ sine dubio est pro ΕΠΙΔΕΣΜΩΝ, *ligans.* Sic in loco Ezechielis XXXIV. qui affertur ejusdem libri Cap. XVIII. συντετριμμένον οὐ κατεδήσατε, *fractam ovem non ligastis.* Sic & Cap. XLI. eadem de re: μὴ μόνον τέμνων ἢ καίων, ἢ ξηρία προσφέρων, ἀλλὰ καὶ ἐπιδεσμῶν, καὶ μοτῶν, καὶ ἐνιεὶς γλυκέα φάρμακα ἐπιλουτικά, καὶ καταβρέχων λόγοις παρακλητικοῖς· *non solum secans, aut urens, aut sicca & mordacia remedia adhibens; verùm etiam alligans, & linimentum indens & immittens pharmaca lenia, & detergentia, ac irrigans verbis consolationis.*

10. Apud Hebræos, valde affines sunt literæ ב & כ *beth* & *chaph*, ג & נ, *gimel* & *nun*, ז & ו, *zajin* & *vau*, ד & ר, *daleth* & *resch*, nec multum inter se differunt צ & ע, *tsade* & *hajin.* Itaque mirum esset numquam inter se à Librariis mistas. Certè sunt exempla cùm in Judaïco, tum in Samaritico Pentateucho, ex quibus liquet Librarios sæpe eos confudisse. Sic Gen. X. 4. qui dicuntur in Judaïcis

* *Vide Henr. Stephanum, ad hanc vocem.*

exemplaribus דודנים *dodanim*, in Samariticis, ut & 1. Paral. I. 7. dicuntur רודנים *rodanim*, quam posteriorem lectionem veram judicavit *Sam. Bochartus*. At nos priorem, non sine gravi ratione, prætulimus. Sic Gen. XLIX. 10. pro רגליו raglau, *pedibus ejus*, Samarita habent דגליו daglau *vexillis ejus*, quod melius visum viro doctissimo *Jobo Ludolfo*, ut testatur in singulari Diatribe, quam de hoc loco edidit. Neque nos ab hac sententia abhorremus, quamvis cæteroqui Judaïcum Codicem Samaritico præferamus. Possent & alia plura exempla proferri, sed nos indicem variarum lectionum non scribimus, & allata quod diximus satis confirmant.

10. Potuissemus etiam in aliis Linguis similes alias inter se literas conferre, ut fecit *G. Scioppius*, in sua *Critica*; sed necesse esse non judicavimus, cum paucis exemplis res æquè demonstretur ac pluribus, præterquàm quod & alia in sequentibus afferentur.

CAPUT V.

De Mendis ex Dictantis negligentia ortis, 3. quod omiserit quæ erant inter eamdem vocem repetitam, aut in alio verborum situ.

1. DUM varia Opuscula, quæ cùm Gallicè, tum Latinè ab hisce duodecim annis edidi, ipse corrigerem in speciminibus, quæ madida à prelo ad me afferebantur, sæpissimè animadverti Typothetam omisisse quæ erant inter eamdem vocem interposita, si repeteretur in altera linea; aut etiam, sine ulla ejusmodi occasione, voces aliquot præteriisse. Non semel hoc in animum revocavit quæ legeram, apud viros eruditos, de omissionibus in Veterum monumentis, quas eodem modo contigisse credibile est. Qui dictabat, nimirum, quandoque aliud agens, amotis oculis à libro ex quo dictabat, cùm oculos denuò ad exemplar suum converteret, & incideret in vocem ad quam dictâsse se sciebat, ab illa iterum incipiebat dictare, non animadvertens eam repeti, adeoque omittebat quidquid intercesserat. Poterant & innumera alia intervenire, quæ, dum interpellarent dictantis animum, faciebant ut quidpiam omitteret.

2. *Liv.*

2. *Liv.* Lib. X. c. 14. ubi deſcribit acerrimum prælium à Romanis cum Samnitibus commiſſum; ait Q. Fabium Maximum Conſulem, cum vidiſſet ne vim quidem Equitum quidquam profeciſſe, ratione graſſandum eſſe ratum; itaque juſſiſſe Scipionem legatum haſtatos primæ legionis ſubtrahere ex acie, & ad montes proximos, quàm poſſet occultiſſimè, circumducere. In medio verò pugnæ ardore, *improviſa*, inquit, *ex montibus ſigna clamorque ſublatus non vero tantum metu terruere Samnitium animos.* Lego *non vero tantùm* MOTOS *metu terruere Samnitium animos.* Hoc vult *Livius*, Samnites & adverſùs legiones, & adverſùs incitatas turmas immotos ſtetiſſe, quamvis vera eſſet metuendi cauſa; nec tantum timuiſſe, quantùm falſo illo metu pauculorum haſtatorum. *Motos* videtur omiſſum, quia dictabat, animo non ſatis attento, aut errantibus oculis, hanc vocem miſcuit cum ſequente *metu.* At ſenſus eam aut ſimilem requirit, nam frigidum eſt dicere ſigna Romana in montibus proſpecta terruiſſe Samnites, *non tantùm vero*, ſed etiam falſo, *metu.* Quis credat *Livium*, Scriptorem nequaquam languentem aut frigidum, præſertim in pugnarum deſcriptionibus, ita loquutum? Profectò hoc noluit, ſed Samnitium animos non uſque adeò motos fuiſſe ſignis infeſtis legionum, aut equeſtri procellâ, quâ eorum ordines turbare conatus erat Fabius, quibus non ſine ratione terreri potuiſſent; quàm falſo illo metu, quem pauci haſtati iis injecerunt. Hoc ſequentia oſtendunt: *nam & Fabius Decium collegam appropinquare exclamavit, & pro ſe quiſque miles adeſſe alterum Conſulem, adeſſe legiones gaudio alacres fremunt; errórque utilis Romanis oblatus fugæ, formidiniſque Samnites implevit,* MAXIME TERRITOS *nè ab altero exercitu integro, intactóque feſſi opprimerentur.*

3. Omiſſionis inſigne exemplum proferemus ex *Theophraſti* Characteribus, ex ſimilitudine duarum vocum ortæ, quam mirum eſt *Iſ. Caſaubonum* ſupplere non potuiſſe, cum ſit res facilis & clara. Locus eſt Cap. XV. in ἀναισθησίας Charactere. Ὕοντος τοῦ Διὸς εἰπεῖν, ἡδύ γε τῶν ἄστρων νομίζει, ὅτι δὴ καὶ οἱ ἄλλοι λέγουσι ** πίσσης· ad verbum: *pluente Jove, dicere (solet) ſuave aſtrorum putat, quia & alii dicunt ** pice.* Deſcribit *Theophraſtus* hominem, qui adeò vecors eſt, ut neſciat pœnè quid dicat, & contraria iis quæ videt blateret, quaſi deliraret, ſicut antecedentia legenti liquebit: Igitur ſuppleverim: ἡδύ γε τῶν ἄστρων ΦΩΣ ΚΑΙ ΝΥΚΤΑ ΑΙΘΡΙΑΝ νομίζειΝ, ἣν ἵνα οἱ ἄλλοι λέγουσι ΜΕΛΑΝΤΕΡΑΝ πίσσης· *jucunda eſt aſtrorum lux; & ſerenam noctem putare, quam alii*

alii dicunt pice atriorem. Quatuor priora verba omissa videntur à dictante, qui vagantibus oculis miscuit vocem ΑΙΘΡΙΑΝ cum ΑΣΤΡΩΝ, & cum κάλον dictâsset ad vocem ἄςρων, prætervolavit interjectas dictiones. Illis corruptis, cætera minùs fortè eleganti manu scripta facilè posteriores exscriptores fefellerunt, cum sensus eos non juvaret.

4. Ut supplementi nostri singulas partes confirmemus, postquàm vidimus mentionem fieri *pluentis Jovis*, facile est intelligere ei opponi serenum cœlum, & quidem, si de nocte sermo sit, ut est hîc sine dubio, nisi astra interdiu fulgere putemus, ἡδύ γε ἄςρων, *jucundum astrorum* . . . . . Quid tandem? Φῶς, *lumen.* At qualem noctem esse oportet, ut lux astrorum fulgeat? Nimirum, αἰθρίαν, *serenam*, nam αἴθριος Ζεὺς opponitur τῷ ὕοντι. *Theocritus* Idyll. IV.

Χὼ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Jupiter interdum serenus est, interdum verò pluit.

Pro νομίζει scribere necessariò oportet νομίζειν, ut εἰπεῖν, nam solet hæc omnia *Theophrastus* infinitivo exprimere, subintellectis vocibus δεινὸς, aut οἷος. Ἥνιινα legimus, pro vocibus nihili ὅτι δὴ καὶ, ita postulante orationis serie.

Denique μελαντέραν supplevimus, ob vocem πίσσης, cùm ex ipsa rei natura, tum quia Græci ita loqui solebant. Sic *Homerus* de pastore tempestatem prospectante, Iliad. δ vers. 275.

Ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνὴρ
Ἐρχόμενον κατὰ πόντον, ὑπὸ ζεφύροιο ἰωῆς,
Τῷ δέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον, ἠΰτε πίσσα,
Φαίνεται.

Quemadmodum è specula videt nubem pastor, venientem per mare à Zephyri flatu, eique stanti procul nigra ceu pix apparet.

Sic loquuntur & Latini, ut *Ovidius* in Ep. Leandri ad Heronem:

Ipsa vides cœlum pice nigrius, *& freta ventis*
Turbida, pérque cavas vix adeunda rates.

Alia exempla quærent, & invenient quibus vacabit.

5. Al-

5. Alterum etiam *Theophrasti* locum obiter supplebimus, è Cap. XXVIII. in fine characteris ὀψιμαθὴς, ubi legimus: *καὶ παλαίων, ἐν τῷ βαλανείῳ πυκνὰ τὴν ἕδραν στρέφειν.* Legendum καὶ ὥσπερ παλαίων, *& quasi luctans, nates in balneo subinde vertit.* Luctando, nempe, necessariò totum corpus contorquebant, atque hinc inde cum reliquo corpore nates ἔστρεφον; at in balneo nihil cogebat, & turpe erat. Absurdè *Casaubonus: idem luctans & in balneo lavans nates subinde agitat indecenter.* Et enim senes non luctabantur, nec qui luctabantur poterant à torquendis natibus abstinere.

6. Omissionis, ex repetitione earumdem vocum natæ, exemplum memorabile animadvertit *Hieronymus*, in versione LXX Intt. Jerem. Cap. XXX. 15. Sic habent verba Prophetæ, ex translatione *Hieronymi.* 14. *Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent; plagâ enim inimici percussi te, castigatione crudeli;* PROPTER *multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata* TUA. 15. *Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus;* PROPTER *multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata* TUA. In quæ verba ita scribit *Hieronymus: Quódque sequitur:* quid clamas super contritione tua, &c. *in LXX. non habetur; videlicet, quia secundò dicitur,* propter multitudinem, *&c. & qui scribebant à principio additum putaverunt.* Hinc discere est exemplaria Græca, quæ hunc versum habent, eum ex alia editione habere.

7. Eadem prorsus de causa, in ipso Textu Hebraïco, Jos. XXI. 36, & 37. in antiquis multis exemplaribus, deerant. Enumerantur illic asyla è variis Tribubus, & versus quidem 35. ita definit: *urbes quatuor*, Hebraïcè, ערים ארבע Sequebatur verò, ut res ipsa ostendit, & liquet ex 1. Paral. VI. 78, 79. *Et de Tribu Ruben, Betser & ejus suburbana, & Jahtsa & ejus suburbana*, *Cademoth & suburbana ejus, Mephahath & suburbana ejus, urbes quatuor* ערים ארבע. Quarum duarum postremarum vocum repetitione, factum est ut Librarii versus 36, & 37. omiserint. Massora eos desideratos ostendit, in antiquis Codicibus, ut & *R. D. Kimchi*; nec eos verterat olim *Hieronymus*; ut liquet ex antiquissimis ejus versionis exemplaribus. Attamen esse oportere locus Paralipomenon indicatus, & versio LXX. Intt. ostendunt, ne rem ipsam attingam. At possunt esse loca hiulca, ab antiquissimis temporibus, simili de causa, quorum tamen hiatum deprehendere aut supplere aliunde non licet.

CAPUT

CAPUT VI.

De Mendis ortis ex imperitia aut negligentia Dictantis; 3. quòd male pronunciaret.

1. MALA Dictantis pronunciatio plurima Menda parere potuit, & reverâ peperit, quod multis rationibus contingere potuit, quarum præcipuas aliquot hîc indicasse satis erit. I. Dictantes sæpe miscebant vocales inter se & consonantes, ut cum Hebræis Grammaticis loquar, *ejusdem organi*. II. Fines vocum non satis distinctè pronunciabant, nec à sequentibus satis dictando sejungebant, quo factum ut literæ ultimæ, aut primæ vocum omitterentur, aut non satis clarè à scribentibus audirentur; vel etiam separabant syllabas conjungendas. III. Adspirationes quandoque omittebantur, aut addebantur.

2. I. Tribus verbis hîc dicendum est, in eorum gratiam qui Hebraïcè nesciunt, non in Hebraica tantùm Lingua, sed & in reliquis omnibus, literas posse in certa genera dividi, pro organis, quibus potissimùm efferuntur. *Gutturales* dici possunt A, E, I, O, U, Y vocales, cum adspiratione H; *Labiales* sunt B, F, M, P, PH, V; *Palatinæ* C ante A & O, G, J, K, Q; *Dentales*, D, L, N, T & TH; *Linguales* R, S, Z, X, C ante E & I, & T ante I. Quemadmodum autem, apud Orientales, sæpe miscentur literæ ejusdem organi; idem tiam inter pronunciandum fit apud alias Gentes, quamvis fortè paulò infrequentiùs. Exempli causâ, apud Latinos, sæpe miscebantur B, F, P & V, inter pronunciandum, ut cùm ex MSS. Veteribúsque Editionibus, tum etiam ex mendis apparet. Dicitur *Joan. Passeratius*, Professor olim Regius Eloquentiæ, in Academia Parisiensi, vir elegantissimi ingenii, hæc & similia ostendisse, in libello *de Literarum inter se cognatione ac permutatione*, quem videre non contigit. Sed dignus lectu quin sit non dubito, cùm viri eruditionem & judicium reputo. Fertur etiam varia hanc in rem animadvertisse *Gul. Canterus*, in Syntagm. *de Ratione emendandi Græcos Auctores*, quem neque etiam vidi. At varia hanc in rem video habere *G. Scioppium*, in *Critica*.

3. Edidit ut antea diximus, *Henr. Stephanus*, ad calcem sui *Thesauri*, Glossaria; ex quibus atque *Isidori* Glossis, in

R nostrum

noſtrum uſum, plurima exempla collegimus permutationis literarum ſono affinium, ſive *ejuſdem organi*; ex quibus exemplis, paucula tantùm proferemus. Primùm quidem vocales, & diphthongi cùm in Latinis, tum etiam potiſſimum in Græcis, paſſim miſcentur, quòd facillimum ſit unam pro altera, titubante linguâ, efferre; aut, aure non ſatis attentâ, audire. Exempli gratiâ, A eſt pro A E, in his verbis: *Abaci delphicæ*, μηνιϛηεῖων, ὡς Ἰνδεντάλιος. Legendum *delphicæ* & μηνιϛηεῖς, * Nam *abaci* eſt in Genitivo, etiam apud *Juvenalem*, Sat. III. verſ. 24. ubi vide Scholiaſtem. Eſt pro E, in his verbis: *Jantaculum*, ἀκρατισμός. *Janto*, ἀκρατίζω. Eſt pro I, in *Inſtata, ſuperaria* ἐπενδύτης, nam legendum *inſtita* ex Cod. *S. Germani*; & in *Monator*, σημαντὴρ, ubi idem Codex docet legendum *monitor*, ut & res ipſa. Eſt pro O, in *Deſpalat*, διασπᾷ, pro *deſpoliat*. Eſt pro U, in *Pallatus*, μελανείμων, legendum enim *pullatus*. Similia, de ſingulis vocalibus & diphthongis Latinis, poſſemus proferre.

4. Non minor eſt confuſio in Græcis, imò major, quòd ſoni trium vocalium, & plurium diphthongorum non multum, in Græca Lingua, diverſi eſſent. H, nempe, I, & Υ, ſono valde erant affinia; diphthongíque, A I, A Υ, E I, E Υ, H Υ, O I & Υ I pœnè idem ſonabant auribus parum attentis, aut ſi minus diſtinctè pronunciarentur. Hinc fit ut & inter ſe, & cum tribus memoratis literis, miſceantur, in antiquiſſimis MSS. A I ſæpe quoque confunditur cum E, non ſecus ac A E apud Latinos. Qui tractarunt Codices MSS. nôrunt veriſſimum eſſe quod dico. MS. Codex *Alexandrinus* Bibliorum, qui in Bibliotheca Regia Londinenſi ſervatur, & antiquiſſimus fortè eſt omnium MSS. Codd. qui extant, aut ſaltem inter antiquiſſimos, ejuſmodi mendis paſſim laborat, ut teſtati ſunt qui † Oxonii Librum Pſalmorum, ex eo Codice, ediderunt. Sed & aliquot exempla ex Gloſſis ſunt addenda.

5. H Frequentiſſimè ſcribitur pro I. Sic *Abbatiſſa* vertitur Ἀρχημανδρῖτις, pro ἀρχιμανδρῖτις, nam prius Cœnobii præfectum, vel Abbatem ſignificat. *Circus* dicitur eſſe avis μεταβληθείσης τῆς Σκύλλης τοῦ νήσου Μεγαρέων. *mutata Scylla Niſi* (legendum Νίσου) *Megarenſium Regis*. Pro Υ ſimiliter occurrit, ut *Aſperſerit* προσκλήσῃ, pro προσκλύσῃ. *Ad limina*, θηρωρεῖ pro θυρωρεῖ. I vice verſâ loco H legitur, ut *Præli*, λινοῦ, pro ληνοῦ. *Antruare*, σπηλεῦσαι, pro σπηλεῦσαι. *Nuptiles* (*L. Nuptiales*) γαμίλης, γαμήλιοι. Υ cum I miſcent Grammatici, cum κῦτος idem ac κῆτος eſſe cenſent. *Phavorinus*: Κῦτος,

---

* *Sic emendatum poſtea vidi à Joan. Meurſio in Lexico Græco-barbar. in voc.* μηνιϛηεῖον. † *Anno* 1678.

ἄγια

ὄγκος, χώρημα, βάθος, πλάτος, σῶμα, *moles, spatium, profunditas, latitudo, corpus.* Idem: Κῆτος ἀπὸ τῦ κῆτος (lege κῦτος) τὸ πλάτος. ὡς τ' ἔμπαλιν ἀπὸ τ͂ ἵστημι στῆλος καὶ στύλος. Adi & Etymologicum Magnum, in Ἁλμυρὸς quod dicitur ἀπὸ τ͂ ἁλμῆς pro ἁλμηρὸς. Vide quoque quæ habit in Ἄλυς, & in Ἄτρυτα.

6. Plura harum mutationum exempla congessit vir doctus *J. Rod. Wetstenius*, in Orationibus de Pronunciatione Linguæ Græcæ; ut vidi, cum superiora jam essent scripta. Idem etiam multis ostendit Diphthongorum esse frequentissimam confusionem; quo fiet ut ne actum agamus, cùm præsertim sit è re nostra si consulatur, quoniam ea quæ dicta sunt, de confusione vocalium & diphthongorum, partim nituntur ea sententia de illârum pronunciatione, quam propugnat vir eruditus.

7. Apud Orientales, literæ, quæ *gutturales* dicuntur, & quas nonnulli suspicati sunt vocalium loco olim fuisse (quibus tamen non adsentior) passim etiam inter se miscentur, ut docent Grammatici, sine dubio ob soni affinitatem. Idem ostendunt de literis *quiescentibus*, quarum duæ sunt etiam gutturales. Animadvertere hoc licet, non modò in Judaïco Codice, in quo eædem voces, non semper uno modo scribuntur; sed etiam ex Samaritici cum eo collatione. Exempli gratiâ, א & ה, in fine verborum *quiescentes*, sæpe miscentur, ut בירה & ברא, פלה & פלא, קרה & קרא & similia. Sed & quæ scribuntur per א in Judaïco Codice, leguntur exarata per ה in Samaritico & vice versâ, imò etiam per ה & per ע. Non exigui est momenti hæc diligenter observare, in Linguis Orientalibus; quia sæpe ex ea animadversione pendet cognitio sensûs locorum, qui frustra alioqui quæritur. Sic & ostendimus ad Gen. XXXVI. 24. ex collatione Codicis Samaritici cum Hebraïco, הימים in eo loco debere legi *hemim*, non *hajjemim*, cùm Samaritæ habeant אימים *emim*; quo posito, nulla ampliùs est difficultas, in eo loco, qui omnes Interpretes exercitos habuit.

8. Indidem etiam intellexi, quod me fugerat cùm ederem Commentarium in Exodum, & quod etiam fugit *Edm. Castellum*, virum doctissimum, quid sentiant Samaritæ de coloribus lapillorum pectoralis Aharonis. Interpres Samariticus primum ordinem lapillorum his nominibus exprimit: סמוק סמק סמקמק *samok, samak, samakmak*, hoc est, *rubrum, rubicundiorem, rubicundissimum*, secundum verò hisce: הכום הכם הכמכם, *bhachom*, *bhacham*, *bhachamcham*, quæ

* *In Comment. Philologico.*

nomina quid ſignificarent tum demum vidi, cùm in animum venit Samaritas pro אכם, quod apud Chaldæos, ſonat *niger fuit*, dicere הכם, quòd frequentiſſimè א & ה confundant. Tertium ordinem vult *lutei* coloris fuiſſe, quartum ita exprimit עואר ואבר עברבר *havar*, *abar*, *habarbar*, quod verbum idem eſt ac Chaldaïcum חור *hhour*, albus fuit, nam miſcentur ע & ה. Obſervandum, in hiſce vocibus, etiam confundi ע & א, & ו, cum ב. De re ipſa alibi agemus.

9. Non multò minùs miſcentur, in aliis Linguis, conſonantes ejuſdem *organi* à Librariis, ob ſoni affinitatem; quod videtur potiſſimùm ortum ex parum accurata dictantium pronunciatione, & quod exemplis eſt demonſtrandum. Sed ne, in re clara, æquo longiores ſimus, unius tantum *organi* conſonantes, inter ſe comparabimus. Diximus labiales eſſe B, F, M, P, PH, & V conſonantem; conſtat autem innumeris exemplis, eas à Librariis permiſtas fuiſſe.

10. B loco M poſitum eſt, in voce *ſubmanum*, in Gloſſis: Κεραυνόβολον ἀπὸ πρωὶ νυκτερινόν, *fulgur ſubmanum*. Dicebant Romani *ſummanum* * *Plinius* auctor eſt à Romanis *fulmina diurna* tributa *Jovi*, *nocturna Summano*. Similia docet *Feſtus*, in *Provorſum*. Igitur verè † *Cl. Salmaſius* emendandum cenſuit *ſummanum*. At Gloſſarum ſcriptor, cùm legiſſet *ſubmanum*, credidit compoſitum eſſe ex *ſub* & *mane*, perperam, unde ὑπὸ πρωὶ vertit.

11. *Salmaſius*, in Solinianis Exercitationibus, non ſemel animadvertit frequentiſſimum eſſe ∴ Latinis Librariis M & B invicem permutare, in ſcribendo. Exempla autem hæc profert. Apùd *Arnobium*, *formas* pro *Phorbas*; *Cumamum*, pro *Cubabo*; *Maſcauda*, *baſcauda*; μύρμηξ, βύρμηξ; μάσκα, βάσκα quibus infinita alia ſimilia eſſe ait.

12. Idem vir ſummus * animadvertit Librarios ſæpe confundere B cum P; quo intellecto, feliciſſimè emendat *Juſtini* locum Lib. XLIV. c. 1. de fluviis Hiſpaniæ: *plerique etiam divites auro, quod in* paludibus *vehunt*. Legit *balucibus*, quæ vox auri ramenta ſonat, ut oſtendit. Idem mendum etiam ſuſtulit, in hac ipſa voce, apud *Martialem* Lib. XII. Epig. 57. ubi legitur:

Illinc paludis *malleator Hiſpanæ*
Tritum, nitenti fuſte, verberat ſaxum.

---

* *Lib. II. c.* 53. † *In Solin. pag.* 804. *Ed. Ultr.* ∴ *Pag.* 284. & 923. *utrobique Col. I.* * *Pag.* 196. *Col. I.*

Emen-

Emendandum liquet *balucis*, ut jam ante *Salmasium*, viderat *Turnebus.* Sic quoque populi Thraciæ, qui *Herodoto Briantes* dicuntur, sunt *Plinio* & *Solino Priantes.* In *Glossis: Captura*, ἐμβολὴ, pro ἐμπολὴ, quod *lucrum* sonat.

13. Nihil est frequentius * in MSS. quàm confusio B & V consonantis. Centies occurrit in Veteribus *Glossis*, ubi legas *Benditorem*, *Benenum*, *Berbenam*, *Berbicem*, *Bibium*, *Cabernum*, *Cabillationem Ablatibum*, *Abum*, &c. Hinc emendandum viderunt viri docti locum, in *Isidori Glossis*, ubi ita legimus: *Nibita, aqua ex nubibus facta.* Manifestò legendum: *nivata aqua ex nivibus facta.* Quin & B, pro U vocali, in prioribus illis Glossis, legitur. *Abetuarium*, ὀπίμετρον, pro *Auctuarium.* Primum *c*, mutatum fuit in *e*, *avetuarium*; deinde *Dictator* librarius, Vasconico more, pronuncians V. instar B fecit *abetuarium*, ut sæpe ex uno mendo natum alterum.

14. F pro PH frequenter occurrit, ut in *Glossis*, *Epifonema*, *Filosofia*, &c. & P pro F, ut in iisdem: ξανθεία, *pucatrix*, ubi legendum *fucatrix*, ut rectè conjecit *Bon. Vulcanius*; *sulpor vivum*, θεῖον ἄπυρον, id est, *sulfur vivum.* Sic & passim scribitur *triumphus* pro *triumfo*, quod est à θρίαμβος, ac proinde debet scribi *triumfus*; cùm φ non sit in Græca voce, neque sit Latina Litera. Sic in Pandectis Florentinis, constat scriptum esse *triumfator*; nec desunt Inscriptiones, in quibus similis orthographia cernitur. Antiquissimi Romani dicebant *triumpum*, mutato B in P. Sed tempore *Ciceronis*, mutata jam erat pronunciatio, ut liquet ex *Oratoris* C. 48. Simili de ratione, scribendum videtur *tropæum*, aut *trofæum* ἀπὸ τῆς τροπῆς, non *trophæum*, quod neque Græcum, neque Latinum est. Malim more Græco *tropæum* scribere, cum Glossographo, Vetustisque Codicibus, & Inscriptionibus, quemadmodum etiam censuit *G. Joan. Vossius*, in Etymologico.

15. M pro B occurrit in Glossis, ubi est *Ummilicus*, ὀμφαλὸς ἀνθρώπου. *Ummo*, ὀμφαλός. Hæc permutatio frequentissima est in Etymologiis, verùm hîc non spectamus mutationes literarum Etymologicas; sed quæ natæ sunt ex Librariorum dictantium mala pronunciatione.

16. P pro B non rarò legitur, ut in *Glossis*: χυδαῖος ἄρτος, *ciparius*, pro *cibario*; *Scoba*, κοσμητήριον, pro *Scopa*; *Calpitur*, ἐξαπατᾶ, pro *calbitur*, aut *calvitur.* Scriptum etiam pro V consonante, ut *Impastis* (id est, *investis*) *impubes*, ἄφθορος· *Passacriarium*, ὑδρία, pro *Vas aquearium.*

---

* *Vide Jos. Scaligeri Conject. in Varron. p. 38. Ed. Paris. anni 1565.*

17. Quemadmodum B ponitur pro V, sic & V pro B. *Glossæ* veteres: *Acerva uva*, ὄμφαξ. *Acervatio*, σφοδρότης. *Acervitas*, δριμύτης. *Acervo*, δεινοποιῶ. *Acervus*, δεινός. *Caccavum*, χύτρα. *Valbus*, ψέλλος. *Valbutio*, ψελλίζω. *Vitumen*, ἄσφαλτος. V etiam occurrit pro F, in iisdem *Glossis*: *Vita Deûm Immortalium*. ὦ πόποι, ἐκφώνησις ἀρχαϊκὴ, ὡς Κάτων. Scripserat Cato: *fidem Deûm immortalium*, vel, *proh fidem*, &c. Sed pro F auditum est à Librario V, & pro D in sequente syllaba T; unde factum *vitem*; quod cùm planè absurdum esset, ab indocto homine mutatum in *vita*, quia videbat in Scriptura per Deum *vivum* jurari. V pro P quandoque etiam legitur, ut *Stivo*, στιβάζω, pro *stipo*.

18. Hæc exempla satis ostendunt literas ejusdem *organi* facilè inter se misceri à Librariis; nam quod de *labialibus* demonstratum est, id de cæteris quoque literarum classibus facilè posset ostendi. Quin etiam *Gasp. Scioppius* in *Arte Critica*, & *Claud. Dausquius* Lib. I. *Orthographicorum*, satis exemplorum suppeditabunt, si necesse sit; quamvis non satis attenderint literarum affinitatem, & aliam methodum sint sequuti. Igitur non modò in inquirenda vocum origine, ratio habenda est literarum affinium; sed etiam in investiganda vera lectione locorum corruptorum, cùm constet eas à Librariis tam frequenter inter se misceri.

19. II. Ad alterum *dictantium* vitium transimus, quo fiebat ut finem vocum non satis distinctè pronunciarent, unde orta sunt gravissima menda. Nam aut literæ propterea omissæ sunt à scribentibus aut junctæ voces, quas oportebat separari. Contrariò prorsus errore, dum moras interponunt dictantes, ubi non oportuit, sejunctæ sunt syllabæ, quas conjungi necesse erat. Quarum depravationum exempla aliquot more nostro, colligemus.

20. Quisquis *Glossaria*, quæ diximus, evolvet, frequentissimè videbit in ultima syllaba à Librariis erratum; quod ortum aliundè esse non videtur, nisi ex dictantis vitio. Manifesta ejusmodi menda innumera observârunt viri eruditi, quorum conjecturæ ad calcem Labbæanæ Editionis adjectæ sunt. Duo tantùm exempla illinc proferemus, ex quibus liquebit literam voci ereptam, ut vicinæ adderetur, aut prorsus omissam, *Herba sinaria*, ῥοδοδάφνη. *Bon. Vulcanius* rectè conjecit *herba asinaria*, ex Lib. XI. *Apuleïanæ Metamorphoseos*. Igitur A secundæ vocis elisum est, ob antecedentis terminationem in A, permistam cum initio sequentis. Detracta est litera posteriori voci, in hisce: *Profundum*, βύθιον, βάθυα, βυσσόν, ubi legendum βαθὺ, ἄβυσσον.

21. De-

21. Detractione literulæ eâque planè necessariâ, medicina fieri potest loco *Julii Cæsaris*, qui Interpretibus hactenus crucem fixit. Legitur Lib. IV. de Bello Gallico, C. XVII. ubi descriptionem pontis, quem Rheno imposuit, ita claudit: *Nihilo seciùs sublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquè adigebantur, quæ pro pariete subjectæ & cum omni opere conjunctæ, vim fluminis exciperent.* Non capiunt Interpretes quæ sit *inferior pars fluminis*, cum liqueat intelligi partem fluminis quæ erat supra pontem; in qua, ut solet fieri, collocari oportebat sublicas vim fluminis excepturas. Sed legendum *flumini*, & intelligenda *inferior pars* non fluminis, sed pontis, quæ opponitur superiori, de qua Cæsar, in proximè antecedentibus verbis, loquutus erat: *hæc directâ materiâ injectâ contexebantur, ac longuriis cratibúsque consternebantur*; quæ superiori parti pontis imposita erant. Sic & antea *inferioris partis* pontis meminit. Fefellit Interpretes, quòd verbum *adigere* soleat conjungi cum præpositionibus *ad*, vel *in*, sequente accusativo. Sed & quandoque cum dativo construitur; quod aliquoties apud *Plinium*, in Naturali Historia, observare licet. Certè ejusmodi verba utraque illâ constructione gaudere solent, ut *adfigere aliquid alicui rei*, & *ad aliquam rem*, aliáque similia.

22. Restitutione literulæ, emendabimus locum *Theophrasti*, in Charactere ἀναισθησίας, Cap. XV. Describit hominem usque adeò bardum, ut non attendat quod agit, & absona passim loquatur & faciat. Inter alia, hoc de eo habet: Τὰ παιδία ἑαυτοῦ παλαίειν ἀναγκάζων, καὶ τροχάζειν, καὶ εἰς ΚΟΠΟΥΣ ἐμβάλλειν: Vertit *Is. Casaubonus*: *Puerulos quin etiam suos, ut luctâ se exerceant, & cursu contendant usque ad fatigationem, cogere solet.* Sed ἀναγκάζων ἐμβάλλειν εἰς κόπους, numquam fuit, numquam erit, *cogens usque ad fatigationem.* Sed legendum ΕΙΣ ΣΚΟΠΟΥΣ *in scopos jacere*, nempè, lapides, aut tela. Posterius Σ propter prius excidit. Describit *Theophrastus* summam hominis ineptiam, qui cogit puerulos ea facere, quæ nimis libenter faciunt, & quæ alii parentes nè nimium faciant impedire solent, quod est bardi. Primum est παλαίειν *luctari*, quod pueruli inter se nimis frequenter facere amant, & quandoque non faciunt sine periculo, dum coætaneos solo gravius allidunt. Alterum est τροχάζειν, quod non est *currere*, sed *trocho* ludere; de quo ludo, vide *Jos. Scal.* ad hæc *Dionys. Caton. trocho lude, aleam fuge.* Est puerilis ludus, cujus sunt pueri omnes avidiores, & à quo sunt sæpe deterrendi. Miror hoc fugisse virum summum, cum certum sit puerulos cursu exerceri non solitos, sed adolescentes dumtaxat. Tertium est εἰς σκοποὺς βάλλειν, *lapides* aut *tela* in certum *scopum* jacere,

quod etiam nimis quàm frequenter faciunt pueri. Character est insani eos id cogere facere, à quo potius sunt revocandi.

23. Duæ voces ex una, vitio dictantis, factæ duplex præterea mendum in loco *Terentiano*, nisi vehementer fallor, pepererunt; de quo postea mira scripserunt viri eruditi. Est versus 46. Scenæ II. Act. IV. Adelphorum, ubi Syrus simulans se scire ubi si Micio, locum Demeæ indicat, & postquam per multas ambages eum circumduxit, tandem in *fabrica* esse dicit; Demea verò quærit *quid ibi faciat*, respondétque Syrus;

Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.

Ad quem locum *Donatus*: *in urbe convivium in sole & in umbrà, pro conditione temporis, instruebatur. Adrianus* verò *Turnebus* Adversar. Lib. I. c. 18. In sole *autem*, inquit, *quod Athenis vere interdum & æstate sub sole & dio cœnare solebant.* Debuit potius dicere *in sole hyeme* convivatos, cùm sol ea tempestate gratissimus sit, & facilè toleretur; sed norat solos nepotes de die convivari * solitos, nec senem temperantiorem sustinuit eorum ordini adscribere. At hoc debuerat illum in viam revocare, & suspectum ei hunc locum facere; præterquàm quòd *lectuli*, in eum usum destinati, non dicerentur magis, *lecti in sole*; quàm alii *lecti in umbra*; quæ enim Latinitas hæc est: *dare faciundos lectulos in sole*, pro eo quod est, *dare faciundos lectos in quibus accumbas, cùm in sole epulari libebit?* Deinde quare oportebat lectorum, in quibus in sole accumbebant, *ilignos* esse pedes, potius quàm ex alio ligno? Legendum omnino

Lectulos ILLIC SALIGNIS *pedibus faciundos dedit.*

Servus nequam, dum quærit quid respondeat instanti Demeæ, quod primùm occurrit arripit, & *salignos* etiam pedes dicit, ut risum excitet, nam nonnisi pauperiores solebant uti eo ligno in pedes lectorum; nec senex dives propter rem tantillam tam procul ivisset, aut in fabrica sedisset, ut eos videret fieri. Sed quo ineptiore dolo fallit Demeam, qui sibi acutus videbatur, eo majorem risum spectatoribus movet. Certè antecedentia non sunt acutiora, & Demea, si sapuisset, facilè fraudem animadvertisset. Vidit tamen viles

* *Vide Frid. Taubmannum, ad Asin. Plauti. Act. IV. S. 2. Vers. 16.*

lectos dici, cum responderit: *ubi potetis vos?* nempe, servi, quos nemo dixerit interdiu mensæ accubuisse. At fiebántne, inquies, lecti *salignis pedibus?* Quidni, cum salices *plurimæ* adhiberentur *agricolarum supellectili*, ut loquitur *Plinius*, Lib. XVI. c. 37? Ideò *Ovidius* describens convivium Philemonis & Baucidis Metam. VIII. hæc habet:

— In medio torus est de mollibus ulvis.
Impositus lecto, spondâ, pedibusque SALIGNIS.

Verùm unde ortum in *Terentiano* loco mendum? Nimirum, ex mala pronunciatione Librarii scriptum primùm videtur *sal lignis*, dein ex *sal* factum est *sol*; ac tandem, ut aliqua esset constructio, *illic* mutatum à Critico in præpositionem IN & scriptum *in sole ilignis*.

24. Contrà, in eadem Comœdia, Act. V. S. VII. vers. 16. duæ voces in unam conjunctæ, cui præfixa litera ex antecedente, sed malè lecta, gravissimum mendum peperit, quod Criticos omnes frustra exercitos habuit. Ita loquitur Demea de sumptibus, quos à fratre ferri oportere videbat, traductâ ad illum Sostratæ familiâ:

— turbam domum,
Adducet & sumptum admittet; multa. Quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam; jube nunc jam
Dinumeret illi Babylo *viginti minas.*

Nec quò referendum sit *illi*, nec quis sit *Babylo*, nec quæ orationis series expedire possunt viri docti; quos adibit Lector, tædiosum enim esset eorum inanes disputationes huc transferre. Paucis potiùs quid sentiam dicam, quod si audacius videbitur, at certè egregium parit sensum, cum nullus sit in aliorum interpretamentis. Demea ergo alloquitur hîc *Æschinum*, ut in antecedentibus, & cogitans de paupertate totius familiæ Pamphilæ, quam Æschinus domum ducturus erat; quæ vix patiebatur ut sumptus ullos facerent, qui tamen aliqui erant necessariò faciendi, auctor est filio ut à Micione jubeat iis, quibus ea familia constabat, viginti minas numerari. *Viginti* autem *minas* dicit, quia respicit ad parem summam, quam à Micione numerari curarat Æschinus Sannioni, & quâ Cytharistriam amicam fratri emerat; ut sibi simili pretio uxorem redimere videatur, nedum ut dotem ab ea accipiat, quam tamen necessariam antea judicarat Demea. Ait ergo:

— jube

—— *jube nunc jam*
Dinumerent illis AB ILLO *viginti minas.*

Pro *dinumeret*, in plurali numero legimus *dinumerent*, quia deest nominativus. Quid autem sit *numerare ab aliquo* omnes nôrunt; nempè, alicujus pecuniâ solvere. Quod si quis ignoret, adeat *Rob. Stephanum*, ad præpositionem *ab*. Valeat ergo fictitius BABYLO; quam vocem perinde esse ac *Babylonium* qui dixit primus, & significari Micionem putavit, quod Babyloniorum luxum æquaret, is

—— *jungat vulpes, & mulgeat hircos.*

Vel pueri sciunt Babylonium hominem non magis *Babylonem* posse dici, quam *Romam* hominem *Romanum*. Ethnica sunt, ut docet *Stephanus*, βαβυλώνιος & βαβυλωνίς, non βαβυλών, quod esset contra omnem analogiam. Scriptum erat ILISABILO, quia Veteres literas duplices non scribebant, & cum I & S. propriores æquo essent, videbatur esse B cujus superior pars oculos fugeret, unde natum BABILO, ex quo factum postea BABYLO ab Criticis.

Fateor esse senarium hypercatalectum pro senario, sed notum est *Terentium* & alios Comicos miscere passim ejusmodi versus. Nec quisquam dixerit durum esse *illis ab illo*, repetitione syllabæ IL, talia enim nequaquam vitant Comici. Visne exemplum, ab ipso Terentio? Lege versum 86. Scenæ 2. Act. I. Hecyræ:

Disjunxit illam ab illa, postquam & ipse se.

25. III. Dictantis vitio factum esse diximus, ut adspirationes omitterentur, aut detraherentur; cujus vestigia, in omnibus pænè veteribus Codicibus, animadvertuntur. In *Glossis* legimus, *abena*, *abilis*, *aborreo*, *era*, pro *habena*, *habilis*, *abhorreo*, *hera*; & vice versâ, *abhominor*, *harena*, *hostium*, *huber*, pro *abominor*, *arena*, *ostium*, *uber*, & multa similia.

26. Dictantis culpâ, an scribentis nescio, factum est, ut omitteretur adspiratio apud *Terentium*, in Andria, Actus II. Scenæ II. vers. 33. quâ omissâ, sensus & Latinitas vitiantur. Ita loquitur Charinus adolescens: *liberatus sum hodie, Dave, tuâ operâ*; respondet verò Davus: *ac nullus quidem*, hoc est, *& quidem non*, quod Latinum non est, in eo situ verborum. Itaque alii fecerunt, *at nullus quidem*; sed *at quidem non* melius

liùs non dicatur. Legendum HAC *nullus quidem*, hoc est *hac quidem operâ meâ, nullus liberatus es*; quasi ſubinnuat glorioſus ſervus poſſe ſe eum liberare, ſi id operam det. Similis loquutio apud *Plautum*, in Pſeudolo Act. I. S. I. verſ. 102. *Spero alicunde hodie me bonâ operâ, aut HAC meâ, tibi inventurum eſſe auxilium argentarium.*

27. Contrà, apud eumdem *Plautum* in Amphitruone Act. II. Scen. II. verſ. 137. eſt adſpiratio, ubi nullam eſſe oportuit. Cùm Amphitruo cum uxore aliquamdiu jam contendiſſet, mirarique ſe dixiſſet qui ſe donatum aureâ paterâ ſciret, addit. *Quid hoc ſit* HOMINIS! ubi legendum *ominis*; erant enim quæ videbat & audiebat Amphitruo portentoſa, poterántque facilè in omen verti. Ut ſcribi vidimus, in *Gloſſis, abhominor*, nihil vetat quin hic ſcriptum ſit *hominis*, ἀντὶ τοῦ *ominis*.

28. Antequam ad alia tranſeamus, duo exempla ex Hebraïca Lingua proferemus, ex quibus liquebit Librarios Judæos ſimilia peccâſſe. Apud Moſem, excepto uno loco Deut. XXII. 19. pro נערה *naharah* quod *puellam* ſonat, ubique in Judaïcis Codicibus, reſecto ה, ſcribitur נער. *nahara*. Quod non aliunde ortum videtur, quam ex vitioſa dictantis pronunciatione, qui ultimam ſyllabam non ſatis diſtinctè pronunciabat. Certè perpetua atque indubitata Hebraïcæ Linguæ analogia poſtulat ſcribi נערה ubique, & ſic in Samaritico Codice ſcribitur. Exſtat Exod. VIII. 9. inſigne exemplum, ex quo conſtare poteſt Librarios miſcuiſſe literas ejuſdem organi, ubi pro eo quod vulgò diceretur: התבאר אלי *hithbaer elai*, ſcriptum eſt: התפאר עלי *hithphaer halai*, ſine mutatione ſenſûs, hoc eſt, *ſignifica mihi*. Quæ tamen mutatio fefellit recentiores Interpretes, ut ad eum locum oſtendimus.

CA-

CAPUT VII.

De Mendis ortis ex imperitia Dictantis; 4. dum Glossemata in margine scripta in seriem orationis infert.

1. QUI vetustos Codices versarunt, plurimos potuerunt videre, in quorum oris adnotatæ erant vocum, aut loquutionum difficilium explicationes. Sæpe etiam inter ipsas lineas sunt Scholia, cùm contigit à Librariis inter eas satis amplum spatium relinqui. Hæ autem interpretationes duplici mendorum generi occasionem præbuere. Quandoque enim Librarii crediderunt iis Glossematibus significari, omissum in orationis serie id quod complectebantur, cùm incolumi constructione ac sententiâ potuerunt inferi; adeóque purpuræ optimorum Scriptorum centones Grammaticorum adsuerunt. Quandoque etiam perperam rati sunt Grammatici ea Glossemata non esse, sed veras lectiones margini à Critico illitas, & in orationis contextum recipiendas; quo factum ut eliminatâ priscâ lectione, novam intruserint, quæ veteris dumtaxat explicatio erat. Utriusque generis mendorum exempla quædam primùm proferemus, tum verò qui glossemata à vera lectione secerni soleant ostendemus.

2. Sichemenses ita alloquuntur filii Jacobi, Gen. XXXIV. 15. *Hac lege vobis obsequemur* (נאות) *si fueritis sicut nos, adeò ut vobis omnis masculus circumcidatur.* Ita habent codices Hebraïci, at LXX. Intt. sic verterunt: ἐν τούτῳ ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν, καὶ κατοικήσομεν ἐν ὑμῖν, ἐὰν γένησθε ὡς ἡμεῖς καὶ ὑμεῖς, ἐν τῷ περιτμηθῆναι ὑμῶν πᾶν ἀρσενικόν· *hac lege similes fiemus vobis, & habitabimus inter vos, si & vos sitis instar nostri, in circumcisione omnium vestrorum masculorum.* Sic legitur hic locus, in antiquissimis Codicibus Vaticano & Alexandrino. Atqui manifestum est duplicem esse interpretationem vocis נאות, quarum altera margini illita fuerat primùm, deinde irrepsit in orationis contextum, ut ad eum locum diximus. Significavimus etiam ad Gen. XLVI. 20. quæ illic in versione eorumdem Interpretum leguntur & Codicibus Hebraïcis desunt, videri è margine in textum translata fuisse, similiáque animadvertimus ad Exod. XII. 40. & alibi.

3. Talia

3. Talia etiam occurrunt in Codice Samaritico, quæ non infrequenter in Comment. in Pentateuchum notavimus, & diximus quidem simile esse Glossema Exod. XII. 40. in hoc Codice ac in versione LXX-Virali. Verùm non modò is Codex addit varia, interpretationis causâ; sed etiam voces quasdam habet, loco earum quæ leguntur in Judaïco Exemplari. Qua in re, sæpe mihi visi sunt veteres lectiones Mosi ereptæ, ut novæ iis sufficirentur. Sic Gen. XXIX. 15. ita Potipharis uxor ex Judaïco Codice loquitur de Josepho: *ut audivit me vocem tollentem & clamantem, reliquit vestem suam apud me* (אצלי etsli) *fugit, & egressus est foras.* Ad explicandum vocem אצלי, videtur in antiquo Samaritarum Codice fuisse, in ora, בידי *in manu mea*, ut significaretur voce clariore idem intelligendum hîc, ac vers. 12. in quo hæc vox occurrit. Lex extat Exod. XXI. 20. *Cùm quispiam servum suum, aut servam baculo ferierit, & sub manu ejus interierint, ultio sumatur,* נקם ינקם *nakom jinnakem.* In Samaritico Codice, est מות יומת *morte morietur*, quæ est interpretatio verborum, quæ leguntur in Judaïcis Codicibus. Talia multa in eo Codice animadvertimus, & protulimus in Commentario nostro in Pentateuchum. Vix crediderim ullum Samaritam Criticum usque adeò audacem fuisse, ut Mosem emendandum, sine necessitate censuerit. Probabilius multò mihi fit Samaritas glossemata marginis credidisse varias esse lectiones, quas subinde ut veriores loco Judaïcarum, amplexi sint. Plurima exempla indicavimus, in Indice Commentarii nostri.

4. Suspicor etiam ingentem varietatem, quæ fuit olim in Codicibus Græcis & Latinis Novi Testamenti, partim indidem esse ortam, quòd ii qui iis utebantur, aut ex ingenio interpretationes scribebant in marginibus, aut etiam ex aliis locis Novi Testamenti, præsertim in Evangeliis, quæ inter se ita conferri volebant, aut alterum ex altero intelligi. Postea verò homines imperiti Glossemata miscuerunt cum veris Apostolorum verbis, sive illa varias lectiones, seu emendationes ex antiquioribus Codicibus esse censuerint. Nè quis à nobis fingi putet quæ de varietate exemplarium diximus, audiat *Hieronymum*, è præfatione in Evangelia: *Magnus,* inquit, *hîc in nostris Codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eumdem sensum alius aliter expressit, ille qui unum è quatuor primum legerat, ad ejus exemplum cæteros quoque æstimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos mista sint omnia, & in Marco plura Lucæ atque Matthæi; rursus in Matthæo, plura Joannis & Marci, & in cæteris reliquorum,*

quæ

quæ aliis propria sunt, inveniantur. Cujus confusionis plurima exempla, quæ etiamnum sunt in Codicibus nostris, observarunt *Des. Erasmus* & *Th. Beza*, in adnot. in Novum Testamentum.

5. Nunc videndum qui Glossema possit à prisca lectione dignosci. I. Cùm sint duo genera Glossematum, quorum unum additur veteri lectioni, alterum verò ei ejectæ substituitur, non eodem modo internoscuntur. Igitur à priori genere Glossematum ut incipiam, adjectum esse primùm docet res ipsa; quando, nimirum, re paulò obscuriùs expressâ, aut voce vel loquutione, cujus significatio sciolos, vel imperitos fugit, videmus, præter necessitatem & consuetudinem Scriptoris, idem illico aliis verbis exprimi. Insignis Glossematis, ut dudum animadverterunt viri eruditi, exemplum exstat, apud *Plautum*, in Aulular. Act. IV. S. VII. Vers. 14. ubi ita Eunomia filio:

I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem mecum,
Ut isthuc quod tu me oras efficiam tibi,
Ut isthuc quod me oras impetratum ab eo auferam.

Manifestum est hic esse Glossema, cum nulla sit aut necessitas, aut elegantia in hac repetitione, *quod tu me oras efficiam tibi, impetratum ab eo auferam*; nempe, à fratre. Attamen MSS. *Joach. Camerarii*, & Palatini quatuor habebant: *Ut isthuc quod me oras efficiam tibi, impetratum ab eo auferam*, quasi esset unus versus; atque ita antiquissimæ Editiones. Duo verò MSS. Palatini omittebant, *impetratum ab eo auferam.* Utrum Glossema erit? nempe, versus 14. *ut istuc quod tu me oras efficiam tibi*; nam hæc verba nemo umquam interpretatione indigere judicare potuit. Sed Grammaticus in imperitiorum gratiam iis interpretatus est hæc: *impetratum ab eo auferam*; quæ interpretatione indigere videbantur, quia non est sermo de re, quam Eunomia ablatura esset, sed de uxore, quam avunculum cedere filio suo volebat. Igitur quando duorum quæ idem significant, & quorum alterutrum Glossema esse necesse est, unum obscurius, alterum verò clarius est, dubium non est quin clarius sit Glossema obscurioris.

6. II. Glossemata possumus etiam agnoscere 1. in Archetypo ex MSS. Codicibus, in quibus id dumtaxat habetur quod obscurius est, omisso interpretamento clariori; 2. aut in Translatione ex Archetypo, in quo semel exstat, quod bis est in Versione; sed & interdum 3. ex antiquiore Translatione cognoscere licet Glossemata, quæ irrepserunt in recentiores

res Codices. 1. Sic Marc. X. 6. ita loquitur Christus ἀπὸ ἀρχῆς κτίσεως, *ab initio creationis masculum & fœminam fecit eos*, ex plerisque Codicibus; at Codex antiquissimus T. *Bezæ* omittit vocem κτίσεως, quæ addita videtur, ut melius intelligeretur ἀπ' ἀρχῆς. 2. *Hieronymus* ex Græcis exemplaribus Latina olim emendavit, ut testatur in Præfat. in IV. Evang. ubi sic confutat eos qui consilium ejus carpebant: *Si latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus; tot enim sunt exemplaria pænè, quot Codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem revertentes, ea quæ vel à vitiosis Interpretibus malè edita, vel à præsumptoribus imperitis emendata perversiùs, vel à librariis dormitantibus, aut addita sunt, aut mutata corrigimus?* 3. Glossemata ex antiquioribus Translationibus cognosci posse idem testatur, in eadem Præfatione. *Prætermitto*, inquit, *eos Codices, quos à Luciano & Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserit perversa contentio; quibus utiq; nec in Vet. Instrumento, post Septuaginta Intt. emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendâsse, cùm multarum Gentium Linguis Scriptura ante translata doceat ea falsa esse, quæ addita sunt.* Hæc additamenta erant, ut ex reliqua Præfatione liquet, Glossemata singulis Evangelistis, ex aliis addita, quæ ex priscis Translationibus cognosci poterant. Sic vocem κτίσεως, in loco Marci antea laudato, Syrus Interpres non habet; unde colligere est Glossema esse, versione Syriacâ recentius. Plura hac de re non addimus, quia in sequente * Capite iterum dicemus quæ ad eam pertineant.

7. III. Glossemata verò, quæ sita sunt in vocibus, quæ antiquioribus loco pulsis successerunt, possunt duntaxat agnosci ex antiquis Codicibus, in quibus vetus lectio appareat. Tum eam distinguere licet à Glossemate aliorum Codicum, aut Editionum, eodem indicio, quod antea signum esse diximus recentioris lectionis, unà cum vetere exstantis. Nimirum, si Codex quispiam inusitatiorem & minùs claram vocem aut loquutionem exhibeat, quam alii (si modò proba sit, & cum Scriptoris stylo consentiat) illa plerumque vera lectio est; quia cùm nulla fuerit ratio quare clara lectio in obscuriorem mutaretur, obscuræ clara substitui potuit, ob rationes quas attulimus. Sic cum viri docti animadverterint, apud *Cornelium Nepotem*, Miltiadis, Cap. IX. alios Codices habere: *in Miltiade erat cùm summa humanitas, tum mira* COMITAS, *ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret*; alios verò COM-

* *In Exemplis §. 2. subjectis.*

MUNI-

MUNITAS, mihi dubium non est quin prius sit glossema posterioris; quia cùm vocis *comitas* notissima sit significatio, non ita vulgò notum est voce *communitas* significari eam mentis affectionem quæ civem Reipublicæ, qualis erat Atheniensis, decet, & quâ sibi cum aliis civibus communia omnia esse patitur. Vide quæ habet de hac voce *J. F. Gronovius*, ad Terentii Heautontim. Act. V. S. I. vers. 39. à quo mirum est non esse allatum locum hunc *Cornel. Nepotis.*

CAPUT VIII.

De Mendis à negligentia Scribentis ortis; 1. Quod quæ cogitaret, non quæ audiret, scriberet; 2. Quod perperam audiret.

1. VIDIMUS potissima Mendorum genera, quæ ex *Dictantis* incuria aut imperitia oriri potuerunt; neque enim omnia observâsse nos putamus, qui latissimè patere hoc argumentum, si alius quisquam, novimus. At satis nobis est, summa rerum capita in hoc Opusculo attigisse. Nunc ad id Mendorum genus veniemus, quod *Scribentibus* tribuendum videtur. Nec dubium est quin multa sint exemplaria descripta à Librariis, aut aliis, qui eam artem non profitebantur, non tam vitio *Dictantis*, quàm *Scribentis* mendosa.

2. I. Certè cùm qui scribit aliud agit, quod sæpe potuit contingere, facilè fit ut quæ cogitat, non quæ dictantur, scribat. Innumera menda, quæ cernuntur in MSS. aliunde orta non videntur, sed ea potissimùm quibus voces idem, aut affine quidpiam significantes miscentur; vel mutatur ordo orationis, transpositis verbis; vel voculæ quædam non prorsus necessariæ sensui adduntur, aut detrahuntur. Scribentes enim non modò verba, sed etiam sensum attendunt, & in longa scriptione, sæpe fit ut hujus ratio major habeatur, quàm verborum. Si præsertim qui dictabant, lucri causâ, quam maximè poterant festinarent, ut sine dubio sæpe factum est; nihil mirum si voculæ sæpe minùs necessariæ à Scribentibus omittebantur, aut miscebantur synonymæ.

3. Quisquis expendet variarum lectionum Syllogas, quas in plurimos Scriptores ediderunt viri docti innumera talia deprehendet. Sed inspiciantur potissimùm variæ lectiones Novi Testamenti, quæ hoc demum sæculo, præeunte doctissimo & optimo viro *Steph. Curcellæo*, diligentiùs collectæ sunt, quàm umquam antea fuerant; atque exemplorum major suppetet copia quàm quisquam non expertus credere possit. Ut tamen

rem

rem Lectoris oculis subjiciamus, nonnullas ex variis lectionibus Cap. XX. Actorum Apostolicorum huc transferemus.

Vers. 1. προσκαλεσάμενος. Tres Oxonienses Codices habent, μεταπεμψάμενος, quod idem planè sonat.

Ibid. ἀσπασάμενος, *cùm salutâsset.* Alexandrinus & octo alii Codices habent ante has voces, καὶ παρακαλέσας *consolatus*; Græco-Latinus, πολλὰ παρακαλέσας, *multis consolatus.*

Ibid. πορευθῆναι in Aoristo. Alexandr. & alii quatuor Codices, πορεύεσθαι in præsenti.

Vers. 3. μέλλοντι ἀνάγεσθαι, *navigaturo.* Codex Bodleianus, μέλλων ἄγεσθαι *abducendus*, malè sine dubio. Non moror Claromontanum, cùm ab omnibus aliis Codicibus nimiùm diversus abit, ut hoc in loco; quia paraphrasin potius, quàm varietatem lectionis exhibet. Sed obiter hîc monebo cavendum esse, nè hujuscemodi Paraphrases misceamus cum exemplaribus bonâ fide & verbo tenus descriptis.

Vers. 4. Voci Σώπατρος addunt Codex Alexandrinus, Græco-Latinus, & aliquot alii Πύῤῥου, *Pyrrhi*, nempe, *filius.* Legitur etiam in Latino Interprete. Pro Σώπατρος, alii Codd. habent, Σωσίπατρος. Æthiops Int. legit Πέτρος, perperàm.

Vers. 5. Οὗτοι προελθόντες, *hi cum præivissent.* Alexandrinus Cod. habet οὗτοι δὲ, alii προσελθόντες *cùm advenissent.*

Ib. ἡμᾶς, *nos*; nempe, *expectârunt*, Paulum & Lucam, aliosque itineris comites. Alii Codd. αὐτὸν, *illum*, scilicet Paulum, quod sapit manum Criticam.

Vers. 6. Ἄχρις ἡμερῶν πέντε, οὗ διετρίψαμεν, &c. *intra dies quinque, ubi commorati sumus*, &c. Codex Bodleïanus habet: ἀπὸ ἡμερῶν, *à diebus*, &c. & ὅπου pro οὗ.

Vers. 7. συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι, &c. *congregatis discipulis ad rumpendum*, &c. Alexandrinus & aliquot alii: συνηγμένων ἡμῶν κλάσαι, *congregatis nobis ad rumpendum.* Ita etiam Syrus, Arabs, Latinus & Æthiops, Interpretes.

Vers. 8. ἦσαν συνηγμένοι, *erant congregati.* Alexandrinus & alii, præter memoratos Interpretes, ἦμεν *eramus.* Sunt & qui omittant συνηγμένοι, quæ vox facilè subintelligitur.

Vers. 13. καθήμενος, *sedens.* Alexandrinus & alii, καθεζόμενος, quod est idem.

Vers. 13. προελθόντες ἐπὶ τὸ πλοῖον, *progressi ad navem.* Alexandrinus, προσελθόντες *cùm pervenissemus ad navem.*

Ib. εἰς τὴν Ἄσσον, *in Assum.* Codex Bodleïanus, ἐπὶ τὴν pro εἰς τὴν. Alii Oxonienses Νῆσον *Insulam*, quòd Librarius aut Criticus non intelligeret Ἄσσον esse nomen proprium loci, & crederet mendosè scriptum Ἄσσον *propè*, pro νῆσον. Sic &

 versu

versu 14. Syrus & Arabs Interpretes habent mendosè חסום *thesos*, misto A cum Θ, quod facilè fit, si contigerit crura τοῦ A ex inferiori parte paulò propiora esse quàm oportet.

Vers. 15. Καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, *& cùm mansissemus apud Trogyllium.* Desunt hæc in Codice Alexandrino, unóque ex Bodleïanis, nec lecta sunt à Latino Interprete. Habent illi codices in sequentibus verbis, τῇ δὲ ἐχομένῃ.

Vers. 18. ὡς δὲ παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν εἶπεν αὐτοῖς, *cùm ad eum venissent, dixit illis.* Codex Alexandrinus, qui mutilus videtur vers. 15. hîc est auctior tribus verbis, nam post αὐτὸν habet : ὁμοῦ ὄντων αὐτῶν, *cùm unà essent.* Eadem tamen etiam exhibet Græco-Latinus, & alii nonnulli ὁμοθυμαδὸν, *unanimiter.* Sic & *Vulgatus : & simul essent.* At nec *Arabs*, nec *Syrus* Intt. nec alii veteres Codices ea verba agnoscunt. Sed cùm nulla fuerit addendi ratio, fuit aliqua detrahendi; quòd, nimirum inutilia judicarentur, & sapere Glossema. Verùm cùm superiora verba nequaquam obscura sint, non opus erat Glossemate. Itaque retinenda censuerim, ut infinitas alias repetitiones, aut voces non necessarias, quas nemo umquam circumcidendas putavit.

Vers. 19. δουλεύων τῷ Κυρίῳ μετὰ πάσης, &c. *serviens Domino, cum omni* &c. Duo Oxonienses Codd. addunt, μεθ' ὑμῶν, *serviens Domino vobiscum, cum omni*, &c.

Ibid. πολλῶν δακρύων, *multis lacrymis.* Alexandrinus aliiq; omittunt πολλῶν, nec legerunt Latinus ac Syrus Intt. Additum videtur, ut plenior esset oratio, quia antecedenti substantivo suum etiam erat Epitheton.

Vers. 23. διαμαρτύρεται, Alexandrinus Codex : διεματύρατό μοι, *mihi testatus est.* Est præterea levis mutatio, in ordine verborum. At non modò Claromontanus, sed alii etiam Codices addunt huic versui : μοὶ ἐν Ἱεροσολύμοις, quæ verba legit & Latinus Int. qui habet : *tribulationes Hierosolymis me manent.* Videtur tamen esse Glossema, quod potuit addi, quasi circumstantia necessaria hîc prætermissa, cùm nulla esset detrahendi ratio.

Vers. 24. οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι, οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν. Alexandrinus transponit ποιοῦμαι & ἔχω, ut sit unum pro altero.

Ibid. διαμαρτύρασθαι, *testari.* Addunt Græco-Latinus & alii Codd. Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησι, *Judæis & Græcis.*

Vers. 25. βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *regnum Dei.* Deest Θεοῦ, in quibusdam Codd. & pro eo est Ἰησοῦ, in Græco-Latino.

Vers. 26. καθαρὸς ἐγὼ, *mundus sum.* Græco-Latinus & tres Oxonienses habent pro ἐγὼ, verbum εἰμὶ, quod est convenientius Græcæ Linguæ, ut altera lectio Hebraïcæ. Fini versûs addunt aliquot Codices ὑμῶν, *à sanguine omnium* vestrûm. Sic & Syrus.

Vers.

Verſ. 28. τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *Eccleſiam Dei.* Habent Alexandrinus, Græco-Lat. & tres Oxonienſes, τοῦ Κυρίου, *Domini*, nempè, Jeſu; alii eodem ſenſu τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, *Domini & Dei.* Poſteriorem hanc lectionem ſequitur Arabs, priorem Syrus. Exiſtimat *H. Grotius* veram lectionem eſſe κυρίου, ſed facilem lapſum fuiſſe in compendioſa Scripturâ θυ pro κυ. Non negaverim ſanè fieri ſæpe potuiſſe, ut miſcerentur hæc compendia; ſed cùm hic locus ſit ex iis, quibus in controverſiis ſuis maximè olim uſi ſunt Neſtoriani & Eutychiani, non tam incuriæ Librariorum has varietates tribuerim, quàm Theologorum conſilio, qui ex alterutra parte conati ſint Paulum ſuum facere.

Ibid. διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *proprio ſanguine.* Alexandrinus tranſponit hoc modo; διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου.

Verſ. 29. ἐγὼ γὰρ οἶδα τοῦτο, *ego novi hoc.* Τοῦτο omittunt Alexandrinus Codex & alii, ut minùs neceſſarium.

Verſ. 31. ἕνα ἕκαστον, *unumquemque.* Nonnulli Codd. addunt ὑμῶν, veſtrûm.

Verſ. 32. ἐποικοδομῆσαι, *ſuperſtruere*, καὶ δοῦναι ὑμῖν κληρονομίαν, ἐν τοῖς, &c. *& dare vobis hæreditatem inter*, &c. Alexandrinus habet, οἰκοδομῆσαι καὶ δοῦναι τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ ἐν τοῖς, *ædificare & dare ſuam hæreditatem inter*, &c. Sic etiam Codex Græco-Latinus & Bodleïanus.

Verſ. 33. Poſt οὐδενὸς addit Bodleïanus & Græco-Latinus, ὑμῶν, *nullius veſtrûm.*

Verſ. 34. αὐτοὶ δὲ γινώσκετε, *vos noſtis*, MS. Alexandrinus, αὐτοὶ οἴδατε, *vos ſcitis.*

Ibid. ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων, *adjuvare infirmos.* MSS. Alexandrinus, τῶν ἀσθενούντων ἀντιλαμβάνεσθε: ubi E ſcriptum mendosè pro AI. ob rationem allatam Cap. VI.

Verſ. 35. Κυρίου Ἰησοῦ. Deeſt in Alexandrino vox Ἰησοῦ.

Ibid. Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν, *beatum eſt dare magis quàm accipere.* Tranſponit Codex Alexandrinus, μᾶλλον διδόναι ἢ, ut Latinus: *magis dare quàm.* Vertendum crediderim: *beata res eſt potiùs dare, quàm accipere*; quaſi diceret Chriſtus: homines vulgò putant beatos eſſe, qui multa ab aliis accipiunt, pauca reddunt; at ſi beatos dicere oportet eos qui dant atq; accipiunt terrenas opes, eos potiùs beatos dixerim qui dant.

Hæc ſatis ſupérque oſtendunt quàm ſæpe ſcribentes nonnulla omiſerint, verborum ordinem mutârint, & miſcuerint ſynonyma. Quæ quidem ut plurimum non mutant ſenſum, ſed tamen non levem interdum mutationem in eo pariunt, ut apparet ex verſ. 28. Eſt interea cur Deum lau-

demus, quod noluerit fidem nostram pendere ex uno aut altero loco, aut ex aliquot voculis, in quæ mutatio irrepere potuit, negligentiâ aut nequitiâ Librariorum, vel Theologorum. In iis quæ necessaria sunt, sat magnus est Codicum consensus, ut omnem dubitationem nobis eximat. Verùm hæc non sunt hujus loci.

4. II. Facillimè etiam contingere potuit ut Dictantem, clara licèt voce legentem & rectè pronunciantem, parum attenti Scribentes non satis audirent, ita ut aliter scriberent quàm dictabat. Innumera certè menda hinc orta esse videntur, ut facilè intelligent, quicumque variarum Lectionum Syllogas paulò diligentiùs lustrabunt, aut Criticorum Commentarios legerint; nec necesse est, multis exemplis, rem comprobari. Aliquot tamen, more nostro, proferemus, eâdemque operâ loca optimorum Scriptorum hactenus à viris doctis intacta, quoad quidem intelligere licuit, corrupta esse ostendemus, atque emendabimus.

5. *Cicero* * Lib. III. de Oratore Cap. 12. *Quare Cotta noster*, inquit, *cujus tu illa lata, Sulpici, nonnumquam imitaris, ut Iota literam tollas & E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos sed messores* VIDERIS *imitari.* Imò verò VIDETUR, alloquitur enim Crassus Sulpicium, qui aderat, non Cottam, qui non aderat, & de quo Capite antecedente. Aderat quidem C. Cotta adolescens, at non L. Cotta, de quo hîc loquitur, qui Catuli grandioris jam natu sodalis erat. Sed cùm præcessissent TU, triáque verba in secunda persona, & C. Cotta adesset; Scribens, pro *videtur*, audivit *videris.*

6. In eodem libro Cap. XVIII. ita loquitur Crassus de Stoïcorum stylo: *Orationis genus habent fortasse subtile, & certè acutum; sed ut in Oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, jejunum;* ATTAMEN *ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit.* Si *attamen* proximè subjiceretur primo periodi membro, & quidem voci *acutum*, nihil esset quod nos in hoc loco moraretur; aperta enim esset oppositio styli Stoïcorum cum eo, qui coronæ acceptus esse possit. Sed in eo ordine verborum, legendum omnino est AC TANDEM, pro quo à dormitante Librario auditum *attamen.* Vitiis Stoïci styli enumeratis, omnia paucis verbis complexurus, *ac tandem*, inquit, *ejusmodi quò uti ad vulgus nullo modo possit.*

7. Nescio an typographicus error haberi debeat locus Actionis I. in Verrem, ubi hæc leguntur, Cap. VI. *Quæ res primò, Judices, pertenui nobis argumento, judicióq; patefacta*

* Utor Edit. Gebr. velianâ in 4. & nuperâ Gronovianâ in 12.

facta est ; sed certum est legi oportere *indicio*. Simile peccatum est Lib. I. in Verrem. C. L. sed, in Gronovianis erratis, quasi typographicum notatum. *Miror* hunc locum industrii viri diligentiam fugisse.

8. Libro IV. in Verrem, Cap. II. ita loquitur Cicero de honore quo Senatores Romani ab exteris nationibus excipi solebant. *Ecquæ civitas est, non in provinciis nostris, verùm in ultimis* ARATIONIBUS, *aut tam potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis ac barbara ; Rex denique ecquis est, qui Senatorem populi Romani tecto ac domo non invitet ?* Lege NATIONIBUS, pro qua voce Librarius audivit *arationibus* ; quia in antecedente Oratione frumentaria, hanc vocem sæpiùs scripserat. Verum hic inepta est, & Cicero paulò post, pro *ultimis arationibus*, habet *exteras* nationes. Sic Cap. XXVIII. *in exteris nationibus, usque ad ultimas terras pervagatum est* ; & Cap. XXX. *Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras, quemadmodum hujus tui facti famam in regna aliorum, atque in ultimas terras perventuram putâsti ?* Si & Ubii, apud *Cæsarem* de Bel. Gal. Lib. IV. c. 14. dicunt tantum esse nomen apud Germanos, atque opinionem exercitûs Romani, & novissimo prælio facto, *etiam ad* ULTIMAS *Germanorum* NATIONES, *uti opinione & amicitiâ Populi Romani tuti esse possent.*

9. Oscitantiâ etiam Scribentis Librarii, factum esse puto ut vox nihili legatur, apud *Lactantium* Inst. Divin. Lib. V. c. 12. ubi de persequutionibus Ethnicorum : *Cur tam crudeliter sæviant, nisi quia metuunt, nè in dies invalescente justitia, cum Diis suis* NARINOSIS *relinquantur.* Sic audiit, pro *araneosis*, hoc est, circa quos absentibus Sacerdotibus araneæ suas operas conficerent. Irridet Ethnicorum Deos, quorum simulacra indigebant operâ hominum, ut ab iis araneæ arcerentur ; quæ, relictis eorum sacris, Templa & statuas telis suis implerent ; & quas æditui ac Sacerdotes dejicere solebant.

10. Unum *Theophrasti* locum duplici hic liberabo mendo, orto utroque, ut videtur, ex oscitantia Librarii dictantem perperam audientis. Sic ille loquitur Cap. XXVIII. in ὀψιμαθίας charactere περὶ τοῦ ὀψιμαθοῦς· εἰς ἀγρὸν ἐφ' ἵππου ἀλλοτρίου ὀχούμενος, ἅμα μελετᾶν ἀσπάζεσθαι, καὶ πεσὼν τὴν κεφαλὴν καταιγῶναι. Vertit *Casaubonus : dum rus pergit, alieno equo vectus, simul obvios salutare meditatur cadens verò caput deturpat.* Quænam est illa salutandi meditatio ? & quidem ex equo ? An aliis verbis salutabant equitantes, aliis pedibus incedentes ? Non opinor. Sed fortè qui equo insidebant, ut conjectat

Casaubonus, certos gestus habebant, quibus utebantur in salutandis obviis. At nunc quidem hoc fit, quia inflexo corpore salutamus, & detracto Capitis integumento; verùm olim nihil simile, cùm verbis tantùm salutarent, ut χαῖρε Θεόφραστε. Legendum est, ἱππάζεσθαι & μελετᾷν ἱππάζεσθαι est *se exercere equitando*, ut faciunt qui eam artem discunt, dum in varias partes equum convertunt, calcaribúsque & fræno adigunt ut variis modis subsiliat, tum etiam ut concitatiùs currat. Sic apud *Xenophontem*, τὴν ἱππικὴν μελετῶντες, *in arte equitandi se exercentes*, & alia, quæ *H. Stephanus*, aliique Lexicographi suppeditabunt; nam res est manifesta & frequens.

11. Dum autem ὀψιμαθὴς ab equo vehementius concutitur, tandem cadit, ὥστε κεφαλὴν κατεαγέναι *ut caput frangat*, non καταισχύναι *deturpet*, ut frigidè *Casaubonus*, ex hac lectione Vet. Cod. κατισχέναι. Qui cadit ex equo concitato, non modò sibi deturpat caput, sed plerumque lædit, & sæpe frangit. Fortè legendum etiam κεφαλῆς, sic enim loquuntur Attici. *Aristophanes* in Acharnensibus, Act. V. S. I.

Καὶ τῆς κεφαλῆς κατέαγε περὶ λίθον πεσών.

Fregit caput in lapidem incidens,

Ubi Scholiastes, ex Grammaticorum canonibus, ut ait, interpretatur *partem capitis, non totum caput*. Idem in Vespis p. 533. Edit. Majoris Genevensis:

Ἀνὴρ Συβαρίτης ἐξέπεσεν ἐξ ἅρματος,
Καί πως κατεάγη τῆς κεφαλῆς μέγα σφόδρα.

Vir Sybarita excidit ex curru, & sibi magnam capitis partem fregit?

Idem contingere dicit Theophrastus seni, qui graviore ætate discit equitare, & quidem equo, cui non est adsuetus, & dum it in villam. Certa mihi videtur conjectura, & quam, si necesse esset, aliis locis firmarem.

CAPUT

CAPUT IX.

De Mendis ex imperitia Scribentis ortis, 2. dum non adsequitur Orthographiam, aut antiquiores literas.

1. QUOD in hodiernis Linguis animadvertimus, intra tria aut quatuor sæcula, mutationem sat magnam factam esse, cùm in Orthographia, tum etiam in ipsarum literarum figura; idem veteribus Linguis olim accidit, ut antea partim animadvertimus, unde etiam plurima menda orta sunt. Quod hic paulò pleniùs persequemur, & aliquot exemplis illustrabimus.

2. I. Ut ab Orthographia incipiamus, certissimum est, jam apud antiquiores Latinos, non semper eamdem fuisse; nec opus est rem hic demonstrari, quandoquidem de industria id dudum à viris doctis, diligentérque & copiosè factum est. Legenda hac de re quæ habent *Quinctilianus* Institut. Oratoriarum, Lib. I. Capp. 4, 6, & 7. & *Marius Victorinus* initio operis de Orthographia, & ratione carminum. Inter recentiores verò adiri præ cæteris à tyronibus potest *Claud. Dausquius*, initio prioris voluminis Orthographicorum. Exemplum dumtaxat unum proferam ex *Cicerone*, ut eum obiter illustrem. Sic ille, in Oratore, Cap. XLVIII. *Ego ipse, cum scirem ita majores loquutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut* pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem *dicerem; aliquando, idq; serò, convitio aurium, cùm extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Orcivios *tamen &* Matones, Otones, Cæpiones, sepulcra, coronas, lacrymas *dicimus, quia per aurium judicium semper licet.* Burrum *semper Ennius, numquam* Pyrrhum. Vi patefecerunt Bruges, *non Phryges, ipsius antiqui declarant libri. Nec enim Græcam literam adhibebant, nunc autem etiam duas.* At hoc videtur factum, non tam ad vitandam literam Græcam, quam quia Macedones, quorum dialectus cum victoriis per totam Græciam, ante Ennii tempora, sparsa fuerat, ut ostendit *Claud. Salmasius* in Comment. de *Hellenistica*, ita vulgò loquebantur. Hoc nos docet auctor Etymologici Magni, in voce Ἀφροδίτη· Τὸ Β τῷ Φ συγγενές ἐστι. δῆλον ἐκ τῶν Μακεδόνας μὲν τὸ Φίλιππον Βίλιππον καλεῖν, καὶ τὸ φαλακρὸν Βαλακρὸν, καὶ τοὺς Φρύγας Βρύγας, καὶ τοὺς ἀνέμους διὰ

τὸ φυσᾷν φυσήτας ὄντας βύκτας. * Alii ſimilia animadverterunt.

3. Verùm *Cicero* miram Orthographiæ anomaliam, eodem loco, memorat: *& cùm* Phrygum, & Phrygibus *dicendum eſſet, abſurdum erat aut tantum barbaris caſibus Græcam literam adhibere, aut recto caſu ſolùm Græcè loqui; tamen &* Phryges *&* Pyrrhum, *aurium causâ, dicimus.* Ex hiſce vocibus intelligere eſt, *Ciceronis* ævo, dici ſolitos *Phryges* & *Pyrrhus*, cum in aliis caſibus, Enniano more, pronunciarent *Brugum*, &c. *Burri*, &c.

4. Hæc & ſimilia multa, quæ congeri poſſent, qualia plurima collegit *Cl. Dauſquius*, Critico debent eſſe notiſſima, ſi velit cum laude artem Criticam exercere. Acutè † Criticus emunctæ naris, in Epiſtola, in quâ profert vetus monumentum, initio hujus ſæculi Romæ effoſſum, amicum monet *ad emendationem tot errorum, quibus hodiéque ſcatet Plautus, fons ille genuinæ, puræq; Latinitatis, nihil utilius eſſe, quam eam tabulam ante oculos habere; ut, ubi quid in Plauto occurrit, quod ſuſpicionem mendi habeat, ſtatim tibi dicas quanam ratione illud, aut illud Plauti ævo ſcribebatur? Quæ forma literarum erat? quæ literæ interdum omittebantur?*

5. Non procul erit nobis ejus rei quærendum exemplum, cum Cap. VI. §. 24. emendaverimus conclamatum *Terentii* locum, qui depravatus fuerat, partim eò quòd literas * duplices antiquiſſimi Romani non ſcriberent. Nempe, pro *illis ab illo* factum eſt *illi Babylo*, quia ſcriptum fuerat *iliſ abilo*. Deinde quia Critici judicarunt hîc ad luxum civium Metropoleos Chaldaïci Imperii reſpici, pro I ſcripſere Y, & *Babylonem* in hunc locum invexere.

6. Veteribus uſitatiſſimum erat præpoſitiones verbis compoſitis præfigere, ſine mutatione, quæcumque litera ſequeretur; non eas emollire mutatione, ut ſolemus. Sic in *Gloſſis* ſcriptum *Adclivis, Adfaber, Inprobare, Inremeabilis, Adcelero, Obſenſus, Obpono*, &c. Idem factum in inſeparabili præpoſitione CON, ut *Conlacrymo, Conlactaneus, Conlapſus, Conlatio, Conlaudo, Conloco*, &c. pro quibus, nos N mutamus in L, *Collacrymo, Collactaneus*, &c. Vetus illa orthographia paſſim, in antiquis Codicibus cernitur. Quod cùm ignorarent Monachi, qui *Lactantium* nobis, Latinorum Patrum terſiſſimum, deſcripſerunt, abſurdè loquentem virum diſertiſſimum induxerunt, in eleganti Libello de Opificio Dei.

* *Vide Euſtathium in Homer*, p. 1614. Ed. Rom. † *Tan. Faber Epiſt. Lib. II. c.* 22. * *Adi, ſi vacat, Cland. Dauſq. Orthog. Princip.* §. II.

Ait †

Ait † *tantâ temeritate homines exſtitiſſe, qui vulgò Philoſophi nominantur, ut ea quæ abſtruſa prorſus atque abdita Deus eſſe voluit, ſcrutarentur, ac naturam rerum cœleſtium, terrenarùmque conquirerent; quæ à nobis longè remotæ, neque oculis* CONTRECTARI, *neque tangi manu, neque percipi ſenſibus poſſunt.* Scripſerat *Lactantius* CONLUSTRARI, ſed imperiti exſcriptores, cum crederent ſcribi COLLUSTRARI, non agnoverunt hoc verbum in hoc loco, mutaruntque in *contrectari.* Quo abſurdius nihil fingi potuit, cum *conluſtrare oculis* non modò proba ſit loquutio, ſed etiam *Ciceronis*, quem imitari nititur *Lactantius.* Scribitur autem hæc vox, etiam in *Gloſſis*, eò, quem diximus, modo: *Conluſtrat*, συμπεριέρχεται. *Conluſtro*, συμπεριοςῶ, συμπεριέρχομαι.

7. II. Verùm non modò tenendum quæ fuerit Veterum Orthographia, ut varia menda inolita in eorum libris retegamus, & feliciter emendemus; ſed & probè ſciendum quibus characteribus uſi ſint, idque diligenter ad animum eſt revocandum. Nemo dubitat quin Latini literas ſuas Græcis debeant, ſed initio literæ Latinæ multò ſimiliores erant Græcis, quam poſtea fuerunt, ut conſtat ex antiquiſſimis Inſcriptionibus & Nummis. Exempli causâ P Latinum ferè ſcribebatur ut Π Græcum, niſi quòd crus dextrum brevius eſſe ſoleret; quo factum, ut celeritatis causâ angulus rectus qui eo crure, & ſuperiore lineâ conſtat, in hemicyclum tandem mutaretur. Cernere hoc licet, in monumento de quo antea diximus, aliiſque antiquiſſimis Inſcriptionibus.

8. Quod cum ita ſit, & conſtet Græcos ſuum *Sigma* nunc ita pinxiſſe ut Σ, nunc verò ut C, crediderim etiam Latinos, antiquiſſimis temporibus, poſteriori hac figurâ interdum eſſe uſos, quamvis exempla in Inſcriptionibus, aut in Nummis non animadverterim. Itaque, quemadmodum quandoque Græca legentes Latini imperitiores S & C miſcuerunt: ſic, & in Latinarum vocum lectione, ſimiliter erratum. In *Gloſſis*, legere eſt BOCLUCA, pro BOS LUCA, ἐλέφαντος, * notum enim eſt Romanos, cùm primùm vidiſſent Elephantos, eos *Boves Lucas*, ſeu *Lucanos* dixiſſe. In iiſdem *Gloſſis*, BOSBUC eſt pro BOS, Βοῦς. Sed eſt alius inſignior locus, in litera C, ubi legimus *Cana*, πανάκεια Θεὸς, πολιά. *Cana* à *Canus* eſt πολιὰ; ſed SANA à *Sanus* eſt *Panacea Dea*, Æſculapii filia. Attamen

† *Pag.* 778. *Edit. Oxonienſis, ex Theatro.*

* *Vide Plinii Hiſt. Nat. Lib. VIII. c.* 6. *& ad eum Intt.*

utrumque

utrumque ſub eodem titulo latet, quod in priſcis characteribus Latinis S quandoque ut C pingeretur. Non dubito quin ex antiquiſſimo Scriptore Latino hanc ſignificationem vocis *Sana* hauſerit *Gloſſograpus*, aut ii quorum induſtria illi præiverat, quicumque fuerint. Certè in Scriptoribus, qui ad nos pervenerunt, quoad equidem novi, ea vox non exſtat; potuit tamen rectè dici *Sana* Dea, quæ ſanaret, ut *Suada* quæ ſuadet, *Panda* à pandendo, *Horta* ab hortando, *Deverra* à deverrendo; & ſimiles.

9. Credibile eſt in Veterum Scriptis, cum majuſculis literis ſcribendi conſuetudo paulatim inſoleſceret, ſæpe à Librariis recentiori characteri adſuetis peccatum eſſe, dum ambiguas ejuſmodi literas legere neſciunt; quas poſtquàm ſemel, pro captu ſuo, charactere Langobardico expreſſerunt, menda conſenſu Manuſcriptorum Codicum ita exaratorum conſecrârunt. Poteſt, ut videtur, exemplum ejus rei è *Terentio* proferri ubi Librarius expreſſit perperam figuram C literâ S, cùm debuiſſet eam ſervare. Locus eſt Adelphorum, Act. V. S. 7. verſ. 19. ubi mendum eſt, quo ſtructura planè turbatur. Auctor eſt Demea filio, ut, miſſâ inani pompâ, in horto maceriam jubeat dirui, & illac ſponſam, matrem & familiam omnem tranſducat in ædes Micionis. Cùm adſentiretur Æſchinus, tum verò Demea, *Syre*, inquit, *ceſſas ire, & facere?* Nempe, diruere. At Syrus: *quid ago?* quid me jubes facere; nam, proximè antecedentibus verbis, alia nonnulla dixerat Demea, quibus factum erat ut ne à Syro intelligeretur. Tum Demea: *dirue* (maceriam) *tu* ILLAS, *abi*, *& traduce*; hoc eſt, tu Syre, *dirue*, *tu* verò Geta, *illas abi & traduce*; quorum verborum ordo eſt, ut aiunt, *abi*, *& traduce illas*; ſed quis hanc trajectionem verborum ferat, in Comico æquè terſo, ac *Terentius* eſt? Certè Dithyrambici eſt Poëtæ, non *Terentii*. Lege: *tu* (Geta, nimirum) ILLAC *abi & traduce*; hoc eſt, cum dejecta à Syro erit maceria, *illac* tu *abi* domum, & per eamdem viam *traduce* ſponſam & totam familiam. Vult Getam quam breviſſimâ viâ domum ire, ne mora ulla ſit. Qui veteres Codices *Terentii* deſcribebant videntur C interpretari, quaſi eſſet S, cum eſſet tertium Alphabethi elementum.

10. Quod ſi hæc menda non videantur ex figura illa literæ S nata, quod tamen veriſimillimum eſt, confugiendum erit ad ſimilitudinem ductuum; ſi eorum aliqua pars deleta ſit vetuſtate, aut à Librario non ſatis abſoluta. Si enim inferior hemicyclus literæ S oculos fugiat, quod ſupererit ſimillimum erit literæ C. Sic pro BOS, potuerit fieri *boc*; & pro SANA, *cana*. Vice verſâ, ſi inferioris partis literæ

C par-

C particula reflecteretur, potuit facilè haberi S, ut pro I L L A C fieret *illas*.

11. Characteribus *Romanis* quadratis successerunt, ut antea diximus, *Langobardici* rotundiores; quorum etiam considerandа similitudo, cùm locus quispiam mendi est suspectus, ut divinare possimus quomodo antea scriptum fuerit, & quid mendo occasionem præbuerit. Etsi exempla attulimus Cap. IV. quæ huc referri possunt, nihil vetat unum atque alterum hîc addi, quo res manifestior fiat; potest enim multò faciliùs atque evidentiùs probari exemplis, quam ratiocinatione. Igitur ex *Plauto* unum, ex *Terentio* verò alterum proferemus.

12. Est locus *Plauti* conclamatus, eò quòd pro *ui* legatur *u*, pro *n* scriptum sit *r*, *os* pro *am*, & *a* pro *o*. Truculenti Act. I. S. 1. Dinarchus adolescens describit quæ sint in amore incommoda.

Non omnis ætas ad perdiscendum sat est
Amanti, dum id perdiscat quot pereat modis.

Tum interpositis octo versibus, quibus describit varias amantium calamitates, addit, ex MSS. *Camerarii:*

Primum dum miror annua; (aut *miros annuus*) *is primus bolu'st*,
Ob eam, tres noctes utor. Interea loci
Aut æra, &c.

Illud *ob eam* docere potuit Criticos legendum, in antecedente versu, *duim minam, annuo*; hoc est, primum rogat sibi *dem minam*; *annuo* daturum, & re ipsâ do; *ob eam, tres noctes utor.* Cum Librarii legissent *dum* pro *duim*, quod est veteri more * pro *dem*, mutarunt *minam* in *miror*, & *annuo* in *annua*, quæ nihil quidem significant, sed speciem constructionis præbent. Nimirum, corruptâ unâ voce *duim* in *dum*, antiquiores librarii sensum nequaquam adsequuti, duas sequentes non satis elegantèr scriptas legere non potuerunt, aut ductus fortè non satis integros supplere; ut solet fieri, cùm ex superioribus sententia clara est. Postea Critici locum frustra tentârunt, ut liquet ex editione *F. Taubmanni*, & Lugdunensi, in qua sunt inanes conjecturæ duorum, in Republica Literaria, absque controversia summorum virorum, *Claud. Salmasii* & *Joan. Fred. Gronovii.*

* *Tam duim quàm perduim, Aulular. Act. IV. S. 6. vers. 6.*

13. Locum

13. Locum in *Terentiano Eunucho*, ob levem depravationem, non intellexere Interpretes, quos equidem vidi, nam omnes consulere nec possum, nec vacaret, si possem. Ea depravatio orta est, ex eo quod ex *n*, producto ad superiorem partem crure dextro, errante calamo, factum est *d*. Legat Lector, si vacat, Actûs IV. Scenam 7. ab initio ad vers. 24. ne quod habet *Terentius* nobis narrare hîc necesse sit. Thais exprobranti militi *quòd ipsi ante oculos amatorem suum adduxisset*, Chremetem, nimirum, qui aderat, respondet: *quid cum illo agas?* quod hîc caret sensu. Lege QUIN *cum illo agas*; quibus verbis significat à milite ea de re cum Chremete, qui præsens erat, agi oportere, non secum; quia res Chremetis agebatur, cum sororem operâ Thaïdis invenisset, eaque de causa eum ad militem venire jussisset, & illinc, simul ac Chremes, se subduxisset. Sic in eadem Scena vers. 41. *quin abeamus*, pro imò abeamus, & sexcenta similia. Hæc cum non animadvertissent nonnulli Interpretes, verba, *quid cum illo agas*, tribuerunt Militi. Sic *Anna Fabra*, erudita matrona:

THRASO.

—— rogitas?
Quæ mî ante oculos coram amatorem adduxti tuum!
Quid cum illo ut agas? & cum illo etiam te subduxti mihi.

At apparet, ex *Donato*, verbis illis præfixum fuisse nomen Thaïdis. Præterea *ut*, contra veterum Codicum fidem, hîc infarcitur, ante *agas*. Sic sæpe locus non intellectus, ob mendum, novo mendo corrumpitur. Imò verò ex ipsa versione Gallica liquet vim inferri loco, sic enim vertit: *Me le demandez vous, vous qui à mon nez m'avez amené vôtre galand, & qui vous êtes dérobée de chez moi avec lui? Pour quelles affaires donc, je vous prie?* Nam non est inversa hæc translatio, alia de causa, quàm quia verba Thrasonis hæc omnia esse non possent, si ordo hic servatur. Vertendum erat, hoc modo. THRASON. *Me le demandez vous, vous qui avez amené vôtre galand en ma présence?* THAIS. *Que ne vous adressez vous à lui même.* (En montrant Chremes) THRASON. *Et qui vous êtes retirée secretement de chez moi, avec lui?* Simile mendum suspicor esse apud *Plautum*, in Bacchidibus, Act. I. S. 1. vers. 7. ubi cùm Bacchis dixisset: *miserius nihil est quàm mulier:* suggerit Pistoclerus: quid *est his dignius?* quòd interpretantur, merito mulieres esse dignas miseriis, quas queruntur, nihil enim iis dignius esse. Qui sensus quidem est, sed interrogatione hujusmodi vix exprimatur.

exprimatur. Itaque legerim QUIN *esse dicis dignius*, nempe, miseriis omnibus; ita ut adolescens emendet sermonem meretricis. Usum hunc particulæ *quin* si quis ignoraret, intelligi posset ex Casinæ, Act. III. S. 4. ubi duodecies repetitur, in paucis versibus.

14. Ut à Latinis ad Græcos transeamus, duplici etiam charactere habemus MSS. Codd. Græcos, quorum vetustiores exarati sunt charactere grandiori & quadrato; alii verò rotundo & minori, qualis est is, quo nunc vulgò utimur. Magni autem est momenti, in originibus mendorum inquirendis, conferre inter se literas; cùm persæpe menda ex similitudine majuscularum orta, vix ex minuscularum ductibus oriri potuerint, & vice versâ. Itaque qui legunt Scriptores Græcos, iis characteribus, quibus nunc solent edi, sæpe non adsequuntur qui literæ tam diversæ misceri potuerint.

15. Exempli causâ, A, Δ, & Λ in majusculis literis facilè misceri potuerunt, difficiliùs in minusculis α, δ, & λ. Si enim lineola media τ̃ A deleatur, aut non satis plenè scribatur, videbitur esse Λ: ut contrà si quid inciderit inter crura posterioris, credetur esse A litera Δ, si infima lineola paulò attollatur, potest fieri A; si non plenè exaretur, videbitur esse Λ: ut si fortè quid incidat inter infima crura hujus, credetur esse Δ, quemadmodum etiam A, si media linea nimiùm deprimatur.

16. In *Glossis* legimus: *Gibus* (lege *gilbus*) γιαβος, pro ΓΙΛΒΟΣ. *Studio*, γαμυακιον, pro ΧΑΜΟΤΛΚΙΟΝ. *Setosus*, δάσιος, pro Λάσιος. *Fastidium*, λέτωμα, pro *Fastigium*, 'Αέτωμα. Harum literarum permutationem frequentem esse observavit * *Claud. Salmasius*, emendátque, ex hac observatione, *Dioscoridis* locum Lib. V. c. 146. ubi, pro Πλαγιοπόλεως, legit Παλαιοπόλεως, addítque *notum esse Græcè intelligentibus* Λ *&* A *sæpe invicem mutari in eorum scriptura.* Alibi, postquàm egit de variis sententiis Geographorum, de situ populorum Arabiæ, qui *Catabanes* dicebantur, animadvertit mendosè eos à *Dionysio*, vers. 958. dici Κλεταβηνὲς. † *Scriptum erat*, inquit, ΚΑΤΑΒΗΝΟΙ, *nam* Λ *&* A *sæpe invicem permutantur; unde postea, adjecto* E, *fecerunt* Κλεταβηνοὶ, quod copiosiùs probat. Suspicatur etiam fluvium, qui in Oxum à *Plinio* & *Solino* labi dicitur, à Ptolomæo non Δάργιδον, sed Δάργιλον dictum; * *ut* Δ *&* Λ, inquit, *sæpenumero confunduntur.*

---

* *Pag.* 178. *Ed. Utraject. col.* 2. † *Ibid. p.* 353. *col.* 2. * *Pag.* 153. *col.* 1.

17. Ut

17. Ut liquidiùs appareat quanti sit momenti, omissis figuris librorum editorum, antiquas attendere, duo exempla addemus quatuor aliarum literarum; quas ante aliquot sæcula mistas fuisse constat, & quæ tamen in rotundiori charactere vix possunt misceri. Θ & O facillimè misceri potuerunt, si media lineola τοῦ Θ fortè abrasa esset, aut guttula atramenti in O delapsa. *Galenus* in Lib. VI. Epidemiorum: Ἐπεὶ δὲ ἐνίοτε καὶ κατ᾽ ἄμφω σφάλλονται, πολὺ βέλτιον ἔδοξέ μοι φυλάττοντι τὴν ἀρχαίαν γραφὴν, ἀεὶ μὲν σπουδάζειν ἐκείνην ἐξηγεῖσθαι, μὴ δυνηθέντι δέ ποτε τοῦτο πρᾶξαι, πιθανὴν τὴν ἐπανόρθωσιν αὐτῆς ποιεῖσθαι, καθάπερ ὁ Ἡρακλείδης ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἐπιδημιῶν ἐποιήσατο, κατὰ τὴν λέξιν ἐκείνην ἣ γέγραπται. Περὶ δὲ τὸ Ἀφροδίσιον αἱ Οὐραὶ ἔβλεπον. Ἐπειδήπερ τοῖς ἐξηγησαμένοις τὴν Οὐραὶ γραφὴν, ἀπιθανῶς εἴρηται, τάχα, φησὶ, Θυραὶ μὲν ἦν γεγραμμένον, διὰ τοῦ Θ, τῆς μέσης δὲ γραμμῆς ἐν αὐτῷ διαφθαρείσης ἔδοξεν ὁ βιβλιογράφος Οὐραὶ γεγράφθαι. *Quandoquidem in utroque aliquando falluntur, multò melius mihi visum est servare veterem scripturam, & semper quidem conari eam interpretari; si verò aliquando id præstare non possem, ejus correctionem probabilem facere: sicut Heraclides in secundo Epidemiorum fecit, in ea sermonis parte ubi scriptum:* Ad Aphrodisium αἱ Οὐραὶ spectabant: *nam cùm interpretantibus scripturam* Οὐραὶ, *improbabiliter dictum esse videatur, fortè, inquit Heraclides,* Θυραὶ *scriptum fuit per* Θ, *cùm verò media linea in litera* Θ *deleta fuisset, credidit Librarius* Οὐραὶ *scriptum fuisse.* Similiter vir eruditus conjecit indicem libri, qui inter Ethica *Democriti* Opera recensetur à Diogene Laërtio, non debuisse ita concipi, ὑπομνημάτων ἢ Οἰκων, sed ὑπομνημάτων ΗΘΙΚΩΝ. Vide *Æg. Menagium*, ad Lib. IX. §. 46.

18. Notum est * à *Plin.* sæpissimè exscribi *Dioscoridem*, quem etiam interdum imperitè ab eo conversum ostendit summus Criticorum *Claud. Salmasius.* Locum nunc proferam ex quo liquebit ambiguis, ductibus literarum majuscularum fuisse deceptum. Eum suppeditabit idem, quem laudavi, Criticus. Sic *Dioscorides* describit Glycyrrizam Lib. III. c. 7. ἔστι δὲ θαμνίσκος ῥάβδους ἔχων διπήχεις, περὶ οὓς τὰ φύλλα πυκνά, ἐοικότα ΣΧΙΝΩι, λιπαρὰ καὶ κολλώδη ἁπτομένῳ. τὸ δὲ ἄνθος ὑακίνθῳ ὅμοιον, καρπὸς δὲ πλατάνου σφαιρίων μέγεθος. Integrum locum descripsi, ut liqueret *Plin. Dioscor.* interpretem agere. Sic loquitur Lib. XXII. C. 9. *Sine dubio inter aculeata est* (Glycyrriza) *foliis ECHINATIS, pinguibus, tactuque gummosis, fruticosa, binûm cubitorum altitudine, flore hyacinti, fructu pilularum platani magnitudinis.* Jam audi Salmasium † : *Plinius*, inquit, *legit* ἐοικότα ἐχίνῳ *vel suis oculis*

* *Vide Præf. ad Exercit. Plinianas in Solinum, & ad Lib. de Homonymis Hyles Iatricæ.*
† *P. 123. col. 1.*

malè

malè usus, vel alienis malè credulus, vel certè vitio corrupti exemplaris seductus. Vetustissimum Bibliothecæ exemplar σχίνῳ disertè scriptum præfert. In aliis antiquis & grandioribus literis Græcis, nulla ferè discretio est inter Ε & Σ. *Utraque siquidem semicirculi figurâ depinguntur. Exiguo tantùm apice, qui medio ferè ponitur, distingui solet* Ἐψιλὸν, *sic facilè subrepere Plinio potuit* ἐχῖνος *pro* σχῖνος.

19. Hæc vir summus, quæ mihi in memoriam revocant salubre rei Criticæ monitum, quod omnes qui ex Codicibus MSS. edunt, aut denuo emendant Veteres, in animo scriptum habere oporteret. Hoc, nimirum, est; debere eos diligentissimè describere Manuscriptos suos Codices, & illorum Characterum specimen quodpiam æri incisum edere, ut Lectores possint integrum Alphabethum cernere; quo cum antiquitatem Codicis intelligant, tum etiam de locis corruptis judicare possint. Sæpe enim non licet viris doctis eos MSS. adire, seu ob distantiam locorum, seu ob præfectorum Bibliothecis invidiam, aut inhumanitatem, seu ob alia impedimenta, quæ memorare nihil attinet. Sæpe tamen contingit, ut qui MSS. Codd. non viderunt eruditione multùm superent eos, quibus illos Codices evolvere licet; quo fit ut multa felicissimè emendent, quæ alios fugerunt. Plura autem sine dubio & certiùs peccata retegerent, & emendarent, si liceret ex forma ipsa Characterum conjecturam facere. Vixit olim in Anglia vir eruditus *Patricius Junius*, qui primus edidit Epistolam *Clementis* Romani, ex antiquissimo illo MS. Alexandrino, quem nè dignatus quidem est describere, cum hoc magni interesset. At tum vivebant extra Angliam plurimi, qui *Junio* haud paulò doctiores erant, & qui ex descriptione, qualem diximus, multa colligere potuissent, quæ vir bonus non potuit; qui quàm magnus Theologus fuerit nescio, sed perquàm modicè in rebus Criticis versatum fuisse, ex ejus Præfationibus & Notis, facilè intelligent omnes qui eas legent. Interea grato in eo nos animo esse oportet, qui quod potuit præstitit, si descriptionem Codicis, quo usus est, excipias.

CAPUT

CAPUT X.

Distinctionum omissionem multa Menda peperisse.

1. NEMO nescit longè maximum esse intelligendi auxilium, quod petitur ex accurata distinctione vocum, Periodorum, Commatum, & Colorum, qualem in libris potissimùm, qui à sesqui-sæculo eduntur, cernimus; ut jam taceam alia quæ de accentibus, majuscularúmque & minuscularum literarum distinctione inventa sunt. At veteres Librarii, ut nôrunt qui MSS. Codices antiquiores viderunt, hæc omnia sæpe negligebant. Grammaticorum aut Criticorum munus erat exemplaria, quæ recensebant distinguere. Hæc primùm probabimus, deinde exempla aliquot mendorum indidem natorum addemus.

2. Constat ex Inscriptionibus antiquissimísque MSS. plurima olim scripta, sine ullis prorsus distinctionibus; aut esse additum punctum, post omnes voces, aut post singulas dumtaxat clausulas. Sunt enim plurimæ Inscriptiones, sunt Codices non pauci, sine ullis punctis, aut distinctionibus; sunt in quibus singula verba puncto distinguantur; sunt denique in quibus periodi, aut longiores ῥήσεις distinctione quapiam sejunguntur. Certum tamen est non parum ad intelligentiam facere, non modò periodorum distinctiones, sed & cæteras omnes, quæ postea sunt inventæ, ut ostendemus.

3. De Inscriptionibus nihil dicam, quia in Collectionibus *Jan. Gruteri*, & aliorum singulæ pænè paginæ exempla suppeditabunt, aut etiam αὐτοψία. Exstat verò, de Pandectis Florentinis, testimonium *Ang. Politiani*, Miscellanearum Cap. XLI. *Volumen ipsum*, inquit, *Justiniani Digestrum seu Pandectarum, dubio procul archetypum, in ipsa Curia Florentina à summo Magistratu adservatur, magnáque veneratione, quamquam raro id etiámque ad funalia ostenditur. Est autem liber haud quota spoliorum prædæque Pisanæ portio, sæpe à Consultis citatus; majoribus characteribus,* NULLISQUE INTERVALLIS *dictionum, nullis item compendiariis notis; quibusdam etiam, saltem in præfatione, velut ab auctore planè, & à cogitante, atque generante potiùs quàm à librario & exceptore inductis, expunctis ac superscriptis; cum Græca Epistola, Græcóque etiam pulcherrimo Epigrammate, in prima fronte.* Id Epigramma sub-

ſubjicit, dein ita pergit, ut ſcias non ex aliorum narratione hominem loqui: *Cujus tamen voluminis legendi ac verſandi per otium, mihi eſt uni facta copia, Laurentii Medicis operâ.*

4. Similia animadvertere licet in Græcis Codicibus, non eorum dumtaxat, qui proſâ oratione uſi ſunt, ſed etiam Poëtarum. Idem *Politianus* Cap. LVIII. *Sibyllini verſus*, inquit *nunc quoque, apud Zoſimum, vetuſtiſſimis quidem codicibus, citra ulla faſtigia* (hoc eſt, ſine diſtinctione verſuum) *qualéſque de induſtria ſubjecimus, reperiuntur.* Inepti homines, qui præfuere editioni Miſcellaneorum *Politiani*, qualis habetur in Tom. I. Theſauri Critici *Jani Gruteri*, eos verſus diſtinxerunt, & interpunxerunt, ut ſolent hodie, ita ut ſibi conſtare *Politianus* non videatur; ſed ſunt adeundæ antiquiores Editiones. Certè jam olim ita deſcriptos Sibyllinos verſus colligere eſt ex *Suida*, in voce *Sibylla*: ὅτι δὲ οἱ στίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς καὶ ἄμετροι εὑρίσκονται, οὐ τῆς προφήτιδός ἐστιν ἡ αἰτία, ἀλλὰ τῶν ταχυγράφων οὐ συμφθασάντων τῇ ῥύμῃ τοῦ λόγου, ἢ καὶ ἀπαιδεύτων γενομένων καὶ ἀπείρων γραμματικῆς· *quòd verſus ejus imperfecti, & ſine metro inveniantur, ejus rei cauſa non eſt Prophetis, ſed notarii, qui impetum ſermonis ſequi non poterant vel qui ignari fuerunt, aut imperiti Grammaticæ.*

5. Sine diſtinctionibus aiunt eſſe antiquiſſimos illos Codices, ex quibus edita eſt Romæ verſio LXX. Intt. ut & Alexandrinum; quod non modò de diſtinctione commatum, qualis nunc habetur, ſed de omni prorſus diſtinctione intelligendum. Primus Libros Sacros interpungere aggreſſus *Hieronymus*. Sic ille, in Præfatione in Joſuam: *Monemus Lectorem, ut ſylvam Hebraïcorum nominum, & diſtinctiones per membra diviſas diligens Scriptor conſervet, nè & noſter labor & illius ſtudium pereat.* In Præfat. in Paralipomena: *quod nunc* DABRE JAMIM, *id eſt, verba dierum interpretatus ſum, idcirco feci ut inextricabiles moras, & ſylvam nominum, quæ Scriptorum confuſa ſunt vitio, ſenſuúmque barbariem apertiùs & per verſuum cola digererem; mihimet ipſi & meis, juxta Iſmeniam, canens, ſi aures ſurdæ ſunt cæterorum.* In Præfat. in Ezechielem: *Legite & hunc, juxta tranſlationem noſtram, quia per cola ſcriptus & commata, manifeſtiorem legentibus ſenſum tribuit.* Quartum etiam ejus locum, hâc de re, poſtea proferemus.

6. Obſervavit vir eruditus, quamquam ſæpe æquo acrior, & affectu peccans, *Joan. Morinus*, in Exercit. XVII. Operis de Hebræi, Græcique textûs ſinceritate, * *Antiquos tam Græcos, quàm Latinos, continuâ literarum ſerie ſcripſiſſe, nullis ſuper aut inter verba diſtinctionibus, aut accentibus adſcriptis.* Tum verò,

* *Num. V.*

verò, *ejusmodi*, inquit, *adhuc visuntur multi Codices, cùm Græci, tum Latini. Hoc modo Græcè scripta sunt majoribus, seu uncialibus literis, in Regia Bibliotheca S. Gregorii Nazianzeni opera. Epistolæ S. Pauli Græcè & Latinè, majoribus literis descriptæ eodem modo, conservantur in fratrum Puteanorum Bibliotheca, aliíque Codices alibi exstant, antiquum scribendi morem retinentes. Magna Pars librorum, qui ante centum, supra mille annos, scripti supersunt, est istiusmodi.*

7. Fatendum tamen est, ante hæc tempora, interpunctionem inventam fuisse, quâ non modò vocabula singula, interpositis punctis, secernerentur, sed etiam cola & periodi. Certè verba διαςίζειν & *interpungere* hoc significatu non potuere usurpari, nisi res inventa fuisset; nemo enim rei, quam non novit, nomen excogitaverit. Est insignis, hanc in rem, *Aristotelis* locus, quem sub finem hujus Capitis proferemus, ubi eo sensu occurrit vox διαςίξαι. *Cicero* * videtur significare suo tempore, in Orationibus, id jam fuisse observatum. *Clausulas*, inquit, *atque* INTERPUNCTA *verborum animæ interclusio, atque angustiæ spiritûs attulerunt.* Perspicuum est eum agere non modò de *clausularum*, seu finium periodorum distinctionibus, sed & de colorum; quid enim essent *interpuncta verborum*, præter membrorum interpunctiones? At paulò antea negat, iuquies, hoc Veteribus fuisse usitatum: † *Versus*, inquit, *Veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam adhibendos nobis esse putaverunt. Interspirationis enim, non defatigationis nostræ, neque* LIBRARIORUM NOTIS, *sed verborum & sententiarum modo*, INTERPUNCTAS *clausulas in Orationibus esse voluerunt.* At hoc vult *Cicero*, veteres Rhetoras voluisse, non tam *notas Librariorum*, quàm divisionem colorum & sententiarum, spectari in interspirationibus; unde liquet, eas *notas* non fuisse inusitatas. *Justus* quidem *Lipsius*, * in Epistola, in qua de Interpunctione agit, prolato posteriore loco *Ciceronis*, & priore dissimulato, ait eum *altrovorsum duci planissimè posse; quasi dicat Veteres ideò non usurpasse in clausulis interpuncta, nè ea potiùs quàm modum & modulum, in verbis, considerarent.* Sed *Cicero* non dixisset Veteres noluisse interspirationes esse, pro *interpunctionibus* & *notis Librariorum*, si nullæ fuissent, sed fuisse ignotas, nec interspirandi ulla habuisse eos indicia, præter sententiam verborum, & constructionis perfectionem. Res est clara, sed en *Hieroymi* locum, quo mirum in modum

* *De Oratore L. 3. c. XLVI.* † *Ib. c. XLIV.* * *Cent. 3. Miscell. Ep. XXXIX.*

con-

confirmatur. Ita loquitur in Præfatione Esaïæ: *Nemo cùm Prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos æstimet apud Hebræos ligari, & aliquid simile habere de Psalmis vel Operibus Salomonis; sed quod in Demosthene & Tullio fieri solet, ut per cola scribantur & commata, qui utique prosâ & non versibus conscripserunt: nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam novo scribendi genere distinximus.* Ut, nimirum, Rhetores solebant in gratiam Discipulorum interpungere Scripta Oratorum, ut intelligerent adolescentes ubi essent moræ interponendæ: ita etiam *Hieronymus* fecit, in usum eorum, qui legebant Scripturam. Quid velit autem *Hieronymus*, videre licet in eleganti Editione Canonis Hebraïci, quam curârunt nuper Lutetiæ *Benedictini Monachi.* Scripsit etiam * *Claud. Salm.* in Bibliotheca Regis Galliæ, exstare Codicem Tusculanarum Quæstionum, manu exaratum satis magnæ vetustatis, in quo non ordine continuò, sicut in aliis tralatitium est, libri descripti feruntur; sed saltuatim per inæquales periodos, eo prorsus modo, quo Biblia sacra videmus.

8. Ad hoc interpunctionis genus crediderim respicere *Senecam* Ep. XL. sive Lib. V. Ep. V. ubi ostendit virum gravem non decere nimis celerem orationem; eósque castigat qui, uno veluti spiritu, quæ pronunciabant recitare videbantur. *Q. Haterii cursum*, inquit, *suis temporibus oratoris celeberrimi, longè abesse ab homine sano volo. Numquam dubitavit, numquam intermisit; semel incipiebat, semel desinebat. Quædam tamen & nationibus puto magis, aut minus convenire. In Græcis, hanc licentiam tuleris; nos etiam cùm scribimus,* INTERPUNGERE *consuevimus.* Hæc *M. Ant. Muretus* & *Just. Lip.* intelligunt de interpunctione post singula verba; & *Muretus* quidem, *omnia*, inquit, *scribebant Veteres iis literarum formis, quas hodie majusculas vocamus. Neque ulla ferè erant inter singulas voces intervalla. Punctis interjectis, vocem à voce distinguebant, hoc modo:* QUAMQUAM. TE. MARCE. FILI. Non nego ita persæpe esse factum, idque ex Veteribus monumentis liquet, sed semper non puto. In hoc *Senecæ* loco, ubi de Oratore sermo est, videtur interpunctio per cola, & periodos significari; in iis enim locis interspirare oportet Oratorem, non post singula verba, aut ubicumque visum fuerit. Puncta, qualia memorat *Muretus*, hunc tantùm usum habebant, ut nè voces miscerentur; non ut docerent, ubi interspirandum, aut mora interponenda esset.

* *Prolegom. in Solinum, sub finem.*

9. Sed & in instrumentis publicis ac privatis, Jurisconsulti solebant diligenter interpunctiones curare, ut significat *Cicero* in * Oratione pro Murena, ubi ita de Jurisprudentia: *Primùm dignitas, in tam tenui scientia, quæ potest esse? Res enim sunt parvæ, propè in singulis literis, atque INTERPUNCTIONIBUS verborum occupatæ.* Ad quæ verba ita *Lipsius*, in Epistola memorata: *Locus alter dicat, Juris interpretes in minutis occupari, scrutari in Contractibus apices literarum, & puncta verborum; quia nempè, ambigua sæpe hæc ista & ad anteriora aut sequentia ducenda. Id enim eveniebat in illis solitariis punctis, quæ verba, ut dixi, singula non membra, aut sensus, secernebant.* Atqui ex omissione ejusmodi puncti, non magna nascitur ambiguitas, nec additione tollitur; sed subinde maxima est, nisi partes orationis distinguantur, quod cavere conabantur Jurisconsulti. Nulla est ars, in interpungendis singulis verbis, iis qui Linguam tenent; sed est aliqua in dividendis aptè membris & periodis, cùm & permultos in ea re peccare videamus, cúmque plurima loca propterea non intelligantur, in Scriptis Veterum. Itaque capienda sunt verba *Ciceronis*, de hac posteriori interpunctione; & ita capit vir eloquentissimus *Aonius Palearius*, in Oratione in † L. Murenam, quam Ciceronianæ pulcherrima æmulatione opposuit. Dignus est locus, qui legatur.

10. Sed *Lipsium* ex ipso *Lipsio* confutemus, cùm præsertim hoc ad nostrum institutum pertineat. *Franc. Raphelengium* de MS. suo Codice Tragœdiarum *Senecæ*, ita monet ∵ : *Illud te moneo, interpunctiones & discrimina esse; quorum cùm in ejusmodi subtilioribus Scriptoribus* GRANDE MOMENTUM *sit, tu vide ut concinnes.* In monitis, quæ præfixit suis Politicis, ita alloquitur Lectorem: *Ut distinctiones observes, id est, in fine cujusque clausulæ cola posita, semicola, puncta aut bipuncta. Nam pro his, sententia tibi tota terminanda est, scilicet aut sustentanda.* In Introductione verò ad *Senecam*: *Alterum*, inquit, *quod à me propriè imputo, est interpunctio, & sensuum, verborúmque distinctio; quæ confusa, aut indecora antea in* Seneca —— *Præter lucem sententiæ, quam largiter infudimus, faciem eloquentiæ reddidimus, uberis illius & profluentis.* Si tanti momenti sit interpunctio, quali nunc utimur, an credibile est veteres Jurisconsultos, quorum erat cavere nè qua in Contractibus esset ambiguitas, aliud nihil curâsse, nisi ut singula vocabula essent

* *Cap. XI.* † *Pag.* 25. *Editionis nuperæ Amstelodamensis.* ∵ *Præf. Anim. in eas Tragœdias.*

punctis diviſa; quod maximas ambiguitates ex oratione nequaquam exterminat; præſertim, cùm jam inventæ à librariis eſſent notæ, quibus verba & clauſulæ interpungebantur, ut ex *Cicerone* oſtendimus?

11. Ejuſmodi interpunctionem intelligi à *Suëtonio* crediderim, ubi dicit à *Valerio Probo* multa exemplaria *diſtincta* fuiſſe. Locum * antea attulimus, nec repetere neceſſe eſt. Similem laborem ſuſcepit *Nicanor*, Grammaticus Alexandrinus, ſub Hadriano, qui varios libros ſcripſerat περὶ στιγμῆς καθ᾽ ὅλου, *de interpunctione universè*, & περὶ στιγμῆς παρ᾽ Ὁμήρῳ καὶ περὶ Καλλιμάχῳ *de interpunctione apud Homerum & Callimachum*; qua de cauſa στιγματίας, quaſi *Interpuncto*, dictus erat.

12. Quæ cùm ita ſint, fatendum interpunctionem Veteribus non fuiſſe ignotam; at nec minùs certum ſæpiſſimè fuiſſe neglectam, ut antea oſtendimus. Certè in Græcis & Latinis Scripturæ Codicibus, ante ævum *Hieronymi*, planè omiſſa fuerat. Quâ omiſſione, lectio diſtincta Scripturæ difficilis fiebat, nec committi publicè poterat hominibus prorſus indoctis. Ac ſanè *Caſſiodorus*, Præf. in divinas † lectiones, obſervat *Hieronymum ſimplicium fratrum conſideratione pellectum, in prophetarum præfatione dixiſſe, ſe propter eos qui diſtinctiones non legerant apud Magiſtros ſæcularium literarum, colis & commatibus tranſlationem ſuam, ſicut hodie legitur, diſtinxiſſe. Quod nos quoque*, ſubjicit Caſſiodorus, *tanti viri auctoritate commoti, ſequendum eſſe judicavimus, ut cætera diſtinctionibus ordinentur ---- Reliquos verò Codices, qui non ſunt tali diſtinctione ſignati, Notariis, diligenti tamen curâ ſollicitis, relegendos atque emendandos reliqui.*

13. Cùm ergo Scriptores non diſtinxiſſent ut plurimùm Scripta ſua, ea cura ad alios devoluta eſt, ſeu Grammaticos, ſeu Notarios, ut loquitur *Caſſiodorus*, hoc eſt Librarios Grammaticis multo imperitiores, qui perſæpe malè diſtinxerunt quæ non ſatis adſequebantur. Proferebamus modò verba *Lipſii*, *Senecam* malè habitum ab iis querentis, & inter ea, quæ præſtitit in Editione Senecæ, interpunctionem non ultimo loco ponentis. Aliquot tamen exempla ſubjiciemus.

14. Ita loquitur *Craſſus*, apud *Ciceronem*, Lib. III. de Orat. C. 13. *Prætereamus igitur præcepta Latinè loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & ſubtilior cognitio, ac ratio literarum alit, aut conſuetudo ſermonis quotidiani ac domeſtici libri confirmant, ac lectio veterum Oratorum ac Poëtarum.* Sic

* *Cap. II. §. 21.* † *Vide & Cap. XII. ejuſdem operis.*

lego in duabus Editionibus, quæ sunt ex Gruteriana expressæ; alias consulere nunc non vacat. At sine dubio *domestici* debet sejungi à sequente voce *libri*. *Quotidianus ac domesticus sermo* dicitur, quem habemus cum iis quibuscum vivimus, cujus non semel meminit *Cicero*, in his libris, & cujus mentionem fecerat in superioribus verbis, ubi de Lælia. At *domesticos libros* nescio an ullus umquam dixerit. Est ergo interpungendus locus, hoc modo: *domestici, libri*, &c. hoc enim vult Cicero: *præcepta Latinè loquendi alit cognitio literarum, aut consuetudo sermonis domestici, confirmant libri*, &c.

15. *Liv.* Lib. III. C. 11. ita describit Cæsonem Quintium: *Ferox juvenis, quâ nobilitate gentis, quâ corporis magnitudine ac viribus. Ad ea munera data à Diis, & ipse addiderat multa belli decora, facundiámque in foro; ut nemo, non linguâ, non manu promptior, in civitate haberetur.* Ita hic locus vulgò iuterpungitur, ex qua interpunctione dici posset *nemo non manu promptior fuisse* Cæsone, nam *promptior* conjungitur cum *manu*; quod menti *Livii* planè contrarium est qui, Cæsone quemquam manu promptiorem fuisse negat. Itaque sic interpunge: *ut nemo, non linguâ, non manu, promptior*, ut *promptior* conjungatur cum *nemo*; nam ordo est: *ut nemo haberetur promptior in civitate, non manu, non linguâ.*

16. At, inquies, an hoc est tanti? Ego verò nihil spemi debere puto, quod ad perspicuitatem orationis conferat; & ut aliud nihil esset interpunctionis cura negligi non deberet. Sed præterea viri docti sæpe delusi, omissione distinctionis, voluerunt violentas manus inferre Veterum Scriptis. Exemplum suppeditabit *Dion. Lambinus* Lib. I. de Oratore C. 59. ita loquitur *Antonius*: *Quid est Oratori tam necessarium, quàm vox? Tamen, me auctore, nemo dicendi studiosus, Græcorum more, & Tragœdorum voci serviet, qui & annos complures sedentes declamitant*, &c. In his verbis mendum esse credidit *Lambinus*, quòd deesset distinctio, qua * de causa, invitis libris, legit, *Græcorum more, Tragœdorum voci serviet*, &c. deletâ copulâ; quasi, nempe, *voci* conjungendum esset cum *Tragœdorum*. Sed ita interpungendum: *nemo dicendi studiosus, Græcorum more & Tragœdorum, voci serviet*, &c. ordo est: *nemo voci serviet, more Græcorum & Tragœdorum, qui annos*, &c.

17. Imò verò interpunctio vitiosa fecit ut, in locis Scripturæ, ea interdum quærerentur, quæ iis inesse nemo somniâsset, si rectè interpuncta fuissent. Hæc sunt verba Pauli

* *Vide Jan. Gruterum, ad hunc locum.*

1 Tim.

1 Tim. III. 15. Ἐὰν δὲ βραδύνω, ἵνα εἰδῇς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. 16. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. 15. *Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi. Columna & firmamentum veritatis.* 16. *Et manifestò magnum est pietatis mysterium.* Post ζῶντος *vivi* debet esse τελεία στιγμὴ, hoc modo: *quæ est Ecclesia Dei vivi. Columna & firmamentum veritatis, & manifestò magnum est*, &c. ita ut summa Evangelicæ doctrinæ, quæ sequitur dicatur esse *Columna*, &c. non *Ecclesia*. Rem non probabo, quia dudum probata est à pare nobilium Athletarum *Sim. Episcopio* Institut. Theolog. Lib. I. S. I. c. 8. & *Joan. Camerone*, cujus rationes vide in Myrothecio. Adversatur quidem iis *H. Grotius* quòd illud τὸ, quòd ponitur ante τῆς εὐσεβείας μυστήριον, ostendat novum esse sensum, non titulorum cum sequentibus continuationem, & illud μυστήριον, poni *subjectivè*, non *prædicativè*, ut loquuntur Scholæ. Sed vir summus non vidit ordinem verborum hunc esse: τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριόν ἐστι στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα, *Mysterium pietatis est columna*, &c. Quod si attendas, suo sibi gladio confoditur vir maximus; qui si in Hollandia scripsisset suas Adnotationes, aliter fortè sensisset.

18. Libri VIII. Constitutionum Apostolicarum Cap. 46. ita definit: *Igitur etiam Philippus & Ananias non se ipsi constituerunt, sed electi sunt*, ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀρχιερέως ἀσυγκρίτου Θεοῦ. Si comma ponas, post ἀρχιερέως, vertes cum *Joan. Bapt. Cotelerio Pontifice, Deo incomparabili.* Sin verò, sic interpretaberis: *pontifice maximo Dei incomparabilis*, ut sine dubio vertendum, cùm Christus alibi sæpe, & in hoc ipso Capite, dicatur ἀρχιερεὺς Θεοῦ. Scriptor hic si voluisset quod habet *Cotel.* interposuisset conjunctionem καὶ, præsertim in fine orationis. Præterea homo Arianus, ut multis ex locis liquet numquam Christum vocâsset ἀσύγκριτον Θεὸν, *incomparabilem Deum.* Titulus is erat solius Patris, ex Arianorum sententia.

19. Non hodie, atque heri Critici animadverterunt interpunctionem non levi esse ad intelligendum subsidio. *Aristoteles* ipse, qui Criticæ conditor perhibetur, questus est *Heracliti* Scripta, ideò esse obscura, quod difficulter interpungi possent. Sic loquitur Rhetoricorum Lib. III. c. 5. Ὅλως δὲ δεῖ εὐανάγνωστον εἶναι τὸ γεγραμμένον, καὶ εὔφραστον, ἔστι δὲ τὸ αὐτὸ, ὅπερ οἱ πολλοὶ σύνδεσμοι οὐκ ἔχουσιν, οὐδ' ἃ μὴ ῥάδιον ΔΙΑΣΤΙΞΑΙ, ὥσπερ τὰ Ἡρακλείτου. τὰ γὰρ Ἡρακλείτου διαστίξαι ἔργον, διὰ τὸ ἄδηλον εἶναι ποτέρῳ πρόσκειται, τῷ ὕστερον, ἢ τῷ πρότερον, οἷον ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ τοῦ συγγράμματος, φησὶ γὰρ, τοῦ λόγου τοῦδ' ἐόντος αἰεὶ

αἰεὶ, ἀξύνετοι ἄνθρωποι γίγνονται. ἄδηλον γὰρ τὸ αἰεὶ, πρὸς ὁποτέρῳ διαστίξαι· *Omnino oportet autem facilè legi & proferri posse quod scriptum est. Est verò ejusmodi id quod multæ conjunctiones non continent, & quod non facile est* INTERPUNGERE, *ut scripta Heracliti. Nam scripta Heracliti interpungere operosum est, quia incertum utri vox conjungenda, an priori, an verò posteriori, ut in principio ipsius libri; ait enim:* rationis hujus quæ est semper imperiti homines nascuntur; *incertum enim est illud* semper *utri interpunctione conjungas.*

20. Ex hoc loco tria colligere licet, 1. *Aristotelis* ævo ignotam non fuisse *interpunctionem*, quamvis non semper adhiberi soleret; ut apparet ex eo quòd nomen ejus inventum esset, nam διαστίξαι non est propriè voce distinguere, sed στιγμαῖς *punctis*: 2. non fuisse tamen semper adhibitam, cùm *Heracliti* Scripta non essent interpuncta: 3. facillimè posse à sensu Scriptoris abire, qui eum interpungunt, nisi sint homines attenti & rei & Linguæ periti.

21. Cùm Accentus & Spiritus Græcorum videantur ideò partim figuris expressi, ut faciliùs verba nequaquam interpuncta distinguerentur; hîc possemus agere de mendis, quæ orta fortè sunt ex mala Accentuum ac Spirituum positione. sed cùm multò rariora sint ejusmodi peccata, nec sæpe sensum mutent, uno aut altero exemplo contenti erimus. *Homerus* Iliad. Ψ. vers. 28. inducit Nestorem metam describentem, dicentémque esse *lignum siccum.*

Ἢ δρυὸς, ἢ πεύκης, τὸ μὲν ΟΥ καταπύθεται ὄμβρῳ.

Cùm neque Accentus olim essent, neque Spiritus fuerunt qui dicerent legendum οὗ, & vertendum, *ubi illud quidem corrumpitur pluviâ*; ac sanè certum est utrumque illud lignum, sed præsertim *piceæ*, *pluviâ putrefieri.* Alii verò contenderunt legendum, ut hodie legimus, οὐ, *non corrumpitur pluviâ*, hoc est, non tam citò, si siccum sit, quod antea dixit *Homerus.* Ambiguitatem illam notat *Aristoteles* de Poëtica Cap. XXV. aitque *Hippiam* Thasiam ex Prosodia ambiguitatem sustulisse; nempe sine circumflexo scribendo. At idem de Argument. Sophisticis Lib. II. c. 3. ait perpauca sophismata posse ex accentibus seu in scribendo, seu in loquendo nasci; utitúrque iterum eadem ambiguitate voculæ ΟΥ. Quod non est ita capiendum, quasi non sint multæ voces, quæ, mutatis spiritibus & Accentibus, diversa non significent; sed quòd ipsa pronunciatio, si loquatur quispiam, aut series orationis, in scriptione, satis ostendat quomodo sint voces illæ intelligendæ. Sunt enim plus quàm ducentæ, quæ solent sub-

subjici Lexicis, pro accentuum & spirituum varietate varia significantes.

22. Ubi verò, in Scriptis, series orationis certam significationem non postulat, ibi nascitur ambiguitas, quæ Accentus & Spiritus adscribentibus erroris causa esse potuit. Sic Marci XI. 13. dicitur Christus *vidisse à longe ficum habentem folia, & venisse si quid forte inveniret in ea, & cùm venisset ad eam, nihil invenisse præter folia*, ΟΥ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων. Queritur hîc, an ΟΥ sit negativa, an verò affirmativa, quia utrimque sunt difficultates. *Dan. Heinsius*, non infimi subsellii Criticus, censet legendum οὗ, hoc sensu *ubi enim erat tempestas ficuum*; atque his nititur rationibus, 1. quòd Evangelista numquam dixisset Christum ivisse quæsitum ficus, *si forte essent*, tempestate quâ nondum erant, cùm Christus falli non potuerit: 2. quòd Christus non damnâsset arborem, eò quòd alieno tempore non habebat ficus. At alii objiciunt potissimùm ordinem verborum, qui hîc deberet esse, si *Heinsii* vera esset conjectura: *venit si quid forte inveniret in ea, ubi enim erat, tempestas erat ficuum; & cùm venîsset ad eam nihil invenit, præter folia.* At similis planè trajectionis exemplum extat, in hoc evangelio Cap. XVI. 3, 4. *Et dicebant adinvicem, quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti; & respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.* Manifestum est quatuor hæc postrema verba oportere subjungi voci *monumenti*; neque enim mulieres dicuntur vidisse revolutum lapidem, quia magnus erat, sed quæsivisse quis sibi eum revolveret, eâ de causâ. Verùm hanc litem nostram non facimus, & nonnulla ad loci hujus intelligentiam congessimus, in additamentis ad *H. Hammondi* Adnotationes.

23. Locus hic postularet ut ostenderemus, pro more nostro Hebraïca cum Latinis & Græcis conjungendi, antiquissimos Hebræos caruisse etiam distinctionibus; ac proinde potuisse Massorethas, qui distinctionum notas invenerunt, ea in re peccare. Verùm hoc ipsum colligere est ex eo quod ostendimus, *Hieronymum* primum in Cola, & Commata divisisse Libros Sacros; si enim Septuaginta Intt. in suis Codicibus simile quidquam invenissent, sine dubio rem commodissimam non neglexissent; *Hieronymúsque* se, aut illorum auctoritate, aut saltem Hebræorum defendisset, contra eos qui id carpebant. Imò verò Hebraïcas distinctiones sequutus esset, quod nequaquam fecit. Sed hâc de re multis egerunt viri doctissimi, *Lud. Capellus* in Arcano Punctationis, & *Joan. Morinus* in Exercitationibus Biblicis; quorum rationibus qui non permoventur, ii Criticæ numquam litârunt. Duo ex-

empla distinctionum, à Massorethis non bene collocatarum, attulimus in Indice in Pentateuchum, Gen. XXIII. 18. XLIX. 4. ad quæ vide, si lubet, quæ scripsimus.

CAPUT XI.

Ex compendiaria scriptura multa esse nata Menda.

1. QUI versârunt veteres Codices, sæpe animadverterunt Librarios, sive ex festinatione, sive ex prava consuetudine, pro integris vocibus, aut earum initium dumtaxat, puncto addito, scripsisse; aut syllabas in media voce omissas, impositâ lineolâ, supplevisse, aut etiam nullum compendiariæ scriptionis indicium addidisse. Hinc factum ut Librarii, aut etiam Critici, qui ea compendia non adsequebantur, malè quod deerat suppleverint, aut integrum putârint quod mutilum erat. Huc etiam referri possunt numeri, in quos irrepsere menda, quia literis, vel notis Arithmeticis descripti erant; in quas menda irrepere facilè potuerunt, quæ admissa numquam fuissent, si integris vocibus expressi fuissent numeri. Horum omnium exempla aliquot sunt in medium proferenda.

2. Sunt nomina propria, quæ eâdem syllabâ inchoantur, inter se mista; quod fieri non potuisse videtur, nisi quia Librarii festinantes syllabam unam, aut alteram, vel secundæ literam scribebant, addito puncto, pro integro nomine. Exempli causâ, variarum sententiarum fragmentis, quæ cùm apud *Joan. Stobæum*, tum alibi exstant, præfixum olim fuit aut subjectum Φιλ. quod cùm non assequerentur aut Librarii aut Grammatici, ex eo compendio fecere nunc *Philemonem*, quod nomen est celeberrimi Comici æmuli *Menandri* nunc *Philistionem*, quod est nomen Pantomini qui sub Augusto vixit; nunc *Philetam*, qui Elegias & Epigrammata scripserat.

3. Græculus qui concinnavit comparationem *Menandri* & *Philemonis* quam primus edidit *Nic. Rigaltius*, tum auctiorem reposuit *Jan. Rutgersius*, *Philistionem*, non aliâ de causâ, pro *Philemone* auctorem variarum sententiarum fecit; ut judicârunt tres coævi Critici, non è vulgo, qui eam comparationem notulis illustrârunt. Primus est *Rutgersius* Var. Lect. Lib. IV. c. 12 cujus hæc sunt verba: *Horum nominum confusio inde videtur orta, quòd auctoris nomen primis tantùm literis designatum erat, hoc modo:* PHIL. *unde hæsitans Librarius*

brarius nunc Philemon, *nunc* Philiſtion, *nunc* Philetas *fecit, quod apud Stobæum pæne perpetuum eſt.* Alter eſt *Dan. Heinſius*, qui ita *Rutgerſium* alloquitur: *Quæ Philiſtioni adſcribuntur hîc, adſcribenda Philemoni verè ſimul, atque acutè obſervatum eſt à te, frater jucundiſſime, idque ex errore literarum eſſe natum; quòd* Philiſtion, Philemon, *&* Philetas *iiſdem primis elementis ſcriberentur, velut ipſe is locus, qui divitiarum atque paupertatis comparationem habet, perperam* Philetæ *à Stobæo adſcribitur.* Horum judicio ſuffragium ſuum adſcribit *H. Grotius* * in notis ad excerpta ex Menandro.

4. Hac ex conſuetudine Librariorum, natum eſſe ſuſpicor mendum, quod à multis ſæculis inſedit Act. VII. 16. ubi *Abrahamus* dicitur *emiſſe ſepulchrum à filiis Emmor patris Sichem*, cùm à *Jacobo* ab iis agrum emptum liqueat ex Gen. XXXIII. 19. Scriptum fuiſſe videtur emptoris nomen, hoc compendio IAB. quod erat interpretandum Ἰακὼϐ, at exſcriptor credidit eſſe initium vocis ABPAAM, ſeu deletum eſſet I. lapſu temporis, ſeu mendosè additum judicavit. Itaque ſcripſit Ἀϐραὰμ, quem in errorem facilius incidit, quòd reverâ *Abrahamus* emiſſet ſepulchrum, ſed alibi, & ab aliis, ut docet Moſes Gen. XXIII.

5. Certum eſt ejuſmodi compendium ſæpe in MSS. inveniri, quo primæ & ultimæ literæ conjunguntur, cujus exemplum ex *H. Grotio* attulimus Cap. VII. §. 3. Sic † viri docti animadverterunt in MSS. *Diogenis Laërtii* Lib. IX. §. 10. Leucippum vocari Μήλιον, qui *Clementi* Alexandrino, & *Epiphanio* dicitur Μιλήσιος. Compendii causâ, ſcriptum videtur Μλιος, unde alii *Melium* fecerunt, alii *Mileſium*. Sic & Diagoras, qui *Melius* à pleriſqe dicitur, & fuit *Chryſoſtomo* in Hom. IV. in 1. ad Corinthios eſt *Mileſius*.

6. Similiter in vita *Dinarchi*, à *Dionyſio* Halicarnaſſeo Scripta, laudatur Δῆμος ὁ Μάγνης, ὃς ἔδοξε γενέσθαι πολυΐστωρ, ἐν τῇ περὶ τῶν ὁμονύμων πραγματείᾳ, *Demus Magnes, qui Polyhiſtor exiſtimatus eſt, in opere de homonymis.* Legendum ait *Iſaac. Caſaubonus* ∴ Δημήτριος; quo nihil certius, cum *Diogenes Laërtius Demetrium Magnetem*, pluſquam quindecies laudet, in opere de Homonymis, aliíque; *Demum* verò *Magnetem* nemo. Addit *Caſaubonus*: *Error natus eſt ex compendio ſcripturæ, tales ſunt in bonis Scriptoribus infiniti.* Non modò compendium ſcripturæ fuit, ſed nulla planè ejus nota adſcripta videtur; quam ſine dubio animadvertiſſet vir doctiſſimus *Pet. Victorius*, qui eum libellum *Dionyſii* primus è MSS. Codicibus edidit.

---

* *Pag.* 989. † *Vide Æg. Menagii obſervationes.* ∴ *In not. ad Diog. Laërt. Lib.* VI. §. 80.

7. Idem

7. Idem *Casaubonus*, eodem loco, existimat indidem factum esse, ut pro *Sosicrate* apud *Diogenem* loco indicato, legamus, *Socratem, in primo de successione*; sed crediderim potiùs Librarium non satis attentum, pro nomine minùs noto *Sosicratis*, audîsse celeberrimi Philosophi appellationem, eámque pro altera scripsisse; quod peccatum nimis quàm frequenter à Criticis admissum constat, ut postea ostendemus.

8. Compendiaria scriptura peperit mendum in *Liv.* Lib. XXXVII. c. 24. ubi narrato initio pugnæ navalis Rhodiorum cum Annibale, quam non sine tumultu inierant Rhodii, ita pergit: *Sed momento temporis & navium virtus, & usus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempsit.* Miror viros doctos non vidisse legendum NAVALIUM, nempè, sociorum, ut solet loqui *Livius*, hoc est, *remigum*. Nemo *navibus* tribuerit *virtutem*, & *usum rei maritimæ*; nec dixeris *naves* metonymicè sumi pro *navalibus*, nam possit fortè hoc fieri, si vox sola sit; sed non cum adjunctis, quæ nonnisi hominibus conveniant, qualia hîc occurrunt.

9. Inter compendia scripturæ, referri possunt, ut diximus, numeri non integris vocibus sed literis, aut notis descripti, in quibus sæpissimè peccatum esse conqueruntur passim Critici; præsertim cùm de annis Olympiadum, aut urbis Conditæ loquuntur. Facile esset ingentem copiam locorum exscribere, nec difficile est intellectu literis aut notis non satis eleganter pictis legentes sæpissimè falli potuisse. Observabo dumtaxat videri etiam veteres Hebræos literis numeros expressisse, unde natæ ἐναντιότητες, quæ sunt inter Chronologias Librorum Regum & Paralipomenon. Si enim integris vocibus scripsissent, numquam futuræ fuissent tot discrepantiæ. Scio viros eruditos * omnem movere lapidem ut eas tollant; sed palam est eos operam plerumque ludere, si inter se eorum interpretamenta conferantur. Maluerunt, nimirum, Rabbinis credere, hominibus vanis; quàm oculis & rationi, quæ docebant menda esse Librariorum. Nam quod dicunt timere se nè, si fateantur menda esse in Veteris Testamenti Libris, actum sit de ejus auctoritate; id primùm est prodere eam auctoritatem, quam se defendere profitentur, non quòd eam compertam habeant, sed quia ita expedit; non amore & fiduciâ veri, sed quia ita consuerunt. Deinde quod omnes fatentur de Novo Testamento, qui id Græcè legerunt, & editiones hodiernas cum veteribus Codicibus contulerunt, ut ostendimus Cap. VI. & postea etiam pluribus confirmabimus;

* *Vide Salom. Glassium Lib. I. Philologiæ Sacræ, & contrà sentientem doctiss. virum Job. Ludolfum Comment. in Hist. Æth. Lib. I. num.* 28.

quodque

quódque à nemine judicatur auctoritatem Novi Testamenti minuere; id, quia ita volunt Rabbini, contendere contumeliosum esse Veteri, & periculosum, Judæi est, non Christiani; imò, ut verum dicam, stulti, aut hominis nequam, qui aut judicat de eo quod nescit, aut contrà quàm credit loquitur. Hoc paulò acriùs dicendum fuit, ut homines imperiti, aut mali desinant tandem fictâ pietate suam imperitiam aut nequitiam tegere, & Christianam Religionem Judæis atque Atheis prodere, dum eam defendere videri volunt.

10. Hæc cùm ita sint, proferam insignem locum Danielis, in quo peccatum fuisse necessariò oportet in numeris; quod facilè fieri potuit, si literis notarentur, multò difficiliùs si integris vocibus. Angeli verba ad Danielem, anno tertio Cyri Persarum Regis, habita, ut liquet ex Cap. X. 1. hæc sunt Cap. XI. 2. *Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside & quartus amplioribus opibus ditabitur, quàm omnes, & cùm invaluerit opibus suis, concitabit omnes contra regnum Javanis.* 3. *Exsistet autem Rex potens, & amplam habebit ditionem, faciétque pro arbitratu suo.* 4. *Cùm verò exstiterit, conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli, non verò posteris ejus*, &c. Regnârunt ordine, post Cyrum, *Cambyses*, *Smerdis Magus*, *Darius Hystaspides*, & *Xerxes*. Hic est quartus à Cyro, in quem primâ fronte quadrare videntur quæ habet Propheta; fuit enim potentissimus Persarum Regum, qui hactenus fuerant, & omnes populos imperii sui contra Græcos concitavit: ut nôrunt omnes, qui non sunt in hisce rebus planè hospites.

11. Attamen alium designari necesse est, quia Angelus loquitur de duratione Imperii Persici, déque numero Regum, qui post Cyrum regnaturi erant. Hoc ex ejus orationis initio apparet: *tres Reges stabunt ADHVC in Perside, & quartus*, &c. tum etiam ex vers. 3, & 4. ubi de Alexandro eversore Imperii Persici. Absurdum itaque esset dicere *tres adhuc* futuros Reges, & surrecturum *quartum*, atque in illo consistere, quasi esset ultimus, post quem novem regnârunt; ac, prætermissis illis, ad eversorem ejus imperii subitò transire; clarè enim Alexander describitur vers. 3, & 4. & successores ejus in sequentibus. Respondet quidem *Hieronymus*, in hunc locum, *non curæ fuisse spiritui prophetali Historiæ ordinem, sed præclara quæque perstringere.* At curæ esse debuit Angelo, durationem Imperii Persici revelaturo, numerum integrum Regum post Cyrum regnaturorum edere; nè hiulcum esset vaticinium, & suspectum apud posteros, præsertim Ethnicos, fieret, quasi ab homine imperito historiæ Persicæ fictum. *Hugo* verò *Grotius* existimat mentionem fieri

fieri Xerxis, ut appareat, *non ſine cauſa probabili, Alexandrum poſtea iviſſe in Perſas.* Verùm hac reſponſione non magis ſatisfit iis, quæ modò dicebamus, quàm Hieronymianâ. Quartus ergo ille Perſarum Rex, qui potentiſſimus omnium deſcribitur, & dicitur concitaturus omnes contra Græcos, aut *regnum Javanis*, eſt Darius Codomannus; qui & ditiſſimus fuit, cùm ad eum congeſtæ per multos annos Perſicorum Regum Gazæ pervenerint; & omnibus Imperii Perſici viribus, cum Alexandro conflixit. At quomodo poteſt hîc dici quartus, cum inter Cyrum & illum duodecim Reges fuerint, apud Perſas?

12. Hæc cum videret *Joannes Lightfootius*, diligens quidem Rabbinicorum Scriptorum lector, atque excerptor, ſed qui Magiſtris illis ſæpe multò acutior non eſt, eò devenit ut diceret * " fuiſſe tantum quinque Perſarum Reges, Cyrum, nempè, " & poſt illum quatuor; unde facile eſt colligere, ut putat, " quantopere à vero calculo aberraverint Hiſtoriæ Ethnicæ, " quæ in Perſico Regno quatuordecim ſucceſſivè Reges enu- " merant, & ducentos ei durationis annos tribuunt. Neſciebat bonus vir accuratam ſingulorum illorum Regnorum Chronologiam tradi, & à Græcis res geſtas eorum ita narrari ut ſuas cum illis conjungant; quod potuiſſet ex *Seth. Calviſio* aut *Dionyſ. Petavio* diſcere, qui accuratiſſimi Chronologorum cluent, ut alios innumeros omittam.

13. Ita verò habent verba Angeli Hebraïce: הנה עוד שלשה מלכים עומדים לפרס והרביעי יעשיר עושר גדול מכל וכחזקתו בעשרו יעיר הכל את מלכות יון: Aliquando conjecimus poſt vocem שלשה *quatuor* excidiſſe vocem עשר *decem*, & poſt רביעי *quartus* vocem עשירי *decimus*; mendúmque ita irrepſiſſe, ut primum Librarius omiſiſſet עשירי, ob ſimilitudinem vocis ſequentis יעשיר *ditеſcet*; unde poſtea factum eſſet, ut עשר *decem* deleretur, quia *quartus* non poteſt ſequi *decimum tertium.* Nunc veriſimilius videtur numeros ſcriptos fuiſſe literis & prius quidem fuiſſe יג hoc eſt, 13. poſterius vero יד hoc eſt, 14. Facillime enim fieri potuit ut י literarum minima, aut utrobique exciderit ſimul, aut primum in alterutro loco, quo factum fuerit, ut & in altero deleretur.

14. Senſus eſt perſpicuus & certiſſimæ Chronologiæ Græcorum conſentaneus: *Adhuc tredecim Reges ſtabunt in Perſide;* numerato, nempe, ipſo Cyro, qui diu poſt hanc prophetiam ſuperſtes fuit; *& decimus quartus amplioribus opibus ditabitur quàm omnes*, &c. qui eſt, ut diximus, *Darius Codomannus*,

* *In Deſcr. Templi Jeroſolymitani. C. XL. Sect.* 1.

qui decimus quidem tertius est, si numeres à Cyro, sed decimus quartus, si à *Cambyse* patre Cyri ; qui Cambyses Rex Persarum fuerat, ante Cyrum. At cùm hujus, in sola Perside, regnum obliteratum fuerit, amplissimo per totam Asiam imperio Cyri filii ; illo omisso, Cyrum quasi primum Persarum Regem numerârunt. Attamen cùm res tempore Danielis notissima esset, non mirum est Cambysem primum Regem ab Angelo numerari. Ideò etiam *Xenophon* initio vitæ Cyri, Lib. I. Πατρὸς μὲν γὰρ λέγεται Καμβύσου, Περσῶν βασιλέως. *Patre dicitur Cambyse Persarum Rege*. En igitur nomina quatuordecim Regum Persarum : 1. Cambyses, pater Cyri ; 2. Cyrus ; 3. Cambyses, filius Cyri ; 4. Smerdis magus ; 5. Darius Hystaspides ; 6. Xerxes ; 7. Artaxerxes longimanus ; 8. Xerxes II. ; 9 Sogdianus ; 10. Darius nothus ; 11. Artaxerxes Mnemon ; 12. Artaxerxes Ochus : 13. Arses ; 14. Darius Codomannus. Sic videtur numerâsse *Hieronymus*, qui ita confutat eos, qui Darium ab Alexandro devictum *quartum* vocari putabant : *Frustra igitur quidam, Darium Regem quartum qui ab Alexandro superatus est, scribit ; qui non quartus, sed quartus decimus, post Cyrum, Persarum Rex fuit.*

15. Attamen quamvis hæc conjectura verisimillima videatur, nolim propterea quidquam, in ipso contextu Danielis, mutari ; nè quis putet me velle manus violentas sacris paginis inferre. At nihil vetat quo minùs, in Commentariis Criticis, hæc & ejusmodi aliæ conjecturæ eruditorum examini proponantur. Quæsiverit fortè quispiam quî fiat ut conjiciamus, quod est nunc integris vocibus scriptum, id olim literis, seu arithmeticis notis, signatum fuisse ? Verùm jam hoc indicavimus, cum diximus facilè mutari potuisse singulas literas, difficilius verò integras dictiones. Quod cum animadvertissent Massorethæ, integris dictionibus expresserunt numeros, quos in Codicibus suis invenerunt. Indidem, partim saltem, videntur esse ortæ discrepantiæ, quæ sunt inter Codices Judæorum, Samaritarum & Septuaginta Interpretum, in annis antiquissimorum patriarcharum. Non diffiteor posse & nonnullas alias ejus rei rationes afferri, atque à viris doctis allatas ; sed huic etiam, inter alias, locum esse verisimillimum est.

CAPUT

CAPUT XII.

De Mendis ex incuria Librariorum natis.

1. CUM omnia Mendorum genera, quæ antea descripsimus, possint dici orta ex negligentia Librariorum, quamvis variæ iis peccandi occasiones fuerint ; non opus erit multùm immoremur, in ostendendo Librarios etiam peccâsse, sine ulla ejusmodi occasione peccandi, merâ incuriâ. Attamen quia faciliùs intelliguntur offendere, & cespitare qui per loca aspera aut lapidosa ambulant, quàm qui per plana & æqualia iter faciunt ; non erit prorsus inutile meræ incuriæ, & quæ nihil caussari possit, paucula exempla huc collegisse.

2. Est egregius locus *Ciceronis*, * in Oratore, in quo quàm necessaria sit Oratori Historiæ cognitio docet ; sed ita corruptus, ut verba nonnulla intelligi nequeant. Quovis quidem pignore contendere ausim, à summo Oratore scriptum non esse quod nunc legimus ; ac fateor mihi non ita liquere, qui possit ei medicina fieri. Tentandum tamen est, dignus enim est locus, qui memoriter teneatur ; quod fieri nequit, nisi sensus aliquis ei insit. Hæc ergo sunt ejus verba : *Nescire autem quid, antea quàm natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est ætas hominis, nisi memoria rerum veterum cum superiorum ætate contexitur ?* Quomodo differant *res veteres* à *superioribus* non intelligo, cùm *superiora* dicantur quæcumque sunt præterita, adeóque non minùs vetera, quàm proximè, ut ita dicam, superiora. Videtur omnino hoc velle *Cicero*, nihil esse vitam hominis, ad comparandam prudentiam, si ea tantùm teneamus quæ vidimus, & ab oculatis testibus audivimus ; sed oportere ea, quæ tempore nostro contigerunt, cum superioribus, veteribúsque contexi, ut seriem totius historiæ animo comprehensam teneamus. Verum ut hoc diceretur, oporteret scribi : *Quid est enim ætas hominis, nisi memoria rerum* NOSTRARUM *cum superiorum ætate contexitur* aut *recentiorum*, loco *superiorum* ; sed prius magis placet. Certè non idem dicas, si dixeris res *superiores* cum *veteribus* contexere. Vita hominis, sine lectione, aut cognitione eorum quæ, antequam natus esset, contigerunt, eum tantum instruunt cognitione rerum suæ ætatis ex quibus magna prudentia comparari nequit. At si cum iis quæ nobis accidere meminimus, sive cum *memoria rerum nostrarum* conjungamus superiora omnia, quoad licet ; tum verò ex cognitione tot eventuum, causarúmque, quibus factum ut contigerint, prudentiores multo fieri possumus, nisi judicio simus destituti.

* *Cap. XXXIV.*

3. Ex

3. Ex simili incuria, prognatum est grave mendum, quod est in pulcherrima oratione M. Porcii Catonis, apud *Livium* Lib. XXXIV. c. 2. quâ invehitur in luxum nimium matronarum: *Majores nostri*, inquit, *nullam, ne privatam quidem rem, agere fœminas, sine auctore, voluerunt; in manu esse parentum, fratrum, virorum; nos, si Diis placet, jam etiam Rempublicam capessere eas patimur, & foro quoque & concionibus & comitiis immiscere*, &c. *Date frænos impotenti naturæ & indomito animali*, ET *sperate ipsas modum licentiæ facturas* NISI *vos faciatis*. Aut legendum, NEC *sperate, nisi*, &c. aut, & *sperate*——UBI *vos* FECERITIS; ac sanè *Fr. Modius* testatur Codicem Moguntinum habere *feceritis*. Festinanter hunc *Livii* locum exscribentes ultima verba ita descripserunt, quasi pro ET antecessisset NEC.

4. Non alia de causa, factum puto ut in Veterum Sctiptis tot occurrant luxationes, seu transpositiones, quibus corrumpitur series orationis. Exempli causâ, in Versione LXX. Interpretum Cap. XXV. Jeremiæ vers. 14. ad finem Capitis LI. omnia sunt perturbata, si cum Hebraïcis componantur, ut liquebit inspicientibus Polyglotta. Si diligenter considerentur Hebraïca, apparet facilè ea esse recto ordine, quemadmodum leguntur in Codicibus Hebraïcis, quibus utimur, & quemadmodum ab *Hieronymo* lecta fuerunt. At quî factum ut ita Prophetæ membra luxarentur in Græcis, rationem nullam comminisci possum, præter Librariorum negligentiam; aliter enim habuisse Codices Interpretum Græcorum quàm nostros, aut *Hieronymianos*, persuadere mihi non possum, quamvis quid occasionem illi incuriæ præbere potuerit nesciam. Conjicere tamen fortè quis possit ab Interpretibus Græcis, in sejunctis primùm schedis, scriptas singulas visiones, aut vaticinia de variis Gentibus, quæ iis Capitibus continentur; deinde alicujus incuriâ, perturbatas fuisse illas schedas, nec in ordinem ab imperitis Linguæ Hebraïcæ potuisse restitui, proindéque sic perturbatas ad posteros pervenisse. Sed sunt variæ luxationes inter versus, quibus ea conjectura aptari non potest; nec satis credibile est Interpretes ipsos unum librum, in varias veluti laceratum schedas, edidisse. *Hieronymus* sibi etiam eam perturbationem displicuisse ait, in prologo in Jeremiam, sed causa ejus quæ fuerit non docet: *Ordinem*, inquit, *visionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus*. In procemio verò Commentariorum, in eumdem Prophetam: *Libellum autem Baruch, qui vulgò Editioni LXX. copulatur, nec habetur apud Hebræos, &* ψευδεπίγραφον *Epistolam Jeremiæ nequaquam censui disserendam, sed magis*

Jeremiæ ordinem LIBRARIORUM *errore confusum, multaque quæ desunt ex Hebræis fontibus digerere, ordinare, diducere ac complere; ut novum ex veteri, verúmque, pro corrupto atque falsato, Prophetam teneas.* Alia exempla, ex eadem Versione, proferri possent; sed hoc adeò insigne est, ut aliis opus non sit.

5. At viri eruditi, qui Lutetiæ nuper *Hieronymum* edidere, in ipso *Hieronymo* luxationem memorabilem animadverterunt. Ita ille præfationem de Omnibus Libris Veteris Testamenti orditur: *Viginti & duas literas esse, apud Hebræos, Syrorum quoque & Chaldæorum Lingua testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est; nam & ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Mosi totidem literis scriptitant, figuris tantùm & apicibus discrepantes. Certúmque est Esdram Scribam, Legisque doctorem, post captam Jerosolymam & instaurationem Templi, sub Zorobabel, alias literas reperisse, quibus nunc utimur; quum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum, hæc eadem supputatio, sub Levitarum ac Sacerdotum censu, mysticè ostenditur. Et nomen Domini tetragammaton, in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie antiquis expressum literis invenimus. Sed & Psalmi XXXVI, & CX, & CXI, & CXVIII, & CXLIV, quamquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur Alphabetho.* Verba: *& nomen Domini tetragrammaton*, &c. necessariò subjungenda iis quæ dicit *Hieronymus*, de veteribus Hebræorum characteribus; tum verò antecedentia: *in libro quoque*, &c. subjicienda sunt, hoc ordine: *quum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. Et nomen Dei tetragrammaton, in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie, antiquis expressum literis invenimus. In libro quoque Numerorum.* Attamen triginta quatuor Codd. MSS. à *Monachis Benedictinis* inspecti, verba *Hieronymi* eodem ordine legenda exhibent, ac vulgatæ editiones. Sed res ipsa ita esse legendum, uti conjecerunt, invitis omnibus Manuscriptis Codicibus, ostendit.

6. Cùm apud me hujusmodi luxationis rationem quærerem, si quæ fortè posset inveniri; hoc in animum incidit, Librarium, ex cujus vitioso Codice descripti sunt omnes quos habemus, aut ii ex quibus dictati sunt, duos versus, seu lineas, omisisse: *& nomen Dei*, &c. ad *invenimus*; subjecisséque superioribus *In libro quoque*, &c. Deinde cùm animadverteret à se eos omissos, jam scriptis duobus sequentibus, eos his subjunxisse; potiusquàm deleret

leret superiora, ne liturâ ejusmodi pretium exemplaris sui minueret. Vel, si ea conjectura non placet, *Hieronymus* ipse cùm margini adscripsisset quæ de nomine Dei habet, subjungenda iis quæ dixerat de literis Samariticis, ea periodus est sequenti à Librariis perperam subjecta. Ejusmodi notarum margini additarum, deinde in contextum Hieronymianæ orationis illatarum, suppeditabunt ejus editores in Prolegom. Cap. III. §. 6. Quibus fit ut in posteriore conjectura adquiescam, quamvis illi Monachi, nihil addiderint de ratione luxationis memoratæ.

7. *Josephus Scaliger*, in Prolegomenis Notarum suarum in *Manilium*, ait in tertio Libro " se quinquaginta quatuor versus, loco suo motos, materiâ ipsâ & tenore sententiæ ita postulantibus, suis sedibus reddidisse; quæ sanè, inquit, est luculenta emendatio, quâ lux reddita nobilissimæ disputationi, quæ in illa versuum & sententiarum permistione à nemine intelligebatur. Eam verò trajectionem integrarum disputationum, ex sectione contigisse animadvertimus; quâ homines imperiti carmen *Manilii* in Capita secuerunt, cùm auctor perpetuum Epos texuisset. Gemblacensis sanè Codex longè plura præfert Capita, quàm vulgatæ editiones. Atque adeò perturbatio versuum magna ex parte nihil aliud est, quàm illorum Capitum seu sectionum inter se commutatio. Cùm autem omnia Maniliana exemplaria scripta non magnam vetustatem præferant, & ex uno vetustiore Archetypo propagata sint; si quis quærat ab Archetypóne illæ sectiones sint, an recentioris temeritatis; nihil aliud ad hoc respondemus, quàm si vetustissimæ sint, hoc mirum non videri, cùm in multis vetustis Scriptoribus ejusmodi luxationes deprehendantur. Hæc ille, quæ an satis firma sint qui volent scire, locum *Manilii*, & ejus notas expendant. Satis nobis est viri summi testimonium de luxationibus attulisse. Sequentia tamen ejus verba huc etiam transferre non piguit, nec ea legisse quemquam pœnitebit.

8. " Aliquot, inquit, luxationes proferre possemus; unâ contenti erimus, quæ est X. Æneïdos, ubi Mezentius comparatur apro venatorum telis, & latratibus canum lacessito. Versus hi sunt loco moti:

" *Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,*
" *Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.*

" Reponendi enim post illum,

" *Sed jaculis, tutisque procul clamoribus instant.*

" Illa Virgiliana luxatio adeò vetusta est, ut à vetere In-
" terprete agnoscatur. Dicemus igitur *Virgilium* ita scrip-
" sisse, quia omnes vetustissimi Codices ita habent, & om-
" nibus Codicibus hodiernis antiquior Servius ita legebat?
" Non sanè, si quid sapimus.

9. Locus *Virgilii*, * ne quæstioni sit, hic est:

Ac velut ille canum morsu de montibus altis,
Actus aper ———
——— *postquàm inter retia ventum est,*
Substitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci, propiùsve accedere virtus,
Sed jaculis, tutisque procul clamoribus instant.
Haud aliter justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro,
Missilibus longè & vasto clamore lacessunt.
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

Manifestum est duos postremos versus ad aprum, non ad Mezentium pertinere, ac proinde debere proximè sequi eum, quem dixit *Scaliger*; qui si semper æquè feliciter conjecisset, numquam audacioris Critici notâ inustus fuisset.

10. Eodem in loco: " ejusmodi, inquit, multas trajectio-
" nes in *Tibullo* & *Propertio* notavimus. Sed & de Tibullianis
" jam antea Lilius monuerat. Trajectionibus etiam laborare credidit *Dan. Heinsius* Artem Poëticam *Horatii*, ad quam adeundus est, neque enim mihi persuasit. Dum *Scaligerum* sequitur, passibus non semper æquis, multa mihi quidem frustra moliri videtur; quamvis cæteroquin ejus meritis nihil detractum velim.

11. Sed tempus est imponendi finem iis, quæ dicenda habebamus de Mendis, quæ Librariis tribui possunt; nec quidquam addemus, si modò quæstioni, quæ hanc rem proponi potest, satisfecerimus. Antea diximus Criticos aut Grammaticos solitos esse recensere exemplaria, eáque emendare, postquàm à Librariis perscripta fuerant; quod cùm ita sit, videtur veteres codices emendatiores esse debuisse, & quæri possit

* *Lib. X. vers. 707. & seqq.*

cur aliter se res habeat? Verùm quæ de recensione diximus, ea ad pauca exemplaria pertinent; Librarii enim sumptui parcentes, & quàm primùm venales libros exponere studentes, non curabant eos emendari, quod Cap. II. variis Veterum testimoniis probavimus. Præterea, in hoc ipso Capite, aliam rationem subinnuimus, quam hîc eximii Critici * *M. Anton. Mureti* verbis exprimemus: *solebant*, inquit, *homines imperiti, qui avorum aut proavorum nostrorum temporibus, victum sibi describendis libris quæritabant, quæ perperam scripserant non delere; ne libros suos multis lituris deformatos minùs vendibiles redderent, iterùmque totas paginas describere cogerentur; sed iis, ut erant, omissis, cætera persequi. Atque ea res innumerabilem errorum copiam, in omne Scriptorum genus, invexit.*

12. Quin etiam homines imperiti, hoc est, plerique à quibus libri emebantur, non solebant tam quærere an emendatos emerent, quàm an pulcrè atque eleganter descriptos. Sæpe autem factum ut minimè omnium eruditi καλλιγραφία excellerent, adeóque ut maximam mendorum copiam in exemplaria sua admitterent; quæ, ob causam allatam, emendari nolebant. Dudum hac de re questus est *Hieronymus*, cujus hæc sunt verba, ex Præfatione in novam Translationem Jobi ex Hebraïca veritate: *Habeant*, inquit, *qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis, auro, argentóque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo aiunt, literis onera magis exarata, quàm codices; dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas & non tam PULCHROS codices, quàm EMENDATOS.* Monent *Monachi Benedictini* duos aut tres MSS. Codd. habere *initiales*, & quidem *eodem*, ut aiunt, *sensu*; qua in re graviter falluntur, nam *unciales literæ* sunt majusculæ quævis non *initiales*; qualibus, ut dixi antea, integra volumina scribebantur, & quales hîc intelligit *Hieronymus*; ut liquet ex eo quod iis descriptos Codices vocet *onera*, quia non poterant illis literis, in exiguis membranis, integra Biblia scribi. Fortè Monachi, qui *initiales* pro *uncialibus* scripserunt, crediderunt *Hieronymum* spectare consuetudinem *initialium* literarum majori formâ, & elegantius scribendarum quàm cæterarum, imò auro, & pigmentis ornandarum; quæ consuetudo ab aliquot sæculis usitata est. At *Hieronymus* de integris libris loquitur, nec umquam omnes majusculæ literæ dictæ sunt *initiales* ab *Hieronymo*, aut à quoquam non prorsus barbaro: Sed ad *Hieronymum* ut redeamus, ita etiam loquitur in Præfatione ad Jobum, è Græco versum & emendatum: *Tanta est vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia pla-*

* *Var. Lect. Lib. XV. c. 9.*

 ceant;

ceant; dum magis PULCHROS habere malunt Codices, quàm EMENDATOS.

13. Ideò quòd parum diligenter Librarii hac in re versarentur, idem *Hieronymus*, in Præfatione in Ezram; *si qui*, inquit, *fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar, admonentes, ut Hebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distinctè & per intervalla transcribant. NIHIL enim proderit emendasse librum, nisi emendatio, Librariorum diligentiâ, conservetur.* Quod sæpe homines lucri cupidi, & pessimæ quandoque fidei negligebant, in maximum legentium detrimentum.

14. Sed & graviores multò obtestationes libris adjiciebantur, quibus rogabantur Librarii, ut maximâ fide & curâ eos describerent. Ejusmodi erat quam Libro suo, de Ogdoade, addiderat *Irenæus*, ut docet *Eusebius* Hist. Ec. Lib. V. c. 20. Ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψάμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς ἵνα ἀντιβάλῃς ὃ μετεγράψω ἐπιμελῶς, καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς. καὶ θήσεις ἐν τῷ ἀντιγράφῳ: *Adjuro te, qui transcripseris hunc librum, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per gloriosum ejus adventum, in quo judicaturus est vivos & mortuos; ut conferas quòd transcripseris, & diligenter emendes ad exemplar ex quo transcripsisti; itque adjurationem istam similiter exscribas, & codici tuo inseras.*

Quam formulam *Eusebius* in Chronicon suum transtulit, vertitque *Hieronymus*. Similem etiam præfixit *Ruffinus Origenis* libris à se versis; qualis adhibita quoque est à *Valente* Antiocheno. Sunt & * qui velint vers. 18. & 19. Cap. ultimi Apocalypseos id genus adjurationem esse, sed Joannes illic non scribentem, verùm audientem alloquitur: *Contestor ego omni audienti*, &c. Posset tamen de *audiente* Librario hoc quoque intelligi, qui vetetur ne quidquam scribat, præter id quod sibi dictari audit; at præstitisset monere dictantem, à quo maxima fraus potuit oriri.

15. Crediderim eam obtestationem non tam ad Librarios pertinere, quàm ad Impostores, de quibus postea agemus. Eodem etiam spectat, ut videtur, similis adjuratio, cujus meminit *Aristeas*, in Hist. versionis LXX. Interpretum, ad quos Demetrium hanc orationem habuisse ait: Ἐπεὶ καλῶς καὶ ὁσίως διηρμήνευται, καὶ κατὰ πᾶν ἠκριβωμένως, καλῶς ἔχον ἐστὶν ἵνα διαμένῃ ταῦτα οὕτως ἔχοντα, καὶ μὴ γένηται μηδεμία δια-

* *Vide Grotium & Hammondum ad hunc locum.*

σκευή. πάντων δὲ ἐπιφωνησάντων, ἐκέλευσε διαράσασθαι καθὼς αὐτοῖς ἔθος ἐστιν. εἴτις διασκευάσει προστιθεὶς, ἢ μεταφέρων τι τὸ σύνολον τῶν γεγραμμένων, ἢ ποιούμενος ἀφαίρεσιν. καλῶς τοῦτο πράσσοντες, ἵνα διὰ παντὸς ἀέναα καὶ μένοντα διαφυλάσσηται : *quoniam bene & sanctè versa sunt, atque accuratè per omnia ; par est ut hæc permaneant ita ut se habent, neve ulla fiat mutatio. Omnibus ad hæc adclamantibus*, inquit, *jussit ab iis diris devoveri, quicumque mutasset additione, aut trajectione ullâ, vel detractione ; rectè ita facturis, ut perpetuò æterna & stabilia serventur.* Sed quamvis hæc ad falsarios, aut interpolatores potissimùm spectent ; nihil vetat quin ad negligentiores Librarios etiam referantur.

CAPUT XIII.

De Mendis ex Criticorum temeritate, aut imperitiâ ortis.

1. SI primi subsellii Criticorum libri referti sunt querelis, de negligentia aut imperitia antiquorum & recentiorum Librariorum, quemadmodum satis ostendimus : non minus in sui ordinis viros invehuntur, queruntur enim doctissimi quique subinde, audaciâ atque insciitiâ Criticorum, multis locis antea sanis illata esse gravissima vulnera. Sed & iidem Critici sæpe abjudicârunt loca veteribus Scriptoribus, quæ illorum reverâ erant, quia perperam ea Scriptoribus illis indigna judicabant ; quod nesciremus, nisi ab aliis ea Criticorum facinora castigata fuissent. Quorum omnium nonnulla exempla sed vetera potissimùm, proferemus, quæ sine invidia in medium adduci possunt ; consulendum est enim auribus imperitorum, quas, ut ille ait, *mordaci radere vero* non est cujusvis.

2. *Plutarchus*, in Libro de audiendis Poëtis, hos versus * *Homeri* profert, ubi Phœnix, ut iram Achillis leniat, narrat à se nimiâ irâ commoto patrem suum propemodum esse interfectum.

Τὸν μὲν ἐγὼ βούλευσα κατακτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ·
Ἀλλά τις ἀθανάτων παῦσεν χόλον, ὅς ῥ' ἐνὶ θυμῷ
Δήμου θῆκε φάτιν, καὶ ὀνείδεα πόλλ' ἀνθρώπων,
Ὡς μὴ πατροφόνος μετ' Ἀχαιοῖσιν καλεοίμην.

---

* *Legi desiisse videntur, post vers. 459. Iliad. I.*

Eripere huic vitam ferro fulgente parabam :
Iram nescio quis fregit Deus, & mihi vulgi
Objecit voces animo & convitia famæ,
Ne patris occisor Grajûm sermone notarer.

Tum subjicit : ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχος ἐξεῖλε ταῦτα τὰ ἔπη φοβηθείς : *Aristarchus cùm perhorruisset hos versus, eos sustulit.* At malè, judice *Plutarcho*, cujus hæc sequuntur verba : ἔχει δὲ πρὸς τὸν καιρὸν ὀρθῶς. τοῦ Φοίνικος τὸν Ἀχιλλέα διδάσκοντος οἷόν ἐστιν ὀργὴ, καὶ ὅσα διὰ θυμὸν ἄνθρωποι τολμῶσι, μὴ χρώμενοι λογισμῷ, μηδὲ πειθόμενοι τοῖς παρηγοροῦσι. καὶ γὰρ τὸν Μελέαγρον ἐπεισάγει τοῖς πολίταις ὀργιζόμενον, εἶτα πραϋνόμενον· ὀρθῶς τὰ πάθη ψέγων, τὸ δὲ μὴ συνακολουθεῖν ἀλλ' ἀντιτάττεσθαι, καὶ κρατεῖν, καὶ μετανοεῖν ἐπαινῶν, ὡς καλὸν καὶ συμφέρον : *atqui rectè habent pro tempore, Phœnice Achillem docente qualis sit ira, & quæ homines per iram audeant, dum non utuntur ratione, neque parent monentibus. Etenim Meleagrum inducit civibus indignantem deinde placatum ; rectè vituperans affectus, iisque non obsequi, sed resistere, & dominari, & resipicere laudans, quasi honestum & utile.* Integrum locum descripsi, ut liqueret ab *Aristarcho* perperam esse resectos hosce versus ; qui tamen à Codicibus nostris, neglectâ *Plutarchi* admonitione, etiamnùm absunt. Verùm quamvis *Homerus* non satis providè loquentem induxisset Phœnicem, non erat Critici id juris in ejus versus sibi adsumere, ut obelo jugularet, quos non utiles juventuti putabat. Eadem operâ debuisset delere alios innumeros, in quibus turpia multa de Diis habet, *Platoni* meritò improbatos. Critici munus in eo tantùm est situm, curare ut emendatè legantur quæ Veteres scripserunt ; non, ut utilia tantùm dixisse videantur, efficere.

3. *Aristarchum* tamen fortè defendere quispiam aggrediatur, eò quòd hosce versus *Homeri* non esse crediderit, quia Phœnicem prudentem senem numquam ita induxisset loquentem, quasi à parricidio revocatus esset, dumtaxat rumoribus, quos de se futuros esse noverat, si paterno sanguine manus cruentaret ; non metu Numinis, aut impietate facinoris. Verùm si omnia sint resecanda, quæ ad rectam rationem exacta ab ea norma aberrare deprehendentur, longè plura erunt ; nec Poëtæ tanta aut diligentia, aut sapientia sine ratione tribuenda. Propter ejusmodi emendationes, Arato quærenti πῶς τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀσφαλῶς κτήσαιτο, *quomodo Poëmata Homeri tutò nancisci posset ?* respondisse fertur Timon Phliasius, εἰ τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις ἐντυγχάνοι, καὶ μὴ τοῖς ἤδη διωρθωμένοις,

ὠρθωμένοις, *si in antiqua exemplaria incideret, non verò in jam correcta*. Diogenes Laërtius, Lib. IX. §. 113.

4. *A. Gellius*, in Noctibus Atticis, plura nobis servavit exempla Criticorum, perperam quæ non intelligebant emendantium. * Cum scripsisset *Cicero*, in Oratione. V. in Verrem : † *hanc sibi rem sperant præsidio futurum*, erant, ut testatur *Gellius*, Critici, qui in extremo verbo mendum esse putabant, debuisse enim scribi *futuram*, non *futurum*; neque dubitabant quin liber emendandus esset, ne, ut in *Plauti* Comœdia mœchus, ita in *Ciceronis* oratione solœcismus esset manifestarius. At quantùm illi errarent ostendit *Gellius*, ex libro Tironis curâ descripto, qui etiamnum exstabat & sermone viri docti, cujus nomen reticet. Idem ille vir in oratione, quæ est de imperio Cn. Pompeii, ita scriptum esse à *Cicerone* dicebat, atque ita ipse lectitabat : ‡ *quum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis* ; negabàtque solœcismum esse *in potestatem fuisse*, ut vulgus semidoctum putat.

5. Quia *amaror*, pro eo quod Græci dicunt πικρότης, temporibus, quibus Lingua Latina corrumpi cœperat, minùs usitata vox erat, versus ex Georgicis § *Virgilii* plerique omnes sic legebant :

At sapor indicium faciet manifestus, & ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaro.

Hyginus * tamen, non ignobilis Grammaticus, in Commentariis, quæ in *Virgilium* fecerat, confirmabat non hoc à *Virgilio* relictum, sed se invenisse in libro, qui fuisset ex domo, atque familia *Virgilii amaror*. Quod probat etiam *Gellius*, qui si periisset, aut hoc non observasset, error quem memorat etiamnum hodie Codicibus nostris insideret.

6. Sunt duo alia *Virgilii* loca, quorum idem † *Gellius* frustra antiquissimas lectiones scriptis mandavit, aliæ enim hodie in exemplaribus nostris cernuntur. Postquàm observavit nomina *facies* & *dies*, habuisse olim in genitivo *facies* & *facii*, *dies* & *dii*, ait se facilè iis credere, qui scripserunt idiographum librum *Virgilii* sese inspexisse, in quo ita scriptum esset :

‡ *Libra dies, somnique pares ubi fecerit horas* ;

---

* *Noct. Attic. Lib. I. c. 7.* † *Cap. LXV.* ‡ *Pro L. Manilia. C. XII.*
§ *Georg. Lib. II. vers. 246.* * *Noct. Att. Lib. I. c. 21.* † *Lib. IX. c. 14*
‡ *Georg. Lib. I. vers. 208.*

id

id est, *horas diei, somnique.* Addit, sicut hoc in loco *diei* à *Virgilio* scriptum videtur: ita in illo versu nihil dubium esse, quin *dii* scripserit pro *diei*:

* *Munera, lætitiámque dii* —

Quod imperitiores *Dei* legêre, ab insolentia, scilicet, vocis istius abhorrentes. Scio quid viri docti, contra *Gellium*, de hoc loco scripserint; at nec quod objicerunt viro doctissimo latuit, nec sunt ejus ponderis ut testimonium ejus elevent. *Lætitia dii*, aut *diei* sunt cibi, quibus læta illo die Trojani agitarent convivia; quod posset pluribus probari. Priori verò loco, nihil est quod dubiam facere possit lectionem *diei.*

7. Dixerit fortè quispiam illa non esse tanti, cùm aut nullo modo, aut perparum mutent sententiam Poëtæ; verùm hæc ostendunt, ab antiquissimis temporibus, à Criticis sæpe mutata esse quæ non intelligebant, quod unum hoc in loco spectamus. Præterea non est cur credamus, dumtaxat in rebus exigui momenti, à Criticis ea quæ non adsequebantur esse perperam emendata; per omnia librorum genera, eodem modo grassati sunt. Audiamus *Hieronymum*, de iis qui Novum Testamentum ante ipsum tractârant. Sic loquitur de Librariis, qui Criticorum munere, non exscriptorum, defuncti sæpe sunt, ad Cap. II. Matthæi: In Bethlehem Judææ. *Librariorum hic error est, putamus enim ab Evangelista primùm editum, sicut in ipso Hebraïco legimus,* Judæ, *non* Judææ. *Quæ est enim aliarum gentium Bethlehem, ut ad distinctionem ejus* Judææ *hîc poneretur?* Judæ *autem idcirco scribitur, quia est & alia Bethlehem in Galilæa. Lege librum Jesu filii* Nave. *Denique & in ipso testimonio, quod de Michææ prophetia sumptum est, ita habetur.* Sunt etiamnum Codices MSS. in quibus legere est Ἰουδαίας.

8. Ejusdem *Hieronymi* hæc verba sunt, ad Matthæi Cap. III. *Porphyrius istum locum Marci Evangelistæ principio comparat, in quo scriptum est:* Initium Evangelii Jesu Christi, filii Dei, sicut scriptum est, in Esaia Propheta: ecce mitto Angelum meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. *Cùm enim testimonium de Malachia, Esaiáque contextum sit, quærit quomodo velut ab uno Esaia, exemplum putemus adsumptum. Cui Ecclesiastici viri plenissimè responderunt. Nos autem nomen* Esaiæ *putamus additum* SCRIP-

* I. *Æneid. vers.* 640.

TORUM

TORUM (Criticos agentium) *vitio, quod & in aliis locis probare possumus.* At in plerisque hodiernis Codicibus, legimus ἐν τοῖς προφήταις, qua de re adeundi Interpretes.

9. Nescio an *Hieronymus* respexerit ad Matth. XIII. 35. ubi ita habet: ut impleretur quod dictum est per prophetam, aperiam, &c. *Hoc testimonium de LXXVII. Psalmo sumptum est. Legi in nonnullis Codicibus, & studiosus Lector fortè reperiet id ipsum in eo loco, ubi nos posuimus, & Vulgata habet Editio:* ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem; *ibi scriptum*: per Esaïam prophetam dicentem. *Quod quia minimè inveniebatur in Esaïa, arbitror postea à* PRUDENTIBUS *viris esse sublatum.* Imò verò imprudentibus, & audacioribus Criticis, quos monere oportuisset ita legendum sibi videri, non ex ipso Evangelistæ contextu vocem, quam in suis Codicibus invenerant, eliminare. At hodie ne unum quidem exemplar nomen Esaïæ habet, certè nullum in variis lectionibus profertur. Pergit verò *Hieronymus*: *sed mihi in principio videtur sic editum*: quod scriptum est per Asaph prophetam, dicentem. *Septuagesimus enim septimus Psalmus, de quo hoc sumptum est testimonium*, Asaph *prophetæ titulo inscribitur.*

10. Hac de re, copiosiùs agit in Comment. in Psalm. LXXVII. quamvis enim in eo opere multa possint esse, ut judicavit *Erasmus*, ab *Hieronymo* aliena, non dubito quin hæc à manu *Hieronymi* sint profecta. *Dicitur in Matthæo*: hæc facta sunt, ut impleretur quod scriptum est in Asaph propheta. *Sic invenitur in omnibus veteribus codicibus; sed homines ignorantes tulerunt illud. Denique multa Evangelia usque hodie ita habent*; ut impleretur quod scriptum est per Esaïam prophetam, &c. *Hoc Esaias non loquitur, sed Asaph. Denique & impius ille Porphyrius proponit adversùm nos hoc ipsum & dicit*: Evangelista vester Matthæus tam imperitus fuit ut diceret: *quod scriptum est per Esaïam prophetam*, aperiam, &c. *Ergo simpliciter dicamus, quomodo illud in Evangelio scriptum est. Sic scriptum est, in Matthæo & Joanne, quòd Dominus noster* horâ sextâ *crucifixus sit. Hoc videtur esse diversum, sed non est diversum. Error* SCRIPTORUM (imo Criticorum) *fuit; sed multi episemum Græcum* ς *putarunt esse* Γ: *sicut & ibi error fuit Scriptorum, ut, pro* Asaph, Esaïam *scriberent. Scimus enim quia prima Ecclesia de imperitis congregata fuit Gentibus; Ergo cùm legerent in Evangelio*: ut impleretur quod scriptum est in Asaph propheta; *ille, qui primus scribebat Evangelium, cœpit dicere, quis est iste Asaph propheta? Non erat notus in populo &; hoc fecit ut dum errorem emendaret, faceret errorem.* Nolim quidem præstare quasi

vera

vera quæcumque hîc habet *Hieronymus*, aut alius ex *Hieronymo*; sed hinc colligere licet, quâ ratione multa menda, in omnis generis libros, irrepserint.

11. Pergit verò hisce verbis: *Dicamus aliquid simile, & in alio loco secundùm Matthæum, quando Judas retulit triginta argenteos, & noluerunt accipere sacerdotes, nec mittere in Corbonam, quoniam erat pretium sanguinis; & emerunt inde agrum figuli, in sepulturam peregrinorum*, &c. Ut impleretur, *inquit*, quod scriptum est in Jeremia propheta, *Requisivimus in Jeremia propheta, & hoc penitus invenire non potuimus, sed invenimus illud in Zacharia. Videtis ergo, quia & hic error fuit, sicut ibi.*

12. Si verum esset quod perhibetur à *Massorethis*, à Scribis varia loca Veteris Testamenti esse emendata quemadmodum dicunt; non dubitarem eas correctiones inter inanes Criticorum conjecturas referre. Sed videtur esse merum figmentum, * ut illi ipsi, qui quàm maximè favent Massoræ, ostenderunt. Itaque eas emendationes missas facimus. Verùm certum est in Samaritico Codice plurimas esse, quarum exempla quærantur in Commentario nostro in Pentateuchum. Nonnulla insigniora in Indice notavimus.

13. At numquam usque adeò grassata est Criticorum audacia, quàm quando, inventâ Typographiâ, ex MSS. Codicibus Veterum monumenta typis excudi cœpere. Editores enim, homines persæpe indocti, non modò manifesta menda corrigere aggressi sunt, sed & quæcumque non intelligebant, ea pro arbitrio mutabant, &, nullo habito Manuscriptorum Codicum discrimine, mendosissimos sæpe exprimebant. Cujus rei exempla animadvertent innumera, quicumque primas editiones conferent cum accuratioribus, quæ postea prodiere, vel etiam cum MSS. Codicibus. Habemus antiquissimam editionem *Pauli Orosii* Basileensem, sine indicio anni; sed quam facilè apparet prodiisse, diu ante finem decimi quinti sæculi. Ea collata olim fuit cum MS. Bibliothecæ publicæ Genevensis, à patruo meo *Dav. Clerico*. Ex hac nonnulla proferam exempla, ex quibus licebit intelligere quodnam esset ingenium Criticorum illius ævi.

14. In præfatione, ita loquitur de Ethnicis *Orosius*: *Qui cum futura non quærant, præterita autem obliviscantur, aut nesciant, præsentia tantùm tempora, veluti malis extra solitum INFESTISSIMA, ob hoc solum quòd creditur Christus, & colitur Deus, infamant.* Sic habet MS. Genevensis, sic edi-

* Vide Sal. Glassium Phil. Sac. Lib. I. P. 2. Sect. 1. Art. 3.

tio

tio Moguntina ab *And. Schotto* recensita. At Basileensis Criticus edidit *infestatissima,* quòd crederet dici Latinè *tempora infestata malis,* non *infesta malis,* qua in re gravissimè erravit.

15. Ait paulò pòst *Orosius,* id sibi muneris ab *Augustino* impositum, *maximè CUM reverentiam ejus, perficiendo adversùm hos ripsos Paganos XI. libro* (de Civitate Dei) *insistentem* (*quorum jam decem orientes radii, mox ut de specula Ecclesiasticæ claritatis elati erant, toto orbe fulserant*) *levi opusculo occupari non OPORTERET.* Sic habet MS. & Mog. Editio; at Basileensis *oportet,* omissâ sine dubio lineolâ, quæ scripturæ compendium significat, qualibus scatet hæc Editio, ut pleræque veteres. Quod noto, quia ex compendiis, ut antea vidimus, multa sunt nata menda.

16. *Orosius* suâ ait *scrutatione claruisse, regnasse mortem avidam sanguinis dum ignoratur Religio, quæ probiberet à sanguine*; tum ita pergit in Basileensi Editione: *istâ illucrescente, illam constupuisse*; *illam concludi, cùm ista jam prævalet, illam penitus nullam futuram, cùm hæc sola regnavit.* Manifestum *illucrescente* esse pro *illucescente,* at Mog. Ed. habet, *conlucescente.* Pro *cùm ista,* quod est in utraque Editione, MS. Codex habet *dum ista*; qui & ante *penitus* addit *jam,* nescio an meliùs. At pro *regnavit,* habet *regnabit,* ut & Mog. Editio, meliùs sine dubio.

17. Paulò inferiùs habet Basileensis: *futuras angustias, quales ante non fuerant Dominus ——— prædixit.* MS. Codex: *quales non ante fuerint,* & Ed. Mog. *ante non fuerint.* Credidit Criticus verbum substantivum posse tantùm referri ad tempora, quæ antecesserant prædictionem Christi; cùm omnia tempora, ad implementum usque prædictionis, effluxura etiam complectatur. Cùm verò Caput I. incipiat in Ed. Moguntina ab hisce: *& quoniam omnes,* &c. in Basileensi, initium ducit ab hisce, quæ paulò post sequuntur: *Ego initium,* &c. cum hac inscriptione: *De miseria hominum per peccatum ab initio.* Nec inscriptiones Capitum, in sequentibus, nec divisiones sunt similes.

18. Cap. I. Pro *delibatis*, quæ lectio est MS. Codicis & Mog. Editionis, & manifestò genuina est, habet Basileensis adsurdè, *deliberatis. Initium miseriæ hominis ab initio peccantis hominis ducere institui, paucis dumtaxat, iisdémque breviter deliberatis.* Nescivit quid esset delibare qui huic editioni præfuit, cujus nomen postea dicam.

19. Editio Basileensis: *Quapropter res ipsa exigit ex his libris, quàm brevissimè vel pauca attingere, qui originem*

mundi

mundi loquentes, præteritorum fidem annunciatione futurorum, & post subsequâ probatione, fecerunt. Editio verò Mog. & MS. Codex: *contingere eorum qui*, &c.

20. Editiones habent: *Si divinâ providentiâ, quæ sicut bona, ita pia & justa est, agitur homo.* At MS. *quæ sicut pia, ita & justa est.* Quæ lectio magis arridet, quia *pia* opponitur *justæ* non *bonæ*, significátque beneficam ac misericordem. Sequentia manifestò hanc confirmant, ubi MS. Genevensis & editio Moguntina habent, *Sicut piè gubernari egenum opis oportet: ita justè corripi immoderatum libertatis necesse est.* At Basileensis perperam *gubernare*, & *immoderata* habet, quod Criticus nesciret Latinam esse constructionem *immoderatum libertatis*.

21. Pro *numerosiora monstrabimus*, quod est in Editionibus, habet MS. Codex *monstravimus*, meliùs, quia respicit *Orosius* ad id quod, hoc ipso Capite, dixit. Antea jam vidimus permutationem literarum B & V. §. 16. In eodem Codice, post *pertulisse*, minio scriptum est: *Explicit Prologus, incipit Liber primus Pauli Orosii Presbyteri.* Unde colligere est divisiones Editionum recentiores esse; ac sanè rectius fit initium Libri ipsius, à vocibus: *Dicturus igitur*, &c.

22. In sequentibus: *In quantum ad cognitionem vacare suffecero, conflictationésque generis humani, & veluti per diversas partes, ardentem malis mundum, face cupiditatis incensum à specula ostentaturus necessarium reor*, &c. Ita legimus in MS. Codice, & Editione Basileensi; cùm *Lud. Lautius* observet MSS. omnes & editiones tueri *vocare*, acceptámque fert *Palmerio* emendationem *vocare*, quam postulat sensus.

23. Hinc apparet esse in editione Basileensi bona mista malis, ex cujus & MS. Genevensis collatione, possemus multò meliorem *Orosium* dare, si esset ullum ejusmodi labori pretium. Nihil præterea addam, præter Græcæ vocis corruptionem, quales frequentissimè * in Codicibus Latinis occurrunt. Capite igitur II. in descriptione Asiæ: *Ad meridiem succedit Babylonia, deinde Chaldæa, novissimè Arabia Eudæmon, quæ inter sinum Persicum & sinum Arabicum*, &c. Sic habent Codex MS. & editio Moguntina; at Basileensis editor, cùm nesciret quid significaret *Eudæmon*, edidit: *novissimè Arabia, ea demum inter sinum Persicum.* Quod, nisi exstarent alii Codices, mendosum esse non illico intelligeremus.

24. Critici nomen, ex versibus fini additis, cognoscere licet, sed quo cognito non multò ipse notior erit:

† *Vide exemplum supra Cap. IX. §. 8.*

Vt

Ut ipſe titulus margine in primo docet,
Oroſio mihi nomen eſt.
Librariorum quidquid erroris fuit
Exemit ÆNEAS *mihi ;*
Meque imprimendum tradidit non alteri,
Leonarde, quàm ſoli tibi ;
Leonarde nomen hujus artis & decus,
Tuæque laus Baſileæ.
Quod ſi ſitum orbis, ſique noſtra ad tempora,
Ab orbis ipſa origine,
Quiſquam tumultus, belláque & cædes velit,
Cladéſque noſſe, me legat.

Ad me quidem quod attinet, tam ſcio quis fuerit ille *Æneas*, quàm ſi ſibi οὔτινι nomen à parentibus impoſitum dixiſſet.

25. Quandoquidem verò modò dicebamus vocem Græcam in Latinas perperam ab homine ignaro mutatam fuiſſe; non erit extra rem, ſi majoris etiam flagitii Librariorum meminerimus, qui voces Græcas quas legere non poterant planè omittere ſolebant, quandoque relicto ſpatio, quandoque nullo. In omnibus pœnè libris Latinis, quibus Græca admiſta ſunt, talia cernere licet. Unum exemplum addam ex *Hieronymo*, ut uno verbo interpreter quod Pariſienſes *Benedictini* adſequi non potuerunt. Sic alloquitur *Hieronymus* Sophronium, in Præfatione Pſalterii, juxta Hebraïcam veritatem: *Quod opuſculum meum ſi in Græcum, ut polliceris, transtuleris & doctiſſimos quoque viros teſtes imperitiæ meæ facere volueris, dicam tibi illud Horatianum :* in ſylvam ne ligna feras. Teſtantur *Benedictini*, in antiquioribus Codicibus nonnullis, poſt *transtuleris* eſſe tria verba Græca, in aliis nullum ſpatium, nec literam ullam Græcam. Verba autem Græca ita habent: ΑΝΤΙΦΑΟΝΙΚΩΝ ΤΟΒΑΙΑ CΥΡΟΥCΙΝ, quæ viderunt quidem *Benedictini* ita legenda: ἀντὶ φοινίκων τὰ βαΐα σύρουσιν, ſed abſurdè verterunt: *coram palmis ramos palmæ trahunt.* Vertendum, *pro dactylis ramos trahentibus*, quod egregium hoc in loco ſenſum habet; obſcurè enim & eleganter *Hieronymus* illudit Græcis, qui verſionem tantùm LXX. Interpretum hujus libri legebant, quam tacitè confert *ramis* fructu deſtitutis, quales ſunt rami palmarum, Hebraïcam verò veritatem *fructui*; quem dum Græci ſe decerpere putabant, fruſtra erant, & ſteriles dumtaxat ramos vellebant. Non mirum eſt in regione palmifera fuiſſe proverbium ex pal-

mæ natura deductum, quod non intellexere Librarii Latini, aut quòd Græcè nescirent, aut quòd naturam palmæ ignorarent, quam *Plinius* ita describit Lib. XII. c. 4. *Coma omnis in cacumine, & pomum est, non inter folia hoc ut in cæteris; sed suis inter ramos palmitibus racemosum, utraque naturâ uvæ atque pomi.* Hinc intelligere licet quare is, quem spes frustratur hiantem, dicatur pro dactylis, trahere ramos palmæ. Non opus est probemus φοίνικας dici non modò arbores, sed & earum fructus, cùm quævis Lexica hoc doceant. Igitur rectiùs fecissent editores *Hieronymi*, si verba Græca in contextum orationis recepissent; quæ quòd non intelligerent, temerè repudiârunt. At sunt MSS. inquiunt, ex quibus absunt. Verùm cùm omissionis causa ea sit quam diximus, nulla addendi ratio erat aliis Librariis; adeóque temerè detracta multò verisimilius est, quàm perperam addita. Objiciunt iterum illi, sententiam perfectam esse, sine verbis illis Græcis. At hac ipsa de causa resecari potuerunt, addi vix potuerunt.

26. Possemus plurima exempla erratorum, à Criticis recentioribus commissorum, huc congerere; sed nimis quàm frequentia sunt, & postea nonnulla afferentur. Itaque huic Capiti finem imponemus.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Mendis, quæ Impoſtoribus tribuenda.

1. PRÆTER menda, quæ

——aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura——

ſunt plurima quæ Librariorum, vel potiùs Falſariorum nequitiæ debentur; qui homines cùm vellent ea eſſe in Veteribus quæ non erant, mutârunt, addiderunt, detraxerunt, prout viſum eſt; quibus fraudibus, imperitis Lectoribus fucum fecerunt. Facillimum fuit malæ fidei Librariis, aut aliis hominibus exemplaria quæ deſcribebant vitiare, eáque quaſi emendatiora & quaſi ex antiquioribus Codicibus deſcripta venditare. Eæ fraudes, ſi non illico multùm nocerent, at ſequentibus ſæculis exitiales eſſe poterant; cùm à quibus Codices deſcripti eſſent ignoraretur, & crederentur emendatiores. Non ſemper facile erat eos conferre cum vetuſtioribus Codicibus, qui perpaucorum manibus verſabantur, aut quos emendatiores eſſe certò conſtaret. Non ſemper facile erat fraudem dignoſcere, nec ſi res eruditioribus, & Critices peritioribus ſubolebat; ideò ab aliis indoctis, & à Critica alienis, intelligi poterat. Hîc non loquimur de integro opere cuipiam Scriptori falſo adſcripto, aut planè interpolato, vel prolixiore quopiam loco aucto, minuto, aut depravato; qua de re agemus, in ſequente Sectione; ſermo nobis eſt de mutatione, additione aut detractione paucularum vocum; quæ Codicum corruptelæ, nonniſi à peritioribus, deprehendi poſſunt; & aciem Criticorum, quamvis perſpicacium, ſæpe fortaſſe fugiunt.

2. Licèt Veteres non dicerent diſertè, à fraudibus ejuſcemodi cavendum eſſe; attamen fallendi facilitas, & hominum nequitia nos ſatis monerent, non facilè Codicibus quibuſvis eſſe fidem habendam. Sed antequàm ad rem ipſam veniamus, ad teſtimonium unum atque alterum ex Veteribus citabimus, & primum quidem Ethnicos, deinde

etiam Christianum; ex quibus apparebit imprudenter eos facere, quicumque inexploratò iter faciunt per Antiquitatis, ut ita loquar, regiones; cùm persæpe, dum putant se in amicorum veri ditione versari, ubi nihil est quod timeant, in latentes nequissimorum Falsariorum insidias delabantur.

3. Cùm maxima esset *Homeri* inter Græcos, ab antiquissimis temporibus, auctoritas, si quid ex illo probari posse videbatur, id satis luculentè demonstratum habebatur. Ideóque fertur *Solon* versum ei addidisse, ut ostenderet Salaminem insulam esse ditionis Atheniensium: *οἱ μὲν οὖν πολλοὶ*, inquit *Plutarchus*, * *τῷ Σόλωνι συναγωνίσασθαι λέγουσι τὴν Ὁμήρου δόξαν. ἐμβάλλοντα γὰρ αὐτὸν ἔπος εἰς νεῶν κατάλογον, ἐπὶ τῆς δίκης ἀναγνῶναι,*

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
Στῆσε δ' ἄγων, ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

Plerique ajunt favisse Soloni opinionem Homeri; illum enim inseruisse versum in Catalogum navium, & legisse in judicio:

Bis sex adductas Ajax Salamine carinas
Vinxit, Athenarum quà castra habuere phalanges.

4. Cùm *Solon* additione peccasset, exemplum proferam hominis detractione peccantis. Is fuit *Athenodorus* Stoïcus, Pergamenæ Bibliothecæ præfectus. Auctor est *Diogenes* Laërtius, † in Zenone, ubi postquàm dixit ab hoc Philosopho artem amatoriam conscriptam, subjicit: *ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς διατριβαῖς παραπλήσια γράφει. τοιουτότροπα τινὰ ἐστι παρὰ τῷ Κασσίῳ. ἀλλὰ καὶ Ἰσιδώρῳ τῷ Περγαμηνῷ. ὃς καὶ ἐκτμηθῆναι φησὶν ἐκ τῶν βιβλίων τὰ κακῶς λεγόμενα παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς ὑπ' Ἀθηνοδώρου τοῦ Στωϊκοῦ, πιστευθέντος τὴν ἐν Περγάμῳ βιβλιοθήκην. εἶτα ἀντιτιθῆναι αὐτὰ, φωραθέντος τοῦ Ἀθηνοδώρου, καὶ κινδυνεύσαντος*: *similia item scribit in diatribis. Hujusmodi quædam sunt apud Cassium, itémque apud Isidorum Rhetorem Pergamenum, qui etiam resecta ait ex libris quæ malè dicerent Stoïci, ab Athenodoro Stoico, cui commissa erat bibliotheca Pergamena; deinde rursus inserta eadem*

* *In Solone p.* 83.
† *Lib. VII. §.* 34.

esse

eſſe, deprehenſo ac periclitante Athenodoro. Digni certè erant, qui id flagitium admittebant, Falſariorum pœnas luere.

5. Hæc oſtendunt, inter Ethnicos, non infrequentes fuiſſe ejuſcemodi fraudes; & utinam idem flagitium objici non poſſet Chriſtianis! Sed veri amantibus fatendum, nihil eſſe quod, hac in re, exprobremus Ethnicis, quod de nobis acriùs dicere nequeant. Non modò inventi ſunt Falſarii, qui ſceleratas manus Scriptis piorum virorum, qui dudum mortui erant, inferre ſuſtinuerint; ſed, ne quid impudentiæ deeſſet, viventium etiam ſcripta adulterare auſi ſint. De ſe ipſo, teſtis fide dignus eſt *Dionyſius* Corinthiorum Epiſcopus, qui vixit ſub finem ſecundi ſæculi, & ita apud * *Euſebium* loquitur: ἐπιστολὰς γὰρ ἀδελφῶν ἀξιωσάντων με γράψαι ἔγραψα. καὶ ταύτας οἱ τοῦ διαβόλου ἀπόστολοι ζιζανίων γεγέμικαν, ἃ μὲν ἐξαιροῦντες, ἃ δὲ προστιθέντες. οἷς τὸ οὐαὶ κεῖται. οὐ θαυμαστὸν ἄρα εἰ καὶ τῶν κυριακῶν ῥᾳδιουργῆσαί τινες ἐπιβέβληνται γραφῶν, ὁπότε καὶ ταῖς οὐ τοιαύταις ἐπιβεβλήκασι: *Epiſtolas ſcripſi rogatus à fratribus. Sed illas miniſtri quidam Diaboli zizaniis impleverunt, quædam ex illis expungentes, quædam adjicientes. Quos certe manet feralis illa ſententia, væ vobis. Non mirum igitur videri debet, ſi Domini Scripta quidam adulterare aggreſſi ſunt, quandoquidem adulterarunt quæ talia non ſunt.*

5. Nunc inventâ typographicâ arte, cùm Scriptor quiſpiam ſua ipſe opera edit, centena aliquot ſimul emittuntur exemplaria; quæ ipſo invito corrumpi nequeunt, & ad quæ Lectores provocare poſſunt; ſed cùm ſcriberentur Libri, pauciores primùm edebantur, quos pauci videbant, & qui intercidere facilè poterant; ita ut ingens ſemper eſſet feneſtra depravationi aperta. Præterea ea ſunt hodie editionum, & temporum indicia, vix ut viri literati falli in editionibus poſſint; illo verò tempore, unde prodiiſſent libri, & à quibus Librariis, paucis pòſt annis, vix reſciri poterat. Itaque conferentibus Libros inter ſe non ſemper facile erat dijudicatu, utri majori fide deſcripti deberent judicari. Opus erat interdum magnâ diligentiâ & magno acumine, ut ſpuria à genuinis ſecernerentur; qua in re, nobiliſſimus Critices uſus, ſummáque ejus præſtantia elucent.

---

* *Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. c. 23.*

6. Exemplum proferam, ex Epistola *S. Barnabæ*, à viris doctis nondum antehac, quod sciam, animadversum. Exstat Cap. XII. ejus Epistolæ, ex divisione *J. B. Cotelerii*. Ἐπεὶ οὖν, inquit, *μέλλουσι λέγειν, ὅτι ὁ Χριστὸς υἱός ἐστι Δαβίδ· φοβούμενος καὶ συνιὼν τὴν πλάνην τῶν ἁμαρτωλῶν, λέγει· εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.* Καὶ πάλιν λέγει αὐτῷ Ἡσαΐας εἶπε Κύριος τῷ Χριστῷ μου Κυρίῳ, οὗ ἐκράτησα τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ ἐπακοῦσαι ἔμπροσθεν αὐτοῦ ἔθνη, καὶ ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥήξω. Ἴδε πῶς λέγει Δαβὶδ αὐτὸν Κύριον καὶ υἱὸν Θεοῦ: *quoniam ergo dicturi erant Christum esse filium Davidis, veritus & intelligens errorem peccatorum dicit:* dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Esaïas verò ita loquitur:* dixit Dominus Christo meo Domino, cujus apprehendi dexteram, ut obediant coram eo gentes, & fortitudinem regum disrumpam. *Vide quomodo David eum Dominum vocet & Dei filium.*

7. Integram hanc citationem Esaïæ insertam esse huic Epistolæ, ab alio, hæc ostendunt. Primum est, quòd legendum in ea sit Κύρῳ, *Cyro*, non Κυρίῳ *Domino*; cùm in Hebraïcis sit לכורש *lchoresch*, & alia exemplaria LXX. Intt. habeant Κύρῳ. Græci & Latini Patres, Hebraïcæ Linguæ ignari, potuerunt, hac in re falli, atque ex mendo Librarii mirifica argumenta ducere; sed *Barnabæ* Cyprio, & Linguæ Hebraïcæ perito tale quid excidisse, sine maxima ejus contumelia, credere non possumus. Alterum est, quòd insertionis alienæ indicium sit in sequentibus verbis: Ἴδε πῶς λέγει Δαβὶδ, ex quibus liquet à *Barnaba* solum Davidem laudatum in superioribus fuisse. Alioqui dixisset, πῶς λέγουσι Δαβὶδ καὶ Ἡσαΐας. Sensit hoc auctor priscæ versionis, qui ut malè cohærentia *Barnabæ* verba meliùs fluerent, novâ interpolatione priorem fraudem occultare conatus est, hoc modo verbis postremis immutatis: *Videte quomodo illum PROPHETÆ dominum, non tantùm filium dicunt.*

8. Possemus exempla ex aliis Scriptoribus Ecclesiasticis addere, verùm de iis agemus in sequente Sectione, ubi de insignioribus interpolationibus. Hoc loco, de tribus celeberrimis locis *Josephi*, nonnulla monebimus. *Origenes* Lib. I. & II. * contra *Celsum* & in † Matth. XIII. hæc verba

* *Pag.* 35. *Ed. Cantab.* & *p.* 69.
† *Pag.* 223. *Ed. Huetiana.*

tribuit,

tribuit, *Josepho*: Ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίοις κατ᾽ ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν: *Hæc autem contigerunt Judæis, in ultionem Jacobi justi, qui erat frater Jesu dicti Christi; quoniam eum, cùm justissimus esset, Judæi interfecerant.* At in exemplaribus nostris *Josephi*, nusquam exstant; unde * viri docti colligunt hunc locum è *Josephi* libris esse erasum à Judæis, cùm præsertim *Eusebius* Hist. Eccles. Lib. II. c. 23. eadem illa verba proferat. Si vera hæc est conjectura, insignis hæc erit fraus Judæorum, qui locum abraserint. At si contrarium statueretur, nempe, locum hunc additum à malè sano Christiano fuisse, & fefellisse *Origenem* ac *Eusebium*; doli mali reus esset Librarius Christianus. Alterutrum eligatur, nobis perinde est; qui fraudes, à quocumque ortæ fuerint, æquè exsecramur.

9. Attamen, ne quid dissimulemus, credibilius nobis videtur *Origenem* incidisse in Exemplar *Josephi*, à Christiano quopiam auctum allatâ periodo; quàm eam à Judæis postea fuisse, in omnibus exemplaribus, expunctam. Ita sentiendi has potissimùm rationes habemus. Primùm verisimile non est *Josephum* hominem Judæum tanti fecisse mortem hominis Christiani, ut, inter potissimas Jerosolymitani excidii causas, ejus cædem recensuerit. Quòd si nec malè sensisset de Christianis, & ejusmodi sceleris eam calamitatem ultionem esse credidisset, potiùs Christi ipsius cædem memorasset, quæ haud paulò majoris erat impietatis facinus. Sensit hoc partim *Origenes*, debuissétque propterea suspectum habere locum. † Καὶ τοίγε ἀπιστῶν Ἰησοῦ, ὡς Χριστῷ, ζητῶν τὴν αἰτίαν τῆς τῶν Ἱεροσολύμων πτώσεως καὶ τὴν τοῦ ναοῦ καθαιρέσεως. δέον αὐτὸν εἰπεῖν ὅτι ἡ κατὰ τοῦ Ἰησοῦ ἐπιβουλὴ τούτων αἰτία γέγονε τῷ λαῷ, ἐπεὶ ἀπέκτειναν τὸν προφητευόμενον Χριστόν. ὁ δὲ καὶ ὥσπερ ἄκων οὐ μακρὰν τῆς ἀληθείας γενόμενος, φησὶ ταῦτα συμβεβηκέναι τοῖς Ἰουδαίοις κατ᾽ ἐκδίκησιν Ἰακώβου, καὶ τὰ ἑξῆς: *Quamvis fidem Jesu, ut Christo, non habens, dum quærit causam Jerosolymitani excidii, Templique demolitionis (cùm debuisset dicere insidias Jesu structas causam fuisse horum populo Judæorum, quoniam Christum à Prophetis prædictum interemerant) quasi invitus, haud procul à*

* P. D. Huëtius Dem. Evang. Prop. III. §. 10.
† Pag. 35.

veritate discedens ait hæc contigisse Judæis, in ultionem Jacobi. At *Josephus* non credens Christum esse Messiam, adeóque Pseudoprophetam eum habens, non potuit dicere, propter Pseudoprophetæ discipulum occisum, deletam fuisse Jerosolymam. Qui nihil dixerat de ipso Jesu, ut existimabat *Origenes*, is multò minùs de ejus discipulo loquutus esset. Certè nullum est, apud *Josephum*, vel minimum hujus lacunæ vestigium, quo credibile fiat, hoc eraso, quidquam deesse orationi *Josephi*. Denique quis credat Judæos à temporibus *Origenis*, quibus Christianum nomen ubique sparsum erat, & quibus jam Bibliothecas adornare sibi Christiani cœperant, ut docet * *Eusebius*, ex omnibus Codicibus potuisse ea verba ita expungere, ut nullus eorum qui ad nos pervenerunt integer sit? Certè credibile est Librarios Christianos, non Judæos qui librorum Græcorum numquam studiosi fuerunt, nec Ethnicos à quibus spernebantur Judæi, exscripsisse Josephum; illi autem numquam hunc locum omisissent, si in suis Exemplaribus eum reperissent. Imò verò ex auctoritate *Origenis* suo loco potiùs reposuissent, si aptum ullum apud Josephum invenissent.

10. At eum locum, inquit vir doctissimus, " † quoniam tam apertè & fidenter usurpant *Origenes* & *Eusebius*, cùm ille disputaret adversus Ethnicos, uterque verò in media Judæorum colluvie scriberet, & eum præterea designat ‡ *Hieronymus*; minimè credi potest vel confictum ab iis fuisse, vel ab aliis, vel omnino suspectum fuisse & dubium. At *Origenem* sequutus est *Eusebius*, ut solet priores, *Eusebium Hieronymus*, ne inspecto fortè quidem *Josepho*. Ideóque hi tres testes ad unum redeunt. Non equidem puto *Origenem* finxisse, sed vitiato codice usum nihil vetat, quin fateamur. Numquam fuit tam diligens, ut nihil proferret nisi exploratum. Fortè etiam memoriæ plus æquo confidit, & quod nusquam legerat citavit. At facere non debuit. Fateor, sed an homines etiam eruditi semper abstinent ab iis, à quibus eos abstinere satius erat? Annon Veteres passim infirma argumenta, ex suppostitiis libris petita, proferunt fidentissimè, quasi res clara esset? Testes sunt fictitiæ *Sibyllæ*;

* *Lib. VI. c. 20. Hist. Eccl.*
† *P. D. Huetius, Ibid.*
‡ *Catal. Script. Eccles. in Josepho & Jacobo.*

& tot

& tot alii libri passim à *Clemente Alexandrino*, aliisque laudati. Igitur non est ex ἀκριβείᾳ, quâ Veteres plerique caruerunt, ratiocinandum. Hæc si expendantur, per se concident quæcumque similia, hanc in rem, habet vir eruditissimus.

11. Alter locus legitur etiamnum apud * *Josephum*, cujus hæc sunt verba, postquàm dixit Ananum juniorem Sadducæum fuisse, & Synedrium, non exspectato Albino, convocasse, ita pergit: ϰ̀ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τ̀ ἀδελφὸν Ἰησȣ̃ τȣ̃ λεγομένȣ Χριςȣ̃, Ἰάκωβ☉ ὄνομα αὐτῷ καί τινας ἑτέρȣς, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμεν☉, παρέδωκε λευσθησομένȣς: *statutisque coram eo fratrem Jesu, dicti Christi, (nomen ei erat Jacobo) & quosdam alios; eos accusatos perfractæ legis, tradidit lapidibus obruendos.*

12. Sunt quoque rationes sat graves, quæ persuadeant hæc fuisse interpolata, & scripsisse dumtaxat *Josephum*, ϰ̀ παραγαγὼν εἰς αὐτό τινας, ϰ̀ ὡς παρανομησάντων, &c. *statuisque coram eo nonnullos, & accusatos perfractæ legis, tradidit lapidibus obruendos.* Primò, hic locus non videtur, tempore *Hegesippi*, fuisse in *Josepho*; hinc enim potiùs narrationem mortis Jacobi desumpsisset, quàm ex ineptis narrationibus, quas ex eo habet *Eusebius* Lib. II. c. 23. Hist. Eccles. Similia dicenda de *Clemente*, qui Hypotypos. Lib. VII. dicebat ex *Hegesippo* Jacobum ϰτ̀ τȣ̃ πτερυγίȣ βληθέντα, ϰ̀ ὑπὸ κναφέως ξύλῳ πληγέντα εἰς θάνατον: *ex templi lorica præcipitatum, & à fullone ligno ad mortem percussum.* Secundò, qui fidem habent narrationi *Hegesippi*, eos oportet aut *Josephum* falsi arguere, aut supectum habere hunc locum, quo res publicè Jerosolymæ gesta, adeóque notissima aliter narratur; ut mirari subeat ab *Eusebio* *Josephi* & *Hegesippi* verba allata, eodem Capite, nec eum tentasse ea in concordiam redigere, aut alterutrius narrationis fidem in dubium non revocasse. Tertiò, non est credibile *Josephum* Judæum, ut jam diximus, tanti fecisse mortem Episcopi Christiani, sine dubio, ex opinione Judæorum, παρανομήσαντ☉, ut eam quasi grave crimen Anani memoraverit. Palam enim docebant Christiani, illo tempore, liberè versandum esse cum Ethnicis incircumcisis, & ceremoniarum legalium nequaquam observantibus; eósque non minùs mundos esse, ac Deo gratos, si ex norma Evangelii viverent, quàm si Mosaïcos omnes ritus ob-

* *Ant. Jud. Lib. XX. c. 8.*

ſervarent; quæ erat ſine dubio παρανομία, ex ſententia Phariſæorum, ac *Joſephi*.

13. Tertius locus eſt Antiquitat. Jud. Lib. XVIII. c. 4. ubi *Joſephus*, ſi exemplaribus noſtris credimus, diſertè loquitur de Chriſto. Non repetemus quæ de eo dixit vir acutiſſimus † *Tan. Faber*, qui integrâ Epiſtolâ à Chriſtiano confictum eſſe locum demonſtrare aggreſſus eſt. Si ille rem acu tetigit, habemus hîc inſigne exemplum interpolationis indignæ Chriſtianâ Religione; quæ firmioribus nititur fundamentis, quàm ut ejuſmodi fraudibus indigeat. Contrà ſi * vir celeberrimus, qui locum *Joſephi* genuinum eſſe contendit, & contra aliter ſentientes probare conatus eſt, audiatur, ſingularis nequitiæ Judæorum hic locus nobis exemplum præbet. Objicientibus enim, plurimos è priſcis Chriſtianæ Religionis propugnatoribus, tam valido teſtimonio cauſam ſuam numquam eſſe tutatos; non *Juſtinum*, non *Tertullianum*, non *Origenem*, non alios pleroſque; quod feciſſent utique, ſi vel cognita ipſis fuiſſet iſta ῥῆσις, vel pro legitima eam habuiſſent; hæc, inquam, objicientibus reſpondet, "cauſas, nempe, fuiſſe "dolos Judæorum, qui ex pluribus eam libris extri-"verant, jam indè à primis, poſt Joſephum, tempori-"bus.

14. Ad rem, quam hîc agimus, nihil intereſt utra harum ſententiarum verior habeatur; ſed ingenuè profitebimur nos *Tan. Fabro* adſentiri, poſt lecta quæ contrà eum dixit vir, cujus multijugem eruditionem cæteroqui ſuſpicimus. Nihil quidem eſt quod addamus *Tan. Fabri* argumentis, ſed non difficulter nobis videmur confutare poſſe, quæ illi oppoſita ſunt, quod tamen non faciemus. Unum dumtaxat hîc animadvertendum eſſe cenſemus; nimirum, incredibile planè eſſe exemplaria *Origenis* habuiſſe locum priorem de Jacobo, antea allatum, qui in nullis noſtrorum comparet; caruiſſe verò hoc, de Chriſto, teſtimonio. Qui enim unum abradere potuerant, alterum etiam abraſiſſent. Non minùs mirum, in iis exemplaribus, qui habent locum de Chriſto, deeſſe verba ad Jacobum ſpectantia, quæ prima expendimus. Si dixeris relictum fuiſſe in exemplaribus *Origenis* locum de Jacobo, quippe minoris momenti; expunctum verò eum, in quo de Chriſto ſermo erat, quo Judæorum pertinacia jugula-

† *Lib. I. Ep.* 44.
* *P. D. Huetius Prop. III.* §. 13.

batur;

batur; quæram quî factum ergo sit, ut in sequentium sæculorum exemplaribus, in quibus verba de Christo leguntur, nusquam inveniantur quæ primo loco protulimus de Jacobo? Si hæc deleta fuerant, multò potiori jure illa expuncta fuissent. Vix quoque crediderim ullos fuisse Librarios Judæos, qui Græcos libros Christianis, aut Ethnicis venderent; certè non fuit eorum moris describere Gentilium scripta, nec propter *Josephum*, & perpaucos alios Judæos, qui Græcè scripserant, videntur illi librarias officinas instituisse. Multa verò exemplaria corrumpere vix quisquam poterat, nisi Librarius.

15. Nec est putandum defuisse inter Christianos, ex quocumque grege fuerint, qui ejusmodi fraudes admitterent. Exempla aliquot ex Novo Testamento proferemus locorum manifestò interpolatorum, in plurimis saltem Codicibus; ex quibus judicare licebit, non unum fuisse Falsarium, inter eos qui Codices Sacros olim describebant; quamvis nequaquam passa fuerit divina Providentia, eorum depravationes Religioni nocere.

Matthæi C. III. 11. Joannes Baptista ait se baptizare aquâ, in pœnitentiam; sed eum, qui post ipsum venturus erat, baptizaturum ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ, *spiritu sancto & igne.* Veteres omnes Translationes & optimi Codices ita legunt, attamen laudantur aliquot MSS. Codd. in Oxoniensi Editione, à quibus voces ἐν πυρὶ absunt. Cùm non intelligerent quid hæ voces vellent, nec eas viderent expressas Marc. I. 8. & Joan. I. 35. delendas eas temerè homines non bonæ fidei judicarunt. Fortè &, ut suspicatur *H. Grotius*, Hæretici nonnulli, qui igne baptizabant, occasionem huic depravationi præbuerunt.

Marci Cap. XVI. Quamvis veteres Translationes, antiquissimíque Codices & Patres, hoc Caput integrum habeant, ac laudent; sunt nonnulli Codices, in quibus totum deest, aut saltem à vers. 9. quod se animadvertisse ait *Gregorius* Nyssenus, ut observavit *H. Grotius*; qui rectè judicat hanc omissionem tribuendam exscriptoribus, qui in hac parte Marcum cum Matthæo in concordiam non posse revocari existimarunt. *Hieronymus*, in Ep. ad Hedybiam, similiter animadvertit à plerisque hoc Caput non admitti, & adjectitium haberi, quòd diversa narret à reliquis Evangelistis. Hoc verò falsum esse ostenderunt viri doctissimi, ut nulla sit ratio de Evangelistarum consensu dubitandi.

Ibidem

Ibidem verf. 2. pro ἀνατείλαντος ἡλίου, *orto sole*, MS. Codex R. *Stephani* habuit ἔτι ἀνατείλαντος. *Gregorius Nyssenus*, in Serm. de Resurrectione: ἔτι τοῖς ἀκριβεστέροις τῶν ἀντιγράφων ἐμφέρεται: adhuc *in accuratioribus exemplaribus exstat*. Sic legit etiam *Eusebius*, in Demonst. Evang. Lib. X. c. 8. Alii verò Codices, & veteres Translationes omittunt eam particulam, unde colligere est interpretationis gratiâ additam.

Ibidem. Verf. 8. In Codice, qui laudatur in Edit. Wecheliana, adduntur hæc versui octavo, atque ita desinit hoc Evangelium: πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας: *omnia mandata Petro paucis nunciarunt. Post hæc verò & ipse Jesus, ab oriente usque ad occasum, nunciavit per eos sacrum & incorruptum præconium æternæ salutis*.

Ibidem. Verf. 14. *Hieronymus* Lib. II. adversus Pelagianos: *In quibusdam exemplaribus & maximè in Græcis Codicibus, juxta Marcum, in fine ejus Evangelii scribitur*. Postea cùm accubuissent, &c. *Et illi satisfaciebant dicentes; seculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos Spiritus veram Dei apprehendi virtutem. Idcirco jam nunc revela justitiam tuam.* At neque Versiones, neque Codices ulli superstites huic additamento favent.

Lucæ Cap. II. 33. Καὶ ἦν Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ. *Et erant Joseph & mater ejus.* Sic Alexandrinus & plerique Græci Codices, sic Syrus & Arabs. At Vulgatus: *& pater ejus & mater*, quam lectionem confirmant aliquot Græci Codices. De hac *Hieronymus*, contra Helvidium: *Tu licèt, mirâ impudentiâ, hæc in Græcis Codicibus falsata contendas, quæ non solùm omnes penè Græciæ tractatores in suis voluminibus reliquerunt; sed nonnulli quoque è Latinis, ita ut in Græcis habentur, adsumpserunt.* Non immeritò conjecit *Erasmus, mutatum id à quopiam, qui vereretur Josephum vocare patrem Jesu.*

Ibidem. Cap. XIX. 41. Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ *& cùm adpropinquasset, conspectâ urbe, illam deflevit.* Cùm nonn[illegible] lacrymas Christo indignas judicarent, resecuerunt hunc ver[illegible] *Epiphanius* in Anchorato num. 31. Ἀλλὰ καὶ ἔκλαυσε κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγελίῳ, ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις, καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ κατὰ αἱρέσεων, πρὸς δοκήσει τοῦ Χριστοῦ

ἢ χεῖρον πεφυκέναι λέγοντας. ὀρθόδοξοι δὲ ΑΦΕΙΛΟΝΤΟ τὸ ῥητὸν φοβηθέντες καὶ μὴ νοήσαντες αὐτοῦ τὸ τέλος, καὶ τὸ ἰσχυρότατον: *Sed & ploravit exstat in Evangelio secundùm Lucam, in exemplaribus non emendatis*, (imò non corruptis) *& usus est hoc testimonio Sanctus Ireneus, in opere contra Hæreses, ad eos refellendos, qui Christum specie tenus fuisse dicebant. Orthodoxi verò SUSTULERUNT vocem, veriti, nec intelligentes ejus finem & summam vim.* Habent tamen omnes nostri Codices, & antiquissimæ Translationes. Vide *H. Grotium*, ad hunc locum.

Ibidem. Cap. XXII. 43, 44. Ὤφθη δὲ αὐτῷ Ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν. Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἐκτενέστερον προσηύχετο. ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ, ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν: *Apparuit autem ei Angelus de cælo confortans eum, & cùm esset in agonia, intentiùs orabat; erat autem sudor ejus, quasi grumi sanguinis descendentes in terram.* Hæc, quæ sunt in omnibus nostris Codicibus, priscisque Translationibus, ait *Hieronymus* Lib. II. contra Pelagianos, *in quibusdam exemplaribus, tam Græcis, quàm Latinis, inveniri*; ex quibus verbis liquet, si modò accuratè loquutus est *Hieronymus*, ex plerisque abfuisse. Similia habet *Hilarius* Lib. X. de Trinitate. Falsarii, qui pro sua imperitia, historiam Christi emendabant, hæc sustulerant, quasi indigna Christo, quæ tamen cæteri Christiani genuina esse agnoverunt. Quæ narrabantur de nonnullis Martyribus, qui, quasi alienatâ mente, nec cruciatus ullos patiente, illudebant carnificibus, effecerant ut extremum illud Christi certamen imperiti homines non satis concoquerent. At multò major est constantia ejus qui sui compos, & acerrimis doloris ac ignominiæ stimulis confossus, constanter virtutem ac veritatem tuetur; quàm ejus, qui instar furentis clamitat, se nihil sentire doloris, & ridet, si vera quidem sunt quæ narrantur, in mediis flammis, aut in candente crate. Verùm hæc non sunt hujus loci.

Joannis Cap. VII. 8. ita loquitur Christus: ὑμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω: *vos ascendite ad hoc festum, ego nondum ascendo.* A versione Vulgata abest *nondum* οὔπω, sed in cæteris Translationibus, est particula similis significationis. Plerique etiam Codices nunc habent οὔπω. Attamen tempore *Porphyrii*, in plerisque videtur omissa hæc particula fuisse. *Hieronymus*, Lib. II. contra Pelagianos: *Iturum se negavit, & fecit quod priùs negaverat. Latrat Porphyrius, inconstantiæ ac mutationis accusat, nesciens omnia scandala ad carnem esse referenda.* Vide, ad hunc locum, *Theod. Bezam.*

Ibidem.

Ibidem. Cap. VIII. 3. & seqq. ad 11. habetur historia adulteræ, de qua vide quæ adjecimus *H. Hammondi* adnotationibus.

Actorum Cap. XX. 28. est insignis lectionis varietas, de qua jam diximus Cap. VIII.

Epistolæ ad Romanos C. V. 14. ait Paulus mortem regnasse ab Adamo usque ad Mosem καὶ ἐπὶ MH *ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ* : *etiam in eos qui* NON *peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam. Origenes* observârat, in multis Codicibus, non esse negativam; atque ita legendum contendit *Hilarius Diaconus*, cujus Commentarii perperam *Ambrosio* olim tribuebantur. Recténe an secus, nunc non quæram, sed digna notatu verba ejus adscribam, ubi ita loquitur contra eos, qui Græcos Codices, in quorum plerisque erat negatio, quasi emendatiores Latinis, ei objiciebat : *Sic præscribitur nobis de Græcis Codicibus, quasi non ipsi ad invicem discrepent.* QUOD *fecit studium contentionis. Quia enim propriâ quis auctoritate non potest uti, ad victoriam, verba Legis adulterat, ut sensum suum quasi verba Legis adserat; ut non ratio, sed auctoritas præscribere videatur. Constat enim hoc, per quosdam Latinos, de veteribus Græcis translatos olim Codices, quos incorruptos simplicitas temporum servavit & servat. Postquàm autem concordia, animis dissidentibus & hæreticis proturbantibus, contorqueri quæstionibus cœpit,* MULTA IMMUTATA *sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in* * *Literis quod homini videretur, unde & ipsi Græci diversos Codices habent. Hoc autem verum arbitror, quando & historia & ratio & auctoritas observantur. Nam hodie, quæ in Latinis reprehenduntur, sic inveniuntur à Veteribus posita, Tertulliano, Victorino & Cypriano.* De varietate lectionis, in Pauli loco, adeantur *Des. Erasmus* & *Theod. Beza*, qui acerrimè in virum se doctiorem invehitur.

Ibidem, C. IX. 5. Christus dicitur ὁ *ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Observavit dudum *Erasmus Cyprianum*, adversus Judæos Lib. II. c. 6. & *Hilarium* in Psalmum CXXII. omittere vocem *Deus*, nec *Chrysostomum* videri eam legisse. *H. Grotius* iis addit Syrum Interpretem, qua in re fallitur. Sive autem deleta, sive addita fuerit datâ operâ hæc vocula, Falsariorum hoc fuit facinus; qui aut noluerunt sibi Paulum adversari, aut sententiam pro se

* *Videtur deesse sacris, aut sanctis*

ferre

ferre voluerunt. Existimavit *Erasmus* interpunctionem hîc esse mutandam, at temerè, qua de re postea aliquid dicemus.

1. Epistolæ ad Timotheum Cap. III. 16. in plerisque nostris exemplaribus Græcis, legimus hodie Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, *Deus apparuit in carne.* Sed pro voce Θεὸς, Latinus Int. & Syrus legerunt ὃ, confirmántque eam lectionem Claromontanus Codex, & alius in Oxoniensi Editione memoratus. *Erasmo* videtur additum Deum *adversus Hæreticos Arianos*; *Bezæ* verò *sublatum fuisse ab iis qui vel Deitatem Christi, vel utriusque naturæ unionem, jam inde ab ipso conceptionis momento, negabant.* Non inquiram, uter meliùs conjecisse videatur; sed si quis addiderit quod in Codicibus suis non inveniebat, aut detraxerit quod in iis legebat, confirmandæ opinionis suæ causâ, eum Falsarium fuisse, ex omnium suffragio, pronuncio.

1. Epistolæ Joannis Cap. IV. 3. legimus in exemplaribus Græcis, consentientibus Syro & Arabe Interpretibus: πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ Θεοῦ οὐκ ἐστί: *omnis Spiritus qui non fatetur Christum, qui in carne venit, ex Deo non est.* At Vulgatus habet: *Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est*; itémque *Irenæus*, Lib. III. c. 18. *Tertullianus* Lib. V. contra Marcionem Cap. 16. & alii. *Socrates* verò Hist. Eccles. Lib. VII. c. 32. sic de Nestorio, déque hoc loco scribit: ἠγνόησεν ὅτι ἐν τῇ καθολικῇ Ἰωάννου ἐγέγραπτο ἐν τοῖς παλαιοῖς ἀντιγράφοις, ὅτι πᾶν πνεῦμα Ο ΛΥΕΙ τὸν Ἰησοῦν, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστί. Ταύτην γὰρ τὴν διάνοιαν ἐκ τῶν παλαιῶν ἀντιγράφων περιεῖλον οἱ χωρίζειν ἀπὸ τοῦ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου βουλόμενοι τὴν θεότητα· διὸ καὶ οἱ παλαιοὶ ἑρμηνεῖς αὐτὸ τοῦτο ἐπεσημήναντο, ὥς τινες εἶεν ΡΑΔΙΟΥΡΓΗΣΑΝΤΕΣ τὴν ἐπιστολὴν, λύειν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τὸν ἄνθρωπον θέλοντες: *ignoravit in catholica Joannis Epistola, ita scriptum esse, in antiquis exemplaribus*: Omnis spiritus, qui Jesum solvit non est ex Deo. *Hanc enim sententiam è vetustis exemplaribus sustulerunt ii, qui ab hominis dispensatione divinitatem separare studebant. Quamobrem & prisci Interpretes id ipsum observarunt; fuisse nimirum, quosdam, qui hanc Epistolam* DEPRAVARINT, *hominem à Deo sejungere cupientes.* Est & alia lectio hujus loci, ex Codice Alexandrino; πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστίν: *omnis spiritus qui non fatetur Jesum, ex Deo non est.* In partes eunt Interpretes, de vera hujus loci lectione; & contendunt eam lectionem, quam non probant, esse depravationem.

Ibidem.

Ibidem. Cap. V. 7. 8. ita legimus in Codicibus nostris, ex recentioribus MSS. Ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα. καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι; *nam tres ſunt, qui teſtificantur in cœlo; Pater, Ratio, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtificantur in terra, ſpiritus & aqua & ſanguis, & hi tres in unum conſentiunt.* At MS. Alexandrinus habet tantùm: ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Ita etiam vetuſtiores alii omnes Codices Græci, ita Syrus, Arabs, Æthiops, & ipſe Latinus interpres, in antiquiſſimis Codicibus. Priſcis Libris ſi inſint verba, quæ in Editionibus noſtris leguntur, ſunt addita margini, non in ipſa orationis ſerie, & quidem recentiore plerumque manu. * Ita multi Patres legerunt, ut monuerunt viri doctiſſimi ad hunc locum, quod pluribus probare non opus eſt. *H. Grotius* conjicit ex additamento Ariani cujuſpiam eſſe, quod præterea legitur in noſtris Codicibus; alii volunt in iis caſu eſſe omiſſa, quæ ſunt inter voces οἱ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, propter eorum verborum repetitionem, quod ſæpe factum antea oſtendimus; ſed obſtant voces ἐν τῇ γῇ, quæ ſunt poſt hæc verba verſ. 8. Volunt quidem viri eruditi eas primùm ſcriptas fuiſſe, ſed poſtea deletas, cùm ſenſu carerent. At primùm, eſt conjectura quæ nullis nititur Codicibus; nulli enim laudantur ubi ſint voces ἐν τῇ γῇ, omiſſis teſtibus cœleſtibus. Deinde, poterat dicere Joannes tria Christo teſtimonium exhibere *in terra*, tacitè hoc opponens variis cœleſtibus teſtimoniis, quæ Pater ei præbuerat, nec cauſa ulla erat eorum verborum delendorum. Tertiò, nullo modo credibile eſt hæc verba delituiſſe in pervetuſtis quibuſdam Codicibus per aliquot ſæcula, dum Arianorum controverſiæ vigerent, & agitarentur à viris † doctiſſimis, qui omnia vetera monumenta curioſiſſimis oculis luſtrabant, ſi quid in iis occurreret, quo cauſam ſuam tueri poſſent; donec exſtinctâ propemodum Arianorum ſectâ, in lucem proferrentur. Quæ cùm ita ſint, fateor me non videre quâ fide, aut quo jure poſſint vetuſtiores Codices ex recentioribus emendari? An ita poſtulat orationis ſeries? Ne-

* *Omitto minores varietates, quas vide in Oxon. Ed. & apud* Ric. Simonium *in H. C. N. T. de Textu Cap. XVIII. & diſſ. de MSS. N. T. ſub finem.*

† *Scio proferri locum unius* Cypriani, *ſed ex eo nihil poſſe colligi egregie oſtendit* Ric. Simonius; *quod non illibenter agnoſco, qui gratias habeo verum docentibus, quicumque ſint.*

quaquam

quaquam. Non pluribus rem persequemur, quia à viris doctissimis copiosissimè pertractata est.

Unum duntaxat addemus exemplum insignis fraudis, hanc in rem. Cùm, nimirum, deessent, in antiquioribus Latinis exemplaribus, verba quæ antea attulimus, non modò à Theologis illata sunt recentioribus MSS. sed & antiquiores interpretes malæ fidei sunt incusati. Quod ut aliqua cum veri specie, quæ nulla erat, fieri posset, fictus est à pio, scilicet, impostore Prologus in septem Epistolas Canonicas, in quo ita *Hieronymus* loquens inducitur: *Quæ si, ut ab eis digestæ sunt, ita quoque ab Interpretibus fideliter in Latinum eloquium verterentur, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret; illo præcipuè loco de unitate Trinitatis, in prima Joannis Epistola, positum legimus. In qua etiam ab infidelibus Translatoribus multùm erratum esse fidei veritate comperimus; trium tantum vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis & spiritûs in sua editione ponentes; & Patris, Verbique ac Spiritûs testimonium omittentes; in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris & Filii ac Spiritûs Sancti una divinitatis substantia comprobatur.* Ne quisquam suspicaretur Prologum non esse *Hieronymi*, additum est in ultima Periodo nomen *Eustochii: Sed, tu virgo Christi Eustochium*, &c. Hunc autem Prologum esse confictum probavit *Ric. Simonius* in Hist. Critica Textûs N. T. Cap. XVIII. quamvis in nonnullis erraverit, si stemus fide *Monachorum Benedictinorum*, qui nuper *Hieronymum* edidere. Ipsa tamen in re ei adsentiuntur, quamvis ubicumque possunt eum admordeant, & γνησιότητα loci suspectissimi acriter defendant. Vide quæ habent in adnotationibus ad eum Prologum, & adi etiam *Simonium*, qui conjicit scholion è margine in textum irrepsisse.

Epistolæ Judæ vers. 4. in Editionibus, ita describuntur Hæretici quidam Apostolicorum temporum: τ̀ μόνον δεσπότην Θεὸν, ϗ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι: *solum herum Deum, ac Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Sed in Alexandrino Codice non est vox Θεὸς, uti nec in duobus *T. Bezæ*, nec in quinque aliis, in Oxoniensi Editione memoratis. Non legit eam Latinus Interpres. Sive datâ operâ detracta fuerit hæc vocula, sive addita à Theologis; quicumque sint, & quacumque de causa; illa quidem fraus est, indigna bonis viris, & veri amantibus.

Ultimo loco memorabimus novam interpunctionem, quam in MS. Codice invenit olim *Claud. Sarravius*, Senator Parisiensis, & quam his verbis profert, in Epist. CLXXVI. " Codex

"Codex est venerandæ antiquitatis, qui Scripturæ speciem "præfert ultra octingentos, vel etiam mille annos exaratæ. "Locus autem habetur Apocalyps. C. XIX. 10. & vulgò ita "legitur: σύνδουλός σου εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν ἐχόντων "τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ· τῷ Θεῷ προσκύνησον. Codex ve-"rò, quem jam verso, legit in hunc modum: σύνδουλός σου "εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν. Ἰησοῦ τῷ "Θεῷ προσκύνησον. Quæ lectionis varietas non est nihili. "Nempe, vertendum esset, ex hac interpunctione: *conservus tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium. Jesum Deum adora*; non, ut omnes Interpretes, *testimonium Jesu. Deum adora.* Sed hanc esse veram interpunctionem ostendunt sequentia, & perpetuus Apostolorum stylus. Quo factum ut nemo alius tale quidquam somniarit. Hoc in memoriam mihi revocavit duas interpunctiones ab *Erasmo* excogitatas, ad Rom. IX. 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem,* ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας; *qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Vellet aut τελείαν στιγμὴν ante ὁ poni *secundùm carnem. Deus, qui est super omnia, benedictus in secula*; nempe, sit; aut post πάντων, hoc modo, *qui est super omnia. Deus benedictus sit in secula.* Sed ut Græculus, à quo descriptus erat liber *Saravii*, invito Joanne, voluit nomen *Dei* Domino Jesu tribuere, ita &, invito Paulo, eum titulum Christo detrahere conatus est *Erasmus.* Utriusque conatus, inter depravationes, ex æquo haberi possunt; nisi quòd venia dignior est *Erasmus*, quia conjecturam tantùm in Adnotationibus proposuit; locum verò, in Translatione sua, non secus ac alii, interpretatus est.

16. Hæc sunt depravationum manifesta, nisi fallor, exempla; quæ tamen, ita rem administrante Divinâ Providentiâ, neminem fallere possunt, nisi qui sponte falli velit; cùm antiquissimi Codices, & priscæ Translationes, & Scripta veterum Patrum satis ostendant quæ sit vera locorum, in nonnullis Codicibus depravatorum, lectio; ne jam & doctrinam & stylum Apostolorum memoremus. Non est Religio Christiana res obscura, & cujus necessaria capita obiter tantùm attingantur in Apostolorum scriptis, aut difficulter ex aliis colligantur; ex quo intelligere licet, mala manu, difficillimè eorum ullum ex hominum memoria deleri potuisse. Non moror hic crassas Marcionitarum & aliorum depravationes, quæ statim retectæ sunt, & unà cum illis meritò irrisæ atque explosæ interierunt.

CAPUT

CAPUT XV.

De Mendis à Vetuſtate ortis.

1. CUM Vetuſtas inſcripta marmori atque æri monumenta innumera, aut prorſus abſumſerit, aut partim deleverit; nemo mirari poſſit, cur in libris, in membrana aut charta deſcriptis, ſint vel plurium vocum vel aliquot litterarum lacunæ. Negligentiâ Librariorum atramento non bene temperato utentium, aut etiam eorum qui libros, magno licèt ære emtos, interdum non ſatis diligenter adſervarunt, aliiſque ejuſmodi caſibus, factum eſt ut in antiquiſſimis MSS. multa loca deſint, ac plurimæ voces mutilæ cernantur, & quæ cupidiſſimè legeremus ea avidos oculos noſtros fugiant. Quicumque Bibliothecas MSS. Codicibus inſtructas luſtrarunt, facilè innumeros in iis vetuſtatis, omnia abſumentis, morſus animadverterunt; & frequentes ſunt virorum doctorum acerbiſſimæ, ac inaniſſimæ querelæ, cùm à MSS. ſuis deſtituuntur, in iis locis, in quibus maximè eorum operâ indigebant.

2. Exſtat hanc in rem hiſtoria, apud *Strabonem*, * digna quæ huc transferatur, quamvis paullò prolixior ſit locus. Poſtquàm ergo dixit ab *Ariſtotele* bibliothecam traditam eſſe *Theophraſto*, à *Theophraſto* verò relictam *Neleo*, ita pergit: ὁ δ' εἰς Σκῆψιν κομίσας τοῖς μετ' αὐτὸν παρέδωκεν ἰδιώταις ἀνθρώποις, οἳ κατάκλειστα εἶχον τὰ βιβλία, οὐδ' ἐπιμελῶς κείμενα· ἐπειδὴ δὲ ᾔσθοντο τὴν σπουδὴν τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων, ὑφ' οἷς ἦν ἡ πόλις, ζητούντων βιβλία εἰς τὴν κατασκευὴν τῆς ἐν Περγάμῳ βιβλιοθήκης, κατὰ γῆς ἔκρυψαν ἐν διώρυγί τινι. ὑπὸ δὲ νοτίας καὶ σητῶν κακωθέντα ὀψέ ποτε ἀπέδοντο οἱ ἀπὸ τοῦ γένους Ἀπελλίκοντι τῷ Τηΐῳ πολλῶν ἀργυρείων τά τε Ἀριστοτέλους καὶ τὰ Θεοφράστου βιβλία: *Hic libros Scepſin tranſlatos poſteris ſuis reliquit, indoctis hominibus, qui incuriè poſitos ſub clavibus habuerunt. Cùm verò intellexiſſent ſtudium Attalicorum Regum, quibus Scepſis parebat, conquirentium libros ad inſtituendam Pergami Bibliothecam; ſub terra ſuos, in foſſa quadam, occultaverunt. Humore verò & blattis vitiatos, ſerò tandem qui ex ea erant ſtirpe, Ariſtotelis, Theophraſtique libros Apelliconti Teio, magnâ pecuniâ, vendiderunt.* Videntur timuiſſe Nelei heredes, ne Reges Pergameni ſibi theſaurum illum eriperent,

* *Lib. XIII. p. 419. Ed. Caſaubonianæ Genevenſis.*

nullo persoluto pretio; quo metu factum est, ut eum terræ crediderint, sicut aurum solent avari; donec emtorem invenirent, qui sibi certam pecuniæ summam numeraret. At illâ cautione factum est, ut libri utriusque Philosophi vitiati fuerint; fieri enim non potuit ut blattæ pergamenas non perfoderent; útque humor, atramento diluto, litteras & voces plurimas non deleret. Perpaucos quidem fuisse crediderim, qui ejusmodi thesauros in Græcia, aut in Italia defodere cogerentur; sed in Bibliothecarum forulis jacentia volumina non minùs cœli humor, ac blattæ, tineæve corrumpere potuerunt; si fortè, ut fit, ædes non satis diligenter tectæ essent, aut si libri raró inspicerentur. Sæpe natæ ex ejusmodi casibus lacunæ, nullo modo expleri potuerunt; aut si expletæ sunt, errante explentium acumine, vetusto Scriptori voces tributæ sunt, quibus usus non fuerat.

3. Factum id in *Aristotelis*, *Theophrastique* operibus, docet in sequentibus *Strabo*, hisce verbis: ἦν δὲ ὁ Ἀπελλίκων φιλόβιβλος μᾶλλον ἢ φιλόσοφος. διὸ καὶ ζητῶν ἐπανόρθωσιν τῶν διαβρωμάτων, εἰς ἀντίγραφα καινὰ μετήνεγκε τὴν γραφὴν ἀναπληρῶν οὐκ εὖ, καὶ ἐξέδωκεν ἁμαρτάδων πλήρη τὰ βιβλία: *Erat autem Apellicon potiùs librorum studiosus, quàm Philosophia; itaque erosarum particularum quærens instaurationem, in nova libros transtulit exemplaria, lacunas non rectè implens, ediditque libros mendorum plenos.* Paullò pòst, postquàm dixisset veteres Peripateticos difficulter philosophatos, quòd carerent libris *Aristotelis* & *Theophrasti*, subdit: τοῖς δὲ ὕστερον ἀφ' οὗ τὰ βιβλία ταῦτα προῆλθεν, ἄμεινον μὲν ἐκείνων φιλοσοφεῖν καὶ ἀριστοτελίζειν, ἀναγκάζεσθαι μέν τοι τὰ πολλὰ εἰκότως λέγειν, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτιῶν: *Posterioribus, ex quo hi libri fuerunt editi, facilius fuit philosophari & Aristotelem auctorem sequi; quamquam, ob mendorum multitudinem, cogebantur multa conjiciendo dicere.*

4. Ejusmodi ad nos pervenit Epistola *Clementis* Romani, in qua *Patricius Junius voces deperditas*, ut loquitur, *& litteras vetustate exesas, interstitiis accuratissimè dimensis supplevit*, supplementaque minio exprimi curavit; ut facilè ab iis, quæ in MS. Codice comparent, secernerentur. Eadem postea uncinulis clauserunt *J. B. Cotelerius* & *P. Colomesius*, in hujus Epistolæ editionibus, quas diu post Junianam emiserunt. Nemo negarit quin ut plurimum non malè suppleverit vir eruditus, cùm paucæ desint litteræ, & loca multa ex LXX. Interpretibus proferantur.

5. Attamen in prima periodo gravissimè offendit, habet enim: [Χάρις ὑ]μῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ παντο[κράτο]ρος θεοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, πληθυνθείη, [ἐφ' ὑ]μῶν ἰδίως καὶ ἐπ' ἀλλήλους: hoc

eſt, illo interprete: *gratia vobis & pax ab omnipotente Deo, per Jeſum Chriſtum, in vobis ſingulis, ET mutuò erga vos invicem multiplicetur.* Qui poſtrema verba ſolœca ſunt, in Græcis & Latinis, ſenſuque carent. Conjicit in notis ἐφ' ὑμᾶς ἰδίως, abſurdè. At qui accuratiùs inſpexerunt Codicem Alexandrinum viderunt in eo legendum eſſe potiùs: [Δὶ ἀ] ἰ φνιδίυς ϰ̀ ἐπ' ἀλλήλυς γινομένας ἡμῖν συμφορὰς ϰ̀ [παρεμπ] τώσεις: *Propter ſubitas & alias ſuper aliis, quæ nobis contigerunt, calamitates & caſus adverſos,* &c. ita ut hæc ſint initium periodi.

6. Sed miror ſubjecta verba non fuiſſe emendata, cùm ſententia ipſa ſat manifeſta ad veram lectionem deduceret: ἀδελφοὶ βεϱάδειον [δυσο] ἰ ζομεν ἐπιστροφὴν πεποιη [κέν] αι πεϱὶ τῶν ἐπιζητυμένων [πα] ϱ' ὑμῖν πϱαγμάτων: vertit Junius: *fratres dilecti poſtulatis veſtris tardiùs nos animum adjeciſſe veremur*; legitque βεϱάδιον. At ſupplementum vocis δυσοίζομεν durum eſt & coactum, nec ſenſum expeditiorem facit, præterquàm quòd vox rarior eſt. Sed *Junius* ait ſe *veſtigium minutiſſimum* τῦ O ante I vidiſſe. *Cotelerius* verò vertit: *fratres, tardiùs videmur convertiſſe animum ad eas res, quæ à vobis quæſitæ ſunt.* In margine ſuſpicatur pro δυσοίζομεν, legendum νομίζομεν, *judicamus*, quod non debuit vertere *videmur*. Legendum erat βϱαδεῖαν [δοκή] σομεν, hoc eſt, *ſero videbimur ad animum revocaſſe*, ut βϱαδεῖα ἐπιστροφὴ, ſit *ſera conſideratio*. Veſtigium τῦ O & I ſequens ſunt ſine dubio crura vicina τῦ K & H. Senſus eſt perſpicuus, & ſeries orationis clara: *Propter ſubitas, & quæ aliæ ſuper aliis nobis contigerunt calamitates, & caſus adverſos, fratres, ſeriùs videbimur ad animum revocaſſe quæ rogaveratis.*

7. Permulti alii ſunt veteres Scriptores, in quibus lacunæ ſunt, quæ nonniſi ope meliorum MSS. Codicum ſarciri poſſunt, nec opus eſt nos exemplis afferendis immorari. Hoc potiùs monebimus, cum à Librariis ſpatium ſemper relinqui oportuiſſet vacuum, pro numero litterarum, aut vocum, quas in MSS. deeſſe, ex litterarum forma, intelligere poterant, ſæpe eos nullum reliquiſſe, ne mutila exemplaria ſpernerentur, & minoris emerentur; aut ſummùm exiguum admodum, qualia videmus Aſteriſco in editionibus impleri. Sæpe etiam fugientes litterarum ductus, & partim deletos legere ac ſupplere infeliciter tentarunt. Vice verſâ, aut Librarii aut Critici, ubi nulla erat, lacunam eſſe perperam ſuſpicati ſunt, & locis integris Aſteriſcum, ſeu omiſſionis notam, appoſuerunt. Tria *Ciceronis* loca, hanc in rem, proferemus.

 8. Primus

8. Primus est in V. Verrina *, ubi de supplicio capitis, quod à civibus Romanis sumserat Verres: *Paullò ante, judices*, inquit, *in morte miseria atque indignissima navarchorum, lacrymas non tenebamus, & rectè ac meritò miseriâ sociorum commovebamur; quid nunc in nostro sanguine tandem facere debemus? Nam civium Romanorum sanguis conjunctus existimandus est; quoniam id & salutis omnium ratio* & VERITAS *omnium postulat*. Omnino videntur hîc tres primæ litteræ vocis deletæ, adeò ut maneret VRITAS; ex quo, omissâ lacunâ, factum est VERITAS, sed legendum erat SECURITAS. Nempe, ut *securi* omnes essent cives Romani, & negotia sua tutò per universum Imperium gererent, nulli Magistratui Populi Romani licitum esse debuit cives in Provinciis agentes securi percutere. Res est clara, quam miror à *Jano Grutero* non esse animadversam; qui, ut solet, libros suos hîc frustra memorat, cùm res ipsa clamet.

9. Alter est in somnio Scipionis, † ubi postquàm hæc verba Africani ad se protulit: *Dictator Rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hîc*, ait Cicero, *cùm exclamasset Lælius, ingemuissentque ceteri vehementiùs; quæso, inquit, ne me è somno excitetis*, & PARUM REBUS, *audite cetera*. Hæc carent sensu, licèt sint in omnibus MSS. exceptis duobus, in quibus, si *Ald. Manutio* credimus, legebatur *pax sit rebus*, quod melius non est. Vestigia veterum litterarum legerunt Librarii, ut potuerunt. Crediderim, donec melius quid edocear, lectum olim fuisse HIS PAVORIBUS: *ne me*, inquit, *è somno excitetis his pavoribus*, quia amici Scipionis pavidis animis exceperant quod de propinquorum insidiis sibi metuendis dixerat, atque exclamaverant. Poppæa in Octavia *Seneca* vers. 733.

Tandem quietem magnus excussit pavor.

10. Tertius locus est mutilus, si stemus Criticorum judicio; quem propterea necesse est totum proferri, ut intelligere queamus an in eorum sententia sit nobis adquiescendum. Sic ergo *Cicero*, Lib. I. De finibus Bon. & Malorum, c. 16. *Justitia restat, ut de omni virtute sit dictum, sed similia ferè dici possunt. Ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem, copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec distrahi possit: sic de justitia judicandum est, quæ non modò numquam nocet cuiquam, sed contrà semper alit ali-*

* *Cap. LXVII.* † *Cap. II.*

quid

*quid tum vi suâ atque naturâ, quod tranquillet animos; tum spe nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret. Quemadmodum temeritas & libido & ignavia semper animum excruciant, & semper sollicitant, turbulentaque sunt: sic * * cujus in mente consedit, hoc ipso quod adest, turbulenta non potest fieri,* &c. Alii ediderunt hunc locum cum Asteriscis, alii nescio quæ suppleverunt. Sed delendi sunt Asterisci, & intelligenda *justitia*, de qua in superioribus. Fefellit Criticos, quod non animadverterint *sic*, quando res contrariæ comparantur, & antecessit *quemadmodum*, significare idem ac *contrà*. Perinde est ergo, ac si *Cicero* dixisset: *CUM temeritas & libido & ignavia semper animum excrucient, & semper sollicitent, turbulentaque sint: CONTRA* justitia, *cujus in mente consedit, eo ipso quod adest, turbulenta* ea mens *non potest fieri, & si verò molita quidpiam est, quamvis occultè fecerit, numquam tamen confidet id fore semper occultum.* Vir, nimirum, justus potest, perturbatione quapiam animi, transversus agi, ita ut ad occultum facinus adduci se patiatur. Sed postea, sedato affectu, redux justitia eum docet quid timendum sit ejusmodi facinore inquinatis.

11. Verùm ut ad vetustatis menda redeamus, sacri ipsi Hebræorum libri vim ejus senserunt; nec intercessit Divina Providentia, quominùs nonnulla minùs necessaria, longinquitate temporis, vitiarentur. In ipsis Novi Fœderis Tabulis, simile quid contigit. Ut ὕστερον πρότερον, Homerico more, progrediamur, dubium esse nequit, quin in tertia Tessaradecade progenitorum Christi, Matth. I. 12. & seqq. desit unius nomen. Cùm enim Evangelista moneat vers. 17. tres esse eorum Tessaradecadas, quarum primæ ultimus est David, secundæ Jechonias, supersunt tantùm in ultima tredecim nomina, etiam comprehenso Christo. Si locus ullus integer ad nos, Librariorum diligentiâ, pervenire debuit, is certè erat; quia Evangelista numerum progenitorum Christi, in tres classes tributorum, indicarat. Attamen ea Evangelistæ cura non obstitit quominùs, ab antiquissimis temporibus, hic omitteretur unum nomen; quod videtur ortum ex lacuna exemplaris venerandæ antiquitatis, quam sequentium ætatum Librarii explere non potuerunt.

12. Lacunam esse liquet Gen. IV. 8. ex Samaritico Codice, Versione LXX. Intt. & nota Massorethica, qua de re vide notata à nobis ad eum locum. Sed proferemus hic aliud exemplum Psalmi, dentibus ævi multò magis vitiati. Conferantur Psalmi XIV, & LIII. manifestum erit unum eundemque esse Psalmum, si comparentur quinque primi versus & ultimus Psalmi LIII. cum quatuor primis Psalmi XIV. qui

non differunt, nisi perpaucis & exigui momenti varietatibus. At magnum est discrimen inter versus 4. & 5. Psalmi XIV. & 6. Psalmi LIII. Quæ verò ejus rei causa est? Nimirum, vetustas, quæ tria verba delevit ex Psalm. XIV, & sex alia vitiavit; quo factum, ut verba ejus Psalmi careant sensu, & hiulca sint, cùm Psalmi LIII. verba sint integra & pulcherrimam fundant sententiam. Hæc primùm apponam distincta in versiculos, qualibus olim constabant Cantica Hebræorum, ut aliquando copiosiùs probabimus. Sic ergo habet Psalmus LIII. vers. 6.

שמ פהדי פחר
לא חיה פחר
כי אלהים פזר עצמות
חנך הכישתה
כי אלחים מאסם
מי יתז מאיוז ישועות :

Ibi pavore trepidabunt,
Ubi non erat timor,
Quia Deus dissipabit ossa
Obsessoris tui; pudore eos afficies,
Quia Deus eos repudiavit.
Quis dabit è Sione salutem?

Psalmus est in Babylonica captivitate scriptus, ut ex ultimo versu liquet, in quo Psaltes Babyloniorum cladem vaticinatur & liberationem Hebræorum, quam propiorem esse optat. Quarto versu, legendum הבישתם *hebischotham*, hoc est, *pudore eos afficies*, ob rationes Grammaticas & metricas, quas hoc loco non dicam. At Psalmo XIV. ita hic locus exprimitur:

שם פחדו פחר
כי אלהים בדור צדיק
עצת עני תבישו
כי יהוה מחסהו
מי יתז מצין ישועת :

Ibi pavore trepidabunt,
Quia Deus in generatione justa.
Consilium pauperis pudefacietis,
Quia Jehova fiducia ejus.
Quis dabit è Sione salutem?

1. Hic omissus secundus versiculus, qui legitur in versione LXX. Intt. 2. sequentia verba mirè corrupta sunt, nam pro פזר עצמות *dissipabit ossa*, est בדור צדיק עצת *in generatione justa consilium*; pro חנך הכישתם *obsessoris tui*, *pudore eos afficies*, תבישו עני *pauperis pudefacietis*; denique pro אלהים מאסם *Deus repudiavit eos*, יהוה מחסהו *Jehova fiducia ejus*. Hebraïcè scientes facilè in hisce verbis animadvertent litteras ejusdem organi esse mistas; atque hinc fortè depravatio loci cœpit, dein non satis integris ceterarum litterarum vestigiis, Librarii sensum quem non inveniebant fecerunt. Quæ nisi ita se habere viderentur, facilè crederem secundum versiculum omissum fuisse, ob repetitionem vocis פחד *phahhad*, cujus modi omissionum exempla attulimus Cap. V.

13. Non opus est plura idgenus depravationum exempla proferre, cùm res sit manifesta; sed Criticos meminisse oportet, ut diximus, sæpe esse lacunas, ubi nulla sunt in Codicibus earum vestigia, & vice versâ. Res est in periculosissimo emendandi studio, nisi dextrè eo utamur, maximi momenti.

CAPUT XVI.

Leges emendandi.

1. MEMORATIS potissimis generibus mendorum, quibus sententia veterum Scriptorum corrumpitur, & demonstratis præcipuis rationibus, quibus ea menda irrepere potuerunt; nihil nobis agendum superest, nisi ut moneamus Criticum omnium eorum, quæ memoravimus, quàm peritissimum esse oportere, eáque animo obversantia perpetuò habere; ut, quotiescumque postulabit usus, viis indicatis ad mendorum originem pervenire queat, eáque feliciter corrigere. Nos digitum dumtaxat ad fontes intendimus, ceteráque judicio ac diligentiæ Studiosorum permittenda duximus. Præterea nostra hæc Ars statuit variarum rerum cognitionem aliunde esse petendam; eam ipsa non tradit, quippe finibus quibus circumscribitur exclusam. Exempli causâ, ars est singularis dignoscendæ ætatis MSS. Codicum, néque eorum characteribus judicandi; quæ, si pro dignitate tractetur, justo volumini argumentum præbeat, * de qua ta-

---

* *Nonnulla hac de re habet* Joan. Mabillonius, *de Re Diplomatica Lib. I. sed quæ copiosius excuti Studiosorum interesset.*

men nemo seorsim sat studiosè egit. Quibus ad manum sunt Bibliothecæ MSS. Codicibus refertæ, eos id laboris suscipere oporteret; nam, sine ingenti Codicum copia, & diuturna eorum tractatione, nihil, quod sit operæ pretium, hac in re præstari potest. Igitur hoc onere in otiosos Bibliothecarum custodes rejecto, summatim tantùm rem attigimus, & potissima characterum discrimina breviter perstrinximus; satis esse rati, si litterarum studiosis in animum revocaremus, quod à multis planè negligitur.

2. Hoc verò in loco, rectæ emendationis Leges feremus, quas ita æquas visum iri confidimus, & usque adeò rectæ rationi, rerúmque naturæ consentaneas; ut, sine intercessione, apud Populum Eruditorum, perferri eas posse speremus. Quod tamen ut faciliùs fieri queat, singulis breves interpretationes atque exempla cùm malè tentatarum emendationum, tum etiam necessariarum subjiciemus; neque enim invito cuiquam eas obtrudere cupimus.

3. Prima ergo, quod felix faustúmque sit Reipublicæ Litterariæ, hæc erit: SI QUID MUTETUR, MUTATIONEM RES IPSA, ORATIONISVE SERIES, STYLUSVE SCRIPTORIS POSTULATO. Hæc Lex æquè pertinet ad emendationes ex MSS. Codicibus haustas, quàm à conjicientibus inventas; sunt enim passim in MSS. Codicibus, sive à Criticis, sive à Librariis, aut cuicumque tandem casui debeantur, gravissima menda; quæ pro vera lectiône, manifestò repugnante sententiâ, aut Linguæ ingenio, aut scriptoris stylo, stultum esset obtrudere; & quæ, in re clara, ne memorari quidem necesse est.

4. Igitur si quid occurrat, quod à Linguæ ingenio, styló-ve Scriptoris prorsus non abhorreat, nec à sententia, seriéve orationis sit alienum; nulla est causa cur, consentientibus Manuscriptis omnibus Codicibus, veteribus Editionibus, Translationibúsve, quidquam mutetur; præsertim si mutatio paullò major sit. Alioquin latissima corruptionibus aperiretur fenestra, si ut Scriptor paullo elegantiùs, ex Critici judicio, aut accuratiùs loqueretur, liceret, omnibus reclamantibus Codicibus, quidlibet mutare. Quam legem, cùm in eam permulti Critici passim peccent, vix ullus, ex Criticorum acutiorum numero, frequentiùs perrupit doctissimo viro *Tan. Fabro*. Quem præ ceteris appellamus, non quod ejus laudibus quidquam detractum cupiamus, qui permagni eum semper fecimus; sed quia utilius est ejusmodi peccata ex viro doctiore petere, & quem imitari possint studiosi quàm ex infimi subsellii Critico, qui cùm acutioribus deridiculo sit, nemini exemplo esse potest.

5. *Ovi-*

5. *Ovidius Tristium* Lib. II. aliorum exemplis scripta sua amatoria excusans hæc habet, inter alia multa idgenus, de Mimis:

In quibus assiduè cultus procedit adulter,
Verbáque dat stulto callida nupta viro.
Nobilis hæc virgo, matronáque, virque, puérque
Spectat & ex magna parte Senatus adest.
Nec satis incestis temerari vocibus aures,
Adsuescunt oculis multa pudenda pati.
Cúmque fefellit amans aliquâ novitate maritum,
Plauditur, & magno palma favore datur.

Tum verò sequitur:

Quóque minùs prodest, POENA est lucrosa Poëta,
Tantáque non parvo crimina Prætor emit.

Tan. Faber Lib. I. Ep. 37. contendit neminem, qui ultimi Distichi versum priorem intelligat, reperiri posse: neminem, qui vitium lectionis vel fuerit subodoratus, umquam repertum fuisse; & postquàm alia ejuscemodi præfatus est, ut finem faciat, ut ipse loquitur, κομπασμάτων, audaci conjecturâ legit:

Quaque mihi pœnæ est, fraus est lucrosa Poëta,

ut dicat *Ovidius*, quæ res Mimographis lucrosa solet esse, eam sibi pœnæ fuisse. Non diffitemur sensum hunc ineptum non esse, & *Ovidio* dignum; sed est & alius non minùs commodus, atque ex quo licet verba, quemadmodum leguntur in omnibus MSS. Codd. & Editionibus, interpretari. Nimirum, ut Gallica vox *peine*, quæ est ex Latina *pœna* derivata, significat & *laborem* & *supplicium:* sic etiam Latina, non supplicii modo significatu: qui frequentissimus est, sed & laboris apud Veteres occurrit. Hoc vult ergo Ovidius, *que la peine la moins utile, est celle qui rapporte le plus de profit au Poëte.* Intelligit, nempe, Mimos, qui jocosas & sæpe amatorias historiolas complectebantur, & qui tamen carò à Prætoribus quandóque emebantur, ut ludis scenicis populi gratiam ambirent. Videbimur fortè, primâ fronte, temerè ex Gallica Lingua Latinam interpretati; sed audiatur ipse *Ovidius*, sui optimus interpres, in Epigrammate præfixo Libris Amorum:

Qui

Qui modò Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus, hoc illi prætulit auctor opus.
Ut jam nulla tibi nos sit legisse voluptas,
At levior demtis POENA duobus erit.

Manifestum est postremum versum verti Gallicè oportere: *mais vous aurez moins de peine, le nombre étant diminué de deux*. Scio & in *Cæsare* me animadvertisse eumdem alicubi voci *pœna* significatum esse tribuendum, sed locus non occurrit. Igitur erravit vir doctissimus, qui existimavit rem ipsam postulare locum *Ovidii* mutari; cùm sensus ejus sit commodissimus, qualis à nobis antea expositus est.

6. Tentemus vero nos emendationem proferre, quam res ita postulet, ut nullâ ratione aliter constet sententia. Est locus non modò obscurissimus, apud *Virgilium*, sed etiam absurdus, prout nunc legitur; qui propterea à nemine, quod sciam, intellectus est. Exstat IV. Georgicorum, incipitque à vers. 286. ubi ita Poëta Ægyptum describit:

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et vehitur pictis circum sua rura phaselis.

Quibus in versibus omnia clara sunt, sed sequuntur hæc verba:

Quàque pharetratæ vicinia PERSIDIS urget,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

An ergo *Persidem* vicinam *Ægypto* credidit *Virgilius*? Quamvis alibi in Geographicis peccarit, non credo tamen, in tam insignium regnorum & usque adeò remotorum situ, peccare non indoctum Poëtam potuisse. Deinde quænam hæc est structura, *quà vicinia Persidis urget & fœcundat viridem Ægyptum nigrâ arenâ*, &c? Manifestum hæc posteriora verba referenda esse ad Nilum, ideoque repetendum fuisset *&* *quà*. Sed nomine usus erat *Virgilius*, quo superiorem Ægyptum significabat, vero quidem illo, at quod, cùm vulgo ignotum esset, à Librariis in notius mutatum est. Legendum omnino:

Quàque pharetratæ vicina Pathyridis urget
Et viridem Ægyptum, &c.

Pa-

Pathyris est Thebaïs, quæ Hebræis dicebatur *Pathros*, quod efferunt LXX. Intt. Παθούρης & Φαθωρῆς. Hinc in ea *Plinius* memorat *Phaturitem* Nomum, & *Ptolemæus* urbem *Pathyrin*; ut copiosè docet *Sam. Bochartus*, in Phalego Lib. IV. c. 27. Hanc oram vocat Virgilius *pharetratam*, quia horum tractuum incolæ multùm utebantur arcu, quod plurimis testimoniis demonstravit idem vir summus, Capite antecedente.

7. Hac positâ lectione, omnia plana sunt. Nilus non modò inferiorem Ægyptum rigat, sed etiam *vicina Pathyridis* loca *urget*, hoc est, exundantibus aquis premit, & arctiora facit. Sic *Lucanus*, de portu Herculeo, Lib. I. vers. 406.

Quáque sub Herculeo sacratus nomine portus
Urget rupe cavâ pelagus.

Idem *viridem Ægyptum nigrâ arenâ fœcundat*, hoc est, virentem pascuis & arboribus Ægyptum limo nigro fertiliorem reddit. Idem *discurrit in septem ora*, sive ostia. Idem *devexus* fluit *usque coloratis Indis*, hoc est, usque ab Æthiopum sole adustorum agris; nam constat Veteres *Indiam* vocasse interiorem Æthiopiam. Vide *Socratem* Historiæ Eccles. Lib. I. c. 19.

8. *Tan. Faber* Epist. Critic. Parte II. Ep. ultimâ, esse luxationem existimat in Cap. X. Epistolæ ad Romanos, rem edoctus à *Steph. Gausseno*, vúltque versum 17. transferri post 21. quòd sit hæc totius orationis conclusio: Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, &c. *Ergo fides ex auditu est.* At orationis series non eò spectat, quò putat vir doctus, neque enim Paulus hoc probare nititur, quod nemo negabat, nemo negare poterat, *fidem*, nempe, esse *ex auditu*; sed hoc se concedere ait, ideóque ἄρα vertendum est hoc in loco *certè*, ut ad eum locum observavit *Hugo Grotius*; cujus adnotationes consultas esse oportuit, si non à *Fabro*, qui fortè rariùs hujusmodi libros inspiciebat, saltem à *Gausseno*, qui Theologiæ operam eo tempore dabat, & Professor postea Salmurii fuit.

9. Ex additamentis nostris ad *H. Hammondi* Adnotationes in Novum Testamentum, quandoquidem nondum lucem conspexerunt, * quamquam sudant sub prælo, huc transferemus conjecturam de loco obscuro 1 Cor. V. 12. ubi post-

* *Mense Novembri An.* 1696.

quàm

quàm Paulus dixit se non vetuisse quominùs Corinthii versarentur familiariter cum Ethnicis, sed tantùm cum iis qui Christo nomen cùm dedissent, moribus eum abnegabant, ait: Τί γὰρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει. καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. *Quid enim mihi & eos qui foris sunt judicare? nonne eos qui intus sunt vos judicatis? qui verò sunt foris Deus judicat; & tolletis malum ex vobis ipsis.* Veterum Codicum, Translationum, & Interpretum auctoritas, quæ varia hìc nobis proponit, ipsáque adeò orationis series satis ostendunt esse aliquid hìc corruptum; quod facillimè intelligent quicumque *Grotium* & *Hammondum*, ad hunc locum, consulent. Nemo intellexerit hanc constructionem, τί μοι κρίνειν; nam quod dicunt esse, *quid ad me attinet exteros judicare?* id sine exemplo similis loquutionis affirmant. Præterea conjunctio καὶ, quæ intercedit, durissimam facit orationem; qua de causâ deest in Codice Alexandrino, & omissa est à Syro & Latino Interpretibus. Attamen est temerè resecta, potéstque ad vestigia veteris lectionis nos deducere, quæ hæc fuisse videtur: τί γάρ μοι καὶ ΤΟΙΣ ἔξω; ΚΑΙ ΜΕΝΟΥΝ ΓΕ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε. τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει. καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρόν: *Quid enim mihi & iis qui foris sunt? At vos quidem judicate eos, qui sunt intus; eos verò, qui sunt extra, Deus judicat; & tolletis malum è vobis.* Primò, phrasis est Scriptoribus Sacris frequentissima: *quid mihi & tibi*; quæ perinde est ac: satage rerum tuarum, meas ipse curabo, ut liquet ex Matth. VIII. 28. Joan. II. 4. Sensum hunc hìc esse oportet: meum non est curare Ethnicorum mores, qui nondum Evangelio crediderunt. Deinde ex καὶ μενοῦν γε non difficulter factum κρίνειν οὐχὶ, quia in sequentibus verbis bis occurrit verbum κρίνειν. Particula μενοῦν γε est particula adversativa, quâ non infrequenter utitur Paulus. Vide Rom. IV. 20. & X. 18. Phil. III. 8. Planissimus autem est sensus, cùm vulgatæ lectionis interrogatio durissima sit, & ab hoc loco aliena: *annon vos judicatis de iis, qui intus sunt?* Si dixisset Paulus: non meum est de iis, qui inter vos sunt, judicium ferre, *annon vos de iis judicatis?* esset sensus aliquis, quamquam alienus ab hoc loco, & leniùs flueret oratio; sed, prout jacet, series verborum impeditissima est. Tertiò, quod sequitur, τοὺς δὲ ἔξω, *de extraneis verò*, ostendit antecedere debuisse, cùm hìc sit manifesta τῶν ἔξω καὶ τῶν ἔσω oppositio, MEN, seu QUIDEM; quod continetur in καὶ μενοῦν γε, nam μενοῦν idem est ac μὲν οὖν; imò vero ita scribendum esset, judice *H. Stephano*. Quartò, καὶ ἐξαρεῖτε conjungitur manifestò cum κρίνετε, *judicate & tolletis.* Verba interposita

ſita non ſunt, ut nonnulli volunt, parentheſi claudenda; quia membrum hoc: *de extraneis verò Deus judicat*, opponitur, ut dixi, antecedenti, non per parentheſin inſeritur.

10. *Tan. Faber* Ep. XXI. Secundæ partis, exiſtimat in mendo cubare locum 1 Cor. C. VIII. 10. ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σε, τὸν ἔχοντα γνῶσιν, ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον, οὐχὶ ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος ΟΙΚΟΔΟΜΗΘΗΣΕΤΑΙ εἰς τὸ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν: *ſi quis enim viderit te, cognitione præditum in Idoleo accumbere, nonne conſcientia ejus, qui infirmus eſt, ædificabitur ad edendum ea quæ ſunt Idolis mactata.* Scilicet, ut recte obſervat, *ædificare* alibi nuſquam legitur, niſi ubi de virtute ſermo eſt, ita ut *ædificare* quempiam ubique ſit eum in ſtudio virtutis confirmare. Hinc colligit à Paulo eam vocem hîc uſurpari non potuiſſe, ubi de vitio ſermo eſt; ideóque legit ὁδοποιηθήσεται, *in viam inducetur*, nam ὁδὸς quidem tam in deteriorem partem trahitur, quàm in meliorem.

11. Ingenioſam hanc eſſe conjecturam, ut ſunt pleræque viri doctiſſimi, nemo negaverit; at priuſquàm locus mutatus cenſeatur, videndum quæ ſit propria, quæ tralatitia ſignificatio vocis οἰκοδομεῖν, tum quæ huic loco conveniat, ánve uſpiam ſimili ſenſu occurrat. Quod ubi fecero, liquebit locum hunc perperam ſuſpectum haberi. Primùm οἰκοδομεῖν, *ædificare*, propriè eſt jactis fundamentis ſtructuram imponere; unde factum ut tralatitio ſignificatu dicatur de animi profectu ad virtutem quod attinet, poſſitque perinde dici de animi depravatione; adeò ut *ædificare aliquem*, ſignificet virtutes ejus, aut vitia augere. In propria vocis ſignificatione, aut in ejus ad alium ſignificatum tranſlatione, nihil eſt quod poſteriori uſui repugnet. Secundò, vocis hæc media ſignificatio, quâ tam de vitiorum, quàm de virtutum augmento, intelligitur, huic loco optimè convenit. Aliud enim non vult Paulus, niſi hominem infirmum & imperitum, auctoritate & exemplo doctioris, audaciam ſumpturum, & frequentiùs ac liberiùs ſacris illis conviviis, quæ in Idoleis celebrabantur, adfuturum. Tertiò, verbum Hebraïcum בנה *banah*, hoc eſt, οἰκοδομεῖν in conjugatione paſſiva de malis æquè ac de bonis occurrit, eo quem diximus ſenſu. Sic Malach. III. 14, 15. inducit Deus Iſraëlitas dicentes: *Inane eſt Deum colere; quid emolumenti nobis fuit, quòd obſervaverimus id quod obſervari vult, & quòd coram Jehova Deo exercituum triſtes inceſſerimus? Nunc verò beatos prædicamus ſuperbos; imò facientes iniquitatem* נבנו nibnou, *ædificati ſunt; imò tentaverunt Deum, & incolumes evaſerunt.* LXX. Intt. ἀνοικοδομοῦνται ποιοῦντες ἄνομα, hoc eſt, improbitas eorum aucta eſt rebus ſecundis, eò quòd neglectis Dei præceptis, felici-

feliciores ipsis bonis fuerunt. Simili planè metaphorâ, & quidem in sequiorem partem, usus est *Plautus* in Trinummo Act. I. S. 2. vers. 95.

> *-------- dare te in manus*
> *Argentum amanti homini adolescenti, animi impoti,*
> *Qui EXÆDIFICARET suam inchoatam ignaviam?*

Hæc, nisi fallor, satis ostendunt stylum Pauli non postulare ut quidquam hic mutetur.

12. Igitur fixum & ratum nobis sit oportet, nullam admittere emendationem, quasi certam; quæ non sit prorsus necessaria, hoc est, quam non res, non orationis series, non stylus Scriptoris, qui emendatur, poscat; ita ut tria illa simul mutationem efflagitent, aut ea duobus, vel uno saltem requiratur. Quæ si diligenter observentur, non facilè, nisi imperiti, aut legum spretores qui imperitis deteriores sunt, manum medicam sanis locis admovebunt. Sarta tecta antiquiorum lectionum auctoritas, nemine eam temerè violante, sic manebit.

13. Secunda Lex hæc erit: OMNIS EMENDATIO LINGUÆ INGENIO, AUT SCRIPTORIS STYLO CONSENTANEA ESTO. Ad superiorem Legem, diximus Scriptoris stylo efflagitari oportere emendationem, quam neque res ipsa, neque orationis series commendant. Quæ Lex si æquissima est, quod in dubium revocari posse non videtur, sequetur nihil reponi oportere in oratione veterum Scriptorum, quod consentaneum non sit ingenio Linguæ, quâ usi sunt, aut singulari illorum stylo. Unde intelligere licet à nemine periculosam hanc emendandi artem exerceri oportere, qui longam & diligentem operam non posuerit, & in addiscendis Linguis, & in cognoscendis singulorum Scriptorum stylis; quod tamen non obstitit quominus multa temerè sint mutata, aut mutatione digna judicata à viris doctissimis; at nimiâ ingenii sui fiduciâ fretis.

14. Sic *Jos. Scaliger* frustra voluit emendare Marc. IX. 49. πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, *omnis igne salietur*, quasi legendum esset πᾶσα πυρεία, quod respondeat voci Hebraïcæ אשה *ischeh*, quæ significat *oblationem igne absumendam*. Vox ea Græca non est, quod ei merito viri doctissimi objecere. At fingi, inquit, potuit, ut exprimeretur Hebraïca. Atqui fingi, necesse non erat, cum usitatissima vox, quâ Hebraïcæ tota vis accuratè exprimeretur, non deesset; quam mitto Scaligero memoriam, quâ pollebat tenacissimâ, illico non suppe-

suppeditasse. Ἔμπυρον Græci, quasi *ignitam*, ejusmodi oblationem vocabant. Nihil dicemus de sensu loci, quem explicare conati sumus in additamentis *H. Hammondi* adnotationum.

15. Ante aliquot annos, lis nobis intercessit cum viro docto *Joan. Harduino*, cui elegantem *Plinii* editionem debemus, de ejusmodi emendatione. *Plinius* Hist. Nat. Lib. XXXV. c. 11. inter nobiles pictores, ita de Alcimacho loquitur : *Alcimachus Dioxippum* (pinxit) *qui pancratio Olympia, citra pulveris tactum (quod vocant aconiti) vicit. Cœnus Stemmata. Claud. Salmasius*, in Solinianis Exercitationibus, conjecit *Cœnus Scammata*, sed emendationis suæ nullam rationem reddidit. *Joannes* verò *Harduinus* utramque lectionem repudiat, quòd neque pictoris nomen sit *Cœnus*, nec satis idoneum picturæ, quale hîc requiritur, argumentum *stemmata*, & multò minùs *scammata*. Legit ergo *coniti Nemeæa*, & bellè ludum ludo, victoriæ victoriam opponi censet. *Cum Olympiis*, inquit, *Nemeæa confert, & facili ac sine pulvere victoriæ alteram laboriosiùs comparatam.* Non dicam hanc emendationem nimiùm recedere à vestigiis veteris scripturæ ; *coronas* seu *stemmata* esse aptum picturæ argumentum ; *Cœnum* verò esse nomen Græcum, quo vocari potuerit pictor minùs celebris, qui corollarum tantùm pingendarum arte excelluerit, ac proinde ab aliis non sit memoratus. Non dicam, tam audacem conjecturam in contextum orationis recipi non debuisse. De sola voce *coniti* loquar, quam Græcam esse negavi ; quod & etiamnum pernego, nec *Harduinus* potuit probare.

16. Dixeramus rectè facturum fuisse virum doctum, si protulisset Scriptorem Græcum, qui dixisset κονιτὶ, nam quamvis utantur Græci voce ἀκονιτὶ, *sine pulvere*, ideò non sequi usitatam fuisse simplicem κονιτί. Eodem sensu, dicunt Græci ἀνιδρωτὶ, *sine sudore* ; ἀμαχητὶ, *sine pugna* ; ἀναιμακτὶ, *sine sanguine* ; sed nemo dixit, ἱδρωτὶ, μαχητὶ & αἱμακτί. Reposuit ille exstare hanc vocem in *Etymologico Magno*, ubi ratio originis vocis ἀκονιτὶ ita redditur : Ἀπὸ τῆς κόνις κονιτί, καὶ ἀκονιτὶ, ἄνευ ἀγῶνος καὶ μάχης. Respondimus ex eo loco *Etymologici* colligere non posse virum eruditum κονιτὶ umquam in usu fuisse. Solere, nimirum, Etymologos, ut rationem derivationis clariorem reddant, fingere alia vocabula quæ numquam usitata fuere. Satis habere eos, si modò ea vocabula, quæ sunt veluti derivationis gradus, sint analogica ; quamvis non rarò etiam parum consentanea sint analogiæ. Rem esse notissimam omnibus, qui Etymologica tractarint. Protulimus etiam multa exempla vocum compositarum ex A privativo ;

privativo; quæ cum ſint uſitatiſſimæ, nullas tamen habent Græci ſimplices uſitatas. Vide in eo *Etymologico* voces ἀάχετος, ἀνάρσιος, ἀνέδην, ἀνέστατος, ἄνοια, ἄπαστος, ἄσπιτος, ἄσωτος, ἀτρεκής, ἀχύνετος, &c. quorum ſimplicia numquam uſitata fuerunt.

17. Satius multò fuiſſet in Pliniano contextu veterem lectionem retinere, cum MSS. nulli proferantur, qui eam repudient, conjecturam vero in emendationibus modeſte proponere. *Cœnus* potuit, ut dixi, eſſe pictor, qui pingendis *ſtemmatibus*, ſeu coronis floreis famam ſibi compararit; aut, ſi non fuit, feratur potius fictitius *Cœnus* quàm novâ corruptione adulteretur Pliniana oratio.

18. Ut ad Criticum, à quo jam aliquot exempla τῶν διορθώσεων ſumſi, redeam; locum ille *Lucretii* corruptum denuo corrumpere conatus eſt, non inſcitiâ quidem, aut quòd eum Poëtam non legiſſet ſtudioſe, quem notis egregiis illuſtravit; ſed feſtinatione fortaſſe aliquâ, aut nimiâ emendandi cupiditate. Quærit *Lucretius* Lib. VI. quare autumno frequentiora ſint tonitrua, & ita orditur, in vulgatis Codicibus:

Autumnóque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur cœli domus undique, totáque tellus.

In animadverſionibus ad Phædri Lib. III. primum emendare conatus eſt hunc verſum, deinde etiam in Lucretianis; nam emendationes, quas eximias putabat, non uno in loco ſolebat proferre vir doctiſſimus. Quærit meritò à Lectore quid hoc ſit, *domus cœli & tellus concutitur ſtellis fulgentibus?* Nec minùs rectè reſpondet, præter ſonum & ſublimitatem verborum, nihil quidquam frugis eſſe. Tum pro *ſtellis* legit *telis*, & *tela fulgentia* interpretatur fulmina. At in ea voce non eſt mendum, ſed in voce *alta*, pro qua, auctore ipſo *Lucretio*, legendum *apta*. Eſt ea vox a veteri verbo *apo*, vel *apio*, hoc eſt, alligo, vinculis comprehendo, de quo vide quæ collegit *Ger. Joan. Voſſius*, in Etymologico. *Lucretii* tantum, & *Virgilii* loca proferemus. *Lucretius* erga ita Lib. II.

Quod quoniam docui pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducat.

Quem verſum paullò poſt repetit. Sic & Lib. V.

——Nil lædit veſte carere
Purpurea, atque auro ſigniſque ingentibus apta.

Hoc

Hoc eſt, cui adnexa ſunt, vel intexta ingentia ſigna. Alia loca vide in Indice Giſaniano. Sed de cœlo, hoc ipſum verbum adhibuerat *Ennius*, qui id vocaverat *ſtellis ardentibus aptum*, quod tribus in locis imitatus eſt *Virgilius:*

Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Verſus eſt 482. Libri IV. Æneidos, qui & VI. & XI. repetitur. Dubium nullum eſſe poteſt, quin ita ſit legendum apud *Lucretium*, qui non dicit quidem quâ re concutiatur *domus cœli*; ſed tonitura facilè omnes intelligi ſentiunt.

12. Emendabimus hîc locum *Lactantii* Inſt. Div. Lib. III. c. 17. depravatum ab imperitis, quòd Lactantiano ſtylo parum eſſent adſueti. Quiſquis eum Scriptorem edere cum aliqua laude volet, non minùs *Ciceronem* legat oportebit, & melioris ævi Scriptores, quàm ipſum *Lactantium*; eos enim perpetuò imitatur. Exemplum manifeſtum hîc dabimus, in vocula depravata à Theologis, qui *Lactantium* ediderunt, quòd boni viri parum eſſent purioris Latinitatis periti. Confutat *Lactantius* hanc ratiocinationem Epicuri: *Quando nos ſumus, mors non eſt*; *quando mors eſt, nos non ſumus. Mors ergo nihil ad nos.* Poſtquàm oſtendit *Lactantius* mortem non eſſe miſeram, ſed aditum ad mortem, qui propterea timetur, ita pergit: *Quid, quòd totum illud argumentum falſum eſt, quia non intereunt animæ? VERE, inquit, nam quod cum corpore naſcitur, cùm corpore intereat neceſſe eſt.* Verba hæc poſtrema Epicuri, quomodo voce *verè* cum ſuperioribus connectantur, nemo intelligat. Itaque *Sixt. Betuleius* legit, *intereunt verò, inquit*; quod admittendum cenſet Oxonienſis editor. Addit Bodleïanum & Cottonianum Codices habere *verum*, quæ etiam lectio, eo judice, ſtare poteſt, ſi intelligatur *Lactantius* reſponſionem hanc, ſub Epicuri perſona adornare, qui *verum* putavit animas interire. At hæc lectio Codicum, & conjectura *Betuleii* inanes ſunt. Legendum *verò*, quod Monachi exſcriptores *Lactantii*, neſcivevant initio orationis poni, æquè ac poſt aliam vocem; quod exemplis *Ciceronis* & *Terentii* comprobari poteſt. Illud *verò* perinde eſt ac affirmatio, ſeu *imò verò*, quod optimè convenit huic loco, ubi loquitur Epicurus. *Terentius* in Adelphis, Act. III. S. 4. Verſ. 23.

——*DE. An quidquam eſt ampliùs?*
HE. Verò ampliùs.

Cicero Tuſcul. Quæſt. Lib. II. c. 11. M. *Fuiſti ſæpe credo, cùm Athenis eſſes, in Scholis Philoſophorum.* A. *Verò ac libenter quidem.* Idem de Divinat. Lib. I. c. 46. *L. Flaccum flaminem Martialem ego audivi, cùm diceret Cæciliam Metelli, cùm vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare, exiiſſe in quoddam ſacellum, ominis capiendi causâ, quod fieri more Veterum ſolebat. Cùm virgo ſtaret, & Cæcilia in ſella ſederet, neque diu ulla vox exſtitiſſet, puellam defatigatam petiiſſe à matertera, ut ſibi concederet paulliſper in ejus ſella requieſceret; illam autem dixiſſe: verò, mea puella, tibi concedo meas ſedes.*

20. Tertia Lex hæc eſt: RATIO DEPRAVATIONIS, SI FIERI POTEST, REDDITOR. Cùm, nimirum, videmus quì fieri potuerit ut locus depravaretur, aut quid Librarios aut Falſarios eo adducere potuerit, ut locum depravarent, faciliùs intelligimus corruptum eſſe, & quæ emendatio adhiberi poſſit. Contrà ſi intelligere nequeamus, quare in certum modum deformatus fuiſſet locus quiſpiam, niſi depravatio manifeſta ſit, vix eam cernimus, & de emendatione multo magis laboramus. Attamen eæ occurrunt quandoque depravationes, quarum vix ulla ratio reddi poteſt. Harum exempla attulimus Cap. XII. corruptionum verò, quarum aliqua ſequi, ut ita dicam, poſſumus veſtigia, reliquis Capitibus, ſi à tertio numeres. Itaque vix opus eſt ut alia, ad ſuadendam hanc Legem, proferamus. Attamen duo quàm breviſſimè proponemus.

21. Capite XII. Sect. 2. adduximus locum Ciceronis de Hiſtoria, in quo pro voce *veterum*, legendum eſſe *noſtrarum* contendimus, nec mutamus ſententiam; ſed rationem, ſeu occaſionem depravationis, cujus in animum non venerat, cùm illa ederentur, hìc trademus. Videtur primùm oſcitans Librarius, pro *noſtrarum*, ſcripſiſſe *veſtrarum*, ob ſoni & ſignificationis affinitatem, aut etiam ob ſimilitudinem ductuum. Sic obſervavit *G. Scioppius*, in MSS. Codicibus Plauti, *nos, vos, voſtrum* & *noſtrum* ſæpiſſimè miſceri. Cùm vero vocis *veſtrarum* nullus eſſet ſenſus, hoc in loco, Grammatici ex ea feciſſe videntur *veterum*, quod tam manifeſtò ineptum non eſt.

22. Egregiè, ſi quid judico, probarunt doctiſſimi Critici *Joan. Frid. Gronovius* & *Joan. Georgius Grævius*, mendoſum eſſe locum *Ciceronis* Officiorum Lib. I. c. 1. ubi filium à Cratippo Peripatetico Philoſophiam diſcentem ita alloquitur: *Sed tamen noſtra leges, non multùm à Peripateticis diſſidentia; quoniam utrique & Socratici & Platonici eſſe volumus.* Legit *Gronovius*, *utrumque*, & *Grævius* cenſet pro *Socratici*,

ſcri-

ſcribendum *Stoici*. Sed quomodo hæc irrepere potuerint menda non docent; quod hoc modo factum crediderim. Librarius primùm ſcripſerat: *utrumque* & STCI & PTCI * *eſſe volumus*, quæ compendia perperam alii intellexerunt; dein *utrumque* mutatum in *utrique*, quia mentem *Ciceronis* ita ceperunt, quaſi hoc vellet: & Peripateticos, quorum doctrina imbuebatur ejus filius à Cratippo; & Academicos, quos ipſe ſequi ſolebat, velle eſſe & Socratis & Platonis diſcipulos. Quod alienum tamen eſt ab hoc loco, ubi de ſe tantùm loquitur *Cicero*, ut rectè animadverterunt viri docti. Verùm ut pro *Socratici*, legendum eſſe *Stoici*, meritò cenſet *Grævius*: ita & alterum compendium explicaverim *Peripatetici*. In hiſce enim libris, Cicero ubique eſt aut *Stoïcus*, aut *Peripateticus*, nuſquam Academicus, aut *Platonicus*, quod perinde habetur. Fatetur ipſe non multo poſt, † *ſequi ſe, hoc quidem tempore, & in hac quæſtione, potiſſimùm Stoïcos*, & *Panætium* Stoïcum paſſim laudat. Ideòque Stoïcos primos appellavit. Tantùm abeſt ut præcepta ulla à ſuis Academicis deſumat, ut vereatur ne cui inconſtans videatur, quòd Dogmaticorum placita in hoc libro ſequeretur. || *Occurritur, inquit, nobis, & quidem à doctis & eruditis, quærentibus, ſatiſne conſtanter facere videamur, qui, cùm percipi nihil poſſe dicamus, tamen & de aliis rebus diſſerere ſoleamus & hoc ipſo tempore præcepta officii perſequamur.* Nec aliter ei objectioni reſpondet *Cicero*, niſi ſe *quæ ſibi probabilia videantur, ſequi*; *quæ contrà, improbare*; hoc eſt, ſe hìc ſequi Stoïca dogmata, quòd in rebus Ethicis probabiliora viderentur. Planiùs ipſe mentem ſuam interpretatur †† alibi, ubi hæc verba leguntur: *Erit autem hæc formula Stoïcorum rationi, diſciplinæque maximè conſentanea; quam quidem his libris propterea ſequimur, quòd, quamquam à veteribus Academicis, & à Peripateticis veſtris, qui quondam iidem erant, quæ honeſta ſunt anteponuntur iis, quæ videntur utilia; tamen ſplendidiùs hæc ab iis diſſeruntur, à quibus quidquid honeſtum eſt, idem utile videtur: nec utile quidquam, quod non honeſtum; quàm ab iis quibus honeſtum aliquid non utile, aut utile non honeſtum. NOBIS autem noſtra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maximè probabile occurrat, id noſtro jure liceat defendere.* Igitur in hiſce libris, *Cicero* non vult eſſe Academicus, quaſi Academicorum ſingularem doctrinam tueatur; ſed Stoïcus, quorum dogmata, cum bona Academiæ pace, hìc tradit.

* *Exempla compendiariæ ſcripturæ vide Cap. XI.* † *Ibid. Cap. II. Vide & Lib. III. c.* 4. || *Lib. II. c.* 2. †† *Lib. III. c.* 4.

 23. Igitur

23. Igitur cum *Cicero* ait, *nostra leges*, non intelligenda sunt Academica, quæ nusquam in præceptis ejus comparent, & quæ dicere non potuisset *non multum à Peripateticis diffidentia*, aut * *iis finitima*; sed *Stoïca*, quæ in hoc libro sequitur, pro suo, ut putat, jure, proptereàque sua ea vocat. *Antiocho* olim † *Ciceronis* familiari non immerito Stoïci visi sunt cum Peripateticis re concinere, verbis disceptare; sed toto cœlo diversi erant ab Academicis. Cùm & Stoïci & Peripatetici certas atque æternas leges esse putarent, quibus virtutis natura continetur; quod ubique in libris de Officiis ponit *Cicero*, quod nulla esse possit præceptio, nisi hoc statuatur; Academici contendebant hæc omnia pendere ex hominum institutis, quæ varia sunt. ‖ *Carneadis* notissima est disputatio de Justitia, quam Romæ habuit, cùm Legatus ad Senatum ab Atheniensibus missus esset. Ejus disputationis, ut docet *Lactantius*, hæc summa fuit: " Jura sibi " homines, pro utilitate, sanxisse; scilicet varia, pro mo- " ribus, & apud eosdem, pro temporibus, sæpe mutata; " jus autem naturale esse nullum; omnes & homines & alias " animantes ad utilitates suas, naturâ ducente, ferri; pro- " inde aut nullam esse Justitiam; aut, si sit aliqua, sum- " mam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commo- " dis consulens. His certè nulla est cum Ciceronianis affinitas. Quæ paullò pluribus ostendenda fuerunt, ut appareret necessitas emendationis nostræ, in loco Ciceroniano, neu quis existimaret Academicorum doctrinam Peripateticæ finitimam esse.

24. Quartam hanc Legem, ut audaciæ Criticorum frænum injiciatur, sanciendam esse censeo: NE ULLA EMENDATIO A LECTIONE VETERUM CODICUM NIMIUM RECEDITO. Quam legem nisi sibi latam esse intelligant Critici, nihil non audebunt; nullus enim modus erit conjecturis, si voces vocibus substituatur dissimillimæ. Loca plurima ex æquo varias voces, ac sententias admittunt; quæ erunt planè alienæ a mente Scriptorum, si nulla ratio habeatur veteris scripturæ.

25. Exemplum insigne violatæ hujus Legis a viro docto protulimus Sect. 15. & sequentibus. En alterum ** *Tan. Fabri*, qui corruptum censet locum *Ovidii*, Eleg. IV. Lib. III. Tristium, ubi agit de præcepto Sapientum, quod ita exprimit:

* *Lib. II. c. 2.* † *Vid. Lib. I. De Nat. Deorum. C. 7.*
‖ *Institut. Divin. Lib. V. c. 16.* ** *Lib. I. Ep. 37.*

Crede mihi; bene qui latuit bene vixit, & infra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Tum hæc ſubſtituantur exempla:

Non foret Eumedes orbus, ſi filius ejus
Stultus Achilleos non adamaſſet equos;
Nec natum in flamma vidiſſet, in arbore natas,
CEPISSET *genitor ſi Phaëthonta Merops.*

Exiſtimat pro *cepiſſet*, legendum *flexiſſet*, id eſt, à ſententia deduxiſſet, à propoſito avertiſſet, detorſiſſet. Verùm ductus litterarum CEP & FLEX nimium differunt, & conſtat ex editione Heinſiana in MSS. legi *cepiſſet*. Ac ſanè ita poſtulat ſententia, hoc enim vult *Ovidius*, Meropem non ſatis amplâ dignitate ornatum viſum fuiſſe filio Phaëthonti, ſuperbiâ & ambitione perdito. Sic Alexandrum *non capiebat Macedonia*, imò ne *terrarum* quidem *orbis*. Cùm domuiſſet Bucephalum, ita eum alloquutus dicitur Philippus: *Ὦ παῖ, ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην. Μακεδονία γάρ σε οὐ χωρεῖ: *O fili, quære par tibi regnum, Macedonia enim te non capit.* Simili ſenſu de Clodio *Cicero*, in || Miloniana: *capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciæ, regna non poterant.* Metaphora eſt à nimis anguſto vaſe deducta, fateórque eam aptius de locis uſurpari, quàm de hominibus; attamen *Ovidius* ea, paullo fortaſſe duriùs, uſus eſt, cùm loqueretur de patre quo major ſibi videbatur filius. Sed non ſunt omnes paullò duriores Metaphoræ, etiam in aureæ ætatis Scriptoribus, pro mendis habendæ.

26. Idem † Lib. I. de Arte Amatoria verſum, contra Codicum omnium conſenſum, mutare aggreſſus eſt, exiguâ ſimilitudinis litterarum ratione habitâ; at, niſi fallor, infeliciter. Docet *Ovidius* potiùs eſſe promittendum, quàm dandum, his verbis:

Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui;
Præteritum tulerit, perdideritque nihil.

Poſteriore verſu quidquam ſignificari negat, & ita emendari jubet;

Nam pretium tulerit, reddideritque nihil.

* *Plutarchus in Alexandro.* || *Cap. XXXII.* † *Lib. I. Ep. 52.*

Verùm fallitur, hoc enim vult Poëta: cùm acceperit quidquid potes dare, te non ſine ratione relinquet, quia præteriti temporis dona acceperit, nec in futurum quidquam perdiderit; quando nihil erit quod des ampliùs, ut facilè intelliget.

At quod non dederis ſemper videare daturus,
Sic dominum ſterilis ſæpe fefellit ager.

Sequentia idem comprobant, quæ, ſi de re honeſta ſermo eſſet, pluribus perſequeremur.

27. Lib. II. ejuſdem Operis, ita legimus in editione Heinſiana:

Sis licet antiquo Nireus adamatus Homero,
Naïadúmque tener crimine raptus Hylas.

At Criticus noſter * ſcribit *laudatus Homero*, quod *Homerus* Nirea *laudare* quidem, ſed multò antiquiorem *amare* non potuerit. Verùm impropriè loqui potuit *Ovidius*, nec, ut tollatur ἀκυρολογία, à lectione Codicum uſque adeò abeundum eſt. Si omnes loquutiones minùs propriæ eſſent ex optimorum Scriptorum monumentis exterminandæ; infinitis propemodum locis, contra omnium Codicum fidem, vis eſſet afferenda. Nullus enim eſt Scriptor, qui non ſæpe potuerit aptiùs loqui, quàm loquutus eſt: ſeu incuriâ ita mentem expreſſerit, ſeu animo laboranti commodior alia, ut fit, loquutio non occurrerit.

28. Antea ſat multa exempla congeſſimus conjecturarum, quibus quàm minimâ mutatione locis obſcuris, aut manifeſto depravatis medicina facta eſt. Eas autem omnium optimas & certiſſimas eſſe judicamus, ex quibus omnium minima mutatio facta eſt. Unum atque alterum exemplum hic addemus, *Plauti* Caſinâ, Act. III. S. 3. nequiſſimus ſenex ita ſodalem non meliorem alloquitur:

Nunc amici, ánne inimici ſis imago, Alceſime,
Mihi ſciam; nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.

Manifeſtum eſt Stalinonis hanc eſſe mentem: tempus advenisse, remque incidiſſe, ex quibus intellecturus erat an Alceſimus amicus ſibi reverâ eſſet, an vero inimicus. Sed *inimici imago* non eſt *inimicus*, ut *amici imago* non eſt amicus;

* *Lib. I. Ep.* 54.

nam

nam ut diceretur *imago amici* qui se amicum fingeret, quamvis esset inimico animo : ita *imago inimici* vocaretur, qui simularet se inimicitias cum aliquo exercere, licèt ei amicitiâ conjunctus esset. *Imago inimici* opponitur vero inimico : ut *imago amici* vero amico Legendum igitur puto :

Nunc amicúsne, ánve amici sis imago, &c.

Hoc est, utrùm verus sis amicus, an fictus. Homo ineptus, qui non intelligebat quid sit *amici imago*, & credebat inimicum tantùm opponi amico, mutavit *amici* in *inimici*.

29. Alterum exemplum dabimus ex Comico Græco. *Aristophanes* in Concionatricibus, ita inducit Praxagoram describentem lucernam, in loco obscuro lucentem. Sunt primi Comœdiæ versus, in quibus duo sunt crassissima menda ; quæ tamen nullo negotio tolli possunt, & miror à *Tan. Fabro* non fuisse sublata.

Ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ τροχηλάτου λύχνου,
Κάλλιστ᾽ ἐν εὐσκόποισιν ἐξητημένον.

Vertit vir doctissimus : *O lucidum jubar lychni rotâ figulinâ elaborati, tenebrosis in locis apprimè expetitum.* Legit, nempe, δυσκόποισι, sed nullum exemplum profert ullius Scriptoris, qui usus sit ea voce, quam frustra in Lexicis quæras. Deinde κάλλιστα ἐξητημένον Græcum non est hoc sensu, quis enim unquam dixit κάλλιστα pro *apprime*, aut σφόδρα ? Retinenda est vox εὐσκόποισι, & vertendum, *in locis conspicuis* ; quia lucernæ suspenduntur in edito quopiam loco, qui ex toto conclavi cerni queat, ut earum lux ubique spargatur. Tum ἀντὶ τοῦ ἐξητημένον legendum ἐξαπτόμενον, quod æquè commodo sensu verti queat *accensum*, aut *suspensum*, nam utrumque significat ἐξάπτομαι. Posterius tamen malim, ut dicat Praxagora : *ô jubar pulchrè suspensum in editis locis.*

30. Pergit vero, his verbis :

Γονάς τε γὰρ σὰς καὶ τύχας δηλώσομεν.
Τροχῷ γὰρ ἐλαθεὶς κεραμικῆς ῥύμης ἄπο,
Μυκτῆρσι λαμπρὰς ἡλίου τιμὰς ἔχεις.

Originem enim tuam, fortunásque exponemus, nam rotâ ductus, ô lychne, figuli labore, unoquoque in naso splendidos solis honores habes. At quodnam hoc monstrum est ? Lucerna quæ *habet honores solis* ; vel, ut vir doctissimus, solem imitatur *uno quoque in naso* ! An ergo *naso* videbant olim Athenien-

 ses ?

ſes? Lege μυχοῖσι, hoc eſt, *in abditis penetralibus*, in quibus lux ſolis non cernitur; qua voce utitur poſtea Comicus, ſed obſcœniore ſenſu. In ejuſmodi locis, quales erant fornices meretricum, lucerna *obtinet honores ſolis*, quia ejus vice fungitur. *Heſychius*, atque ex eo *Phavorinus*: Μυχοὶ, αἱ καταδύσεις, οἱ ἐνδότατοι καὶ ἀπόκρυφοι τόποι. Ejuſmodi erunt κοιτῶνες, ſeu penetralia in quibus cubabant Patres & Matres familias. *Homerus* Odyſſ. Γ. verſ. 402. de Neſtore:

Αὐτὸς δ' αὖτε καθεῦδε μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο,
Τῷ δ' ἄλοχος δέσποινα λέχος πόρσυνε καὶ εὐνήν,

Ipſe verò dormivit in receſſu domûs altæ, eique uxor hera lectum præparaverat & cubile. Ad quæ verba, obſervat *Euſtathius Homerum* vocare τὴν ἐνδοτάτω, θάλαμον καὶ μυχὸν δόμου, *interiorem partem thalamum & receſſum domûs.*

31. Hiſce ad illuſtrationem quartæ Legis congeſtis, ad quintam deveniendum eſt, quæ ita habet: MSS. CODD. NON SUSPECTI ALIIS PRÆFERUNTOR. Duo ſunt quæ MS. Codicem commendant, antiquitas & Librarii, à quo fuit deſcriptus, Criticive, à quo emendatus, fides & peritia. Antiquiſſimi Codices ceteris meritò (niſi quid obſtet, de quo poſtea dicemus) præferuntur, cùm quòd ſcripti ſint temporibus, quibus plures erant Linguæ peritiores; tum etiam quòd minus inquinati ſint, imperitiâ vel malâ fide Librariorum, aut Criticorum. Ea enim, proximè præteritis ſæculis, utrorúmque fuit inſcitia; ut ii ferè ſint corruptiſſimi Libri, qui per plurium manus ad nos pervenerunt: haud aliter ac aqua, per plurimos rivos derivata, fonte ipſo impurior eſt. Librarii verò & Critici fides & eruditio facilè apparent, ex ipſis Manuſcriptis, ſi à viris non prorſus imperitis tractentur. Sunt enim multò emendatiores libri, qui eorum curâ deſcripti, atque emendati ſunt.

32. Igitur malè de re litteraria merentur, dèque Lectoribus ſuis, qui antiquiſſimos Codices non ſequuntur, potius quàm recentiores. Cujus rei inſigne exemplum attulimus ex Cap. V. 1. Epiſt. Joannis, antea Cap. XIV. ubi verba de Teſtibus Cœleſtibus, quæ abſunt ex vetuſtiſſimis Codicibus, in pleriſque editionibus leguntur, & propugnantur a Theologis Criticæ imperitis, aut qui quærunt quod optant, in Libris, non quod iis ineſt.

33. Suſpectos eſſe oportet Codices, qui nimium à ceteris omnibus recedunt, præſertim in locis, in quibus eſt aliqua

† Pag. 307. & ſeqq.

difficultas;

difficultas; cùm mutandi rationes fuerint, nullæ verò scribendi ea quæ in aliis MSS. Libris comparent. Exempli causâ, Codex ille Græco-Latinus Novi Testamenti, qui *Th. Bezæ* fuit, aliique similes qui in Bibliothecis visuntur, licèt antiquissimi, suspecti sint necesse est; quia sunt in illis clara audaciorum mutationum vestigia. Genealogiam Christi, ut unum hoc exemplum afferam, quæ est Matthæi Capite I. totam refinxerunt ii, à quibus primùm scripti sunt, ex Luca, contra reliquos omnes Codices & Interpretes, qui eam habent, qualem nos hodie. Nemo dubitare queat, quin imperiti & audaces homines Matthæum corruperint, ut eum in concordiam cùm Luca redigerent; cùm nulla fuerit aliis ratio aliam fingendi genealogiam, apud Matthæum, ab ea quæ erat apud Lucam. Præterea passim illi Codices abeunt à ceteris, ut loquutiones sint puriori Hellenismo magis consentaneæ, quod sexcentis locis probare possemus. At nemo dixerit Græcos Librarios stylum Apostolorum nimis ἑλληνίζοντα, studio complesse Hebraïsmis, quos ignorabant sed malè sani Græculi potuerunt, ut auribus suorum consulerent, Hebraïsmis Hellenismos substituisse. Igitur hi aliique Codices, in quibus frequentes sunt ejusmodi loquutiones, malas manus experti judicari à nobis debent.

34. Suspecti quoque debent esse ii Codices, si qui sint, qui, certum in finem laudantur, à viris de quorum fide non satis constat, præsertim si sint manifesta depravationis indicia. Dicitur * *Petrus Fagiardus Velesius*, Marchio Hispanus, contulisse sexdecim Codd. Græcos, quorum octo ajunt fuisse in Bibliotheca S. Laurentii, in Hispania. Illi autem ita consentiunt cùm Vulgata versione Latina, ut in omnibus locis, in quibus à ceteris Codicibus recedit, ei adstipulentur; imo vero habeant additamenta quædam, quæ videntur ex Latinis versa. Sic Apoc. IX. 11. habet Vulgata: *habebant supra se Regem, Angelum Abyssi, cui nomen Hebraïce Abaddon, Græcè autem Apollyon*; quæ leguntur in omnibus Græcis Codicibus, sed, in Latinorum gratiam, addidit: *Latinè habens nomen exterminans*. Quæ versa sunt Græcè, ῥωμαϊστὶ ἔχων ὄνομα ἐξτέρμιναν. Si fuerint umquam in rerum natura ejusmodi MSS. fuerunt ad Vulgatam Versionem refecti; sed verisimillimum est hominem Hispanum, Latinæ Versionis causâ, finxisse eas varias lectiones, quæ nusquam erant; cùm nemo, præter illum, eos Codices videre potuerit.

35. Huc pertinet quod quæri solet, de delectu variarum lectionum quæ in MSS. paris vetustatis & æquè emendatis,

* *Joan. Mariana, pro Ed. Vulgata, C. XVII.*

animadver-

animadvertuntur. Sæpe enim variæ lectiones occurrunt, quæ omnes cum re ipsa, serie orationis, & stylo Scriptoris consentiunt, ex quibus tamen una eligenda est. Si omnia sint paria, non multùm quidem interest quæ eligatur; sed si una ex iis obscurior sit, ceteræ clariores, tum verò credibile est obscuriorem esse veram, ceteras glossemata, ut Cap. VII. ostendimus. Similiter si quæ sit lectio, quæ in uno Codice occurrat, difficultatémque tollat, quæ insit loco, prout in ceteris omnibus Codicibus legitur, non illico est admittenda. Verendum enim est, ne emendatio sit Librarii aut Critici, qui ex conjectura quod non adsequebatur mutaverit, aut quod mendum opinabatur sustulerit. Hujusmodi est lectio MS. Codicis, cujus meminit *T. Beza* ad Matth. C. I. 11. nam cum omnes Libri & Interpretes habeant: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, habet ille Codex: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακὶμ, Ἰακὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν, καὶ τοὺς, &c. Quam lectionem veram & genuinam putat *Theod. Beza*, si modo legamus: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακὶμ, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, Ἰακὶμ δὲ ἐγέννησε Ἰεχονίαν ἐπὶ τῆς, &c. quomodo ipsa historia postulat, & trium Tessaradecadum numerus expletur. Sed cum nullus alius Codex, nullus vetus Interpres cum eo consentiat, multò verisimilius est hanc esse Critici conjecturam; quod & postea sensit ipse *Beza*, qui quod in prioribus editionibus in contextum admiserat, in posterioribus induxit.

36. Sexta lex erit: LOCO MSS. CODD. VETERUM CITATIONES, AC VETERES TRANSLATIONES, ADHIBITIS CERTIS CAUTIONIBUS, SUNTO. Si ex citationibus Veterum & priscis Interpretibus, constet locum quempiam aliter lectum fuisse, quàm hodie legitur; dubium esse nequit, quin ea sit varia lectio ceteris æquiparanda, aut etiam anteferenda, si melius rei, & stylo Scriptoris conveniat. Verùm ad citationes quod attinet, duo sunt animadvertenda, nimirum, sæpe Veteres ex memoria loca recitare; quo fit ut synonyma synonymis facilè substituant, & in ordine verborum nonnihil mutent. Deinde eos sæpe sensum, potius quàm verba ipsa, proferre. Itaque varietas citationum non potest semper urgeri, quasi varietas lectionis, quæ esset in Codicibus, quibus Veteres utebantur. Ad Translationes vero quod spectat, cavendum ne conjecturas Interpretum, de sensu aut lectione locorum, putemus niti varietate lectionis. Passim sensum exprimunt conjiciendo, exiguámque verborum rationem habent; nec proinde semper colligere possumus eos aliter legisse quàm nos, quia aliter vertunt.

37. At quando ergo, inquies, licebit ex citationibus aut Interpretibus variam lectionem certò colligere? Ex citatione liquebit aliter lectum fuisse, cùm is qui ea utitur ex verbis quæ protulit ita ratiocinatur, ut ex verbis aliter prolatis eadem consectaria deduci non possint; aut cùm verba quàm maximè ad rem suam facientia prætermittit, ut alia ex eodem loco minùs firma producat. Exempli gratiâ constat plurimos Patres, ut observarunt doctissimi quique Interpretes, non legisse quod in plerisque Editionibus habetur de Testibus Cœlestibus 1. Ep. Joan. Cap. V. quòd iis verbis, in disceptationibus contra Arianos, numquam utantur, quamvis proferant quod de Testibus Terrestribus habetur. Exempli causâ, *Gregorius Nazianzenus* Orat. XXXVI. respondens Arianis, qui negabant tres æquales Deos unum dici posse, non parum sudat ut ostendat quì ita loqui licuerit. * Tum profert locum de terrestribus testibus; altero de cœlestibus numquam utitur, quo tamen potuisset os Arianis obturare.

38. Idem de aliis Patribus observare licet. At *Cyprianum* objiciunt, qui in Libro, de Unitate Ecclesiæ, ita loquitur: *De Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est, & hi tres unum sunt.* In Epistola vero LXXIII. ad Jubajanum: *Si ——templum Dei factus est, quæro cujus Dei? Si Creatoris, non potuit qui in eum non credidit; si Christi, nec hujus potest fieri templum, qui negat Deum Christum; si Spiritûs Sancti,* cùm tres unum sint, *quomodo Spiritus Sanctus placatus ei esse potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?* Hinc nonnulli putant liquere *Cyprianum* legisse in exemplari suo, quemadmodum in editionibus hodiernis legimus. At † vir doctus rectè animadvertit credibile non esse lecta ea verba esse à *Cypriano*, nec tamen ab *Augustino* Arianis ævi sui objecta. Certè nemo crediderit unum *Cyprianum* ea verba habuisse in suo exemplari; aut etiam alios, licèt ea legerint, numquam iis, in gravissima controversia, cui dirimendæ summopere inservire poterant, usos esse. Quid ergo de verbis *Cypriani* statuemus? Nimirum, quod idem vidit, Carthaginiensem Episcopum aptasse Patri, Filio, & Spiritui Sancto verba versûs octavi, *& hi tres unum sunt,* ‖ sic enim in Vulgata Latina legimus. Certè solet *Cyprianus* sententiam, quam putat inesse verbis Scripturæ, sæpe proferre, eadem fiduciâ ac si verba ipsa recitaret. Alia legantur apud virum

* *Pag.* 603. *T.* 1.
† Ric. Simonius *Cap. XVIII. Hist. Crit. N. T. de Texu.*
‖ *Non in Græcis Exemplaribus, ut perperam* Simonius; *est enim in illis* εἰς τὸ ἕν εἰσιν.

erudi-

eruditum, qui tamen ut redimeret quod verè dixit hac de re, videtur ubique datâ operâ debacchari in eos, in quos solet hic locus Joannis frustra torqueri.

39. Hisce exemplis, è sacris petitis, possemus adjicere alia ex profanis Scriptoribus; quos sæpe licet ex veterum Grammaticorum citationibus emendare, quamquam non quibusvis citationibus credendum est. Sed superiora exempla rem, nisi fallor, in aperta luce collocant. Si quis tamen aveat pluribus comprobatam videre, adeat oportet *Pascasii Grosippi*, seu *Gasparis Scioppii* Paradoxa Litteraria Epist. VII, VIII, & IX. quæ dignissimæ sunt lectu. Ea tantùm hîc proferimus, quæ necessaria sunt suadendis Legibus Criticis, quas promulgamus.

40. Ut ad Translationes veniam, certum est eas sæpe loco MSS. Codicum esse posse, ut probavit *Lud. Cappellus* in Critica Sacra, útque omnes consentiunt, qui veteres Versiones Novi Testamenti, cùm editionibus Græcis contulerunt. Verum cavendum ne varias lectiones hauriamus ex locis, in quibus potiùs sensum, quàm verba exprimere voluerunt; hoc est, ex locis potissimum difficilioribus. At ubi verba totidem verbis reddita sunt, & aliquid omittitur aut additur, rectè judicant Eruditi, aliquid ampliùs aut minùs fuisse in Interpretum Codicibus; cujus rei nos * antea jam exempla attulimus, & plura congessimus in Indice in Pentateuchum.

41. Vix etiam dubitare licet an aliter legerit Interpres, cùm videmus eum dissentire à lectione nostra, sed mutatâ litterulâ consentire. Exemplum rem clariorem reddet. In Hebraïco exemplari Esdræ Cap. X. 6. sic legimus: *Et surrexit Esdras ex anteriore parte domûs Dei & abiit* (וילך vajjelech) *in conclave Jochananis, filii Eljasibi, & abiit* (וילך) *illuc, panem non comedit.* Notum autem est eum, qui tertium Esdræ librum edidit Græcè, pleraque quæ habet ex Hebraïcis Esdræ & Nehemiæ Codicibus sumsisse. Habet verò ille, in hac historia, pro altero illo וילך *& ivit*, καὶ αὐλισθεὶς ἐκεῖ, *& commoratus illic*; unde perspicuum est eum legisse וילן *vajjalon*, quod verbum sæpe LXX. Intt. vertunt αὐλίζεσθαι. Dubium mihi non videtur, quin hæc lectio Hebraïca commodior sit.

42. Habemus etiam antiquissimas Epistolarum *Barnabæ* & *Ignatii* versiones Latinas, quæ Græcis illustrandis non parum inserviunt, ut liquidiùs constabit ex editione Amstelodamensi; quæ nunc prælum exercet, & brevi prodibit omnium commentariis ornata. Idem dicere possimus de

* *Cap. VIII, & XIV.*

ver-

verſione *Irenæi*, quam non ſine fructu cum Græcis conferunt paſſim viri docti.

43. Ultima Lex, quam, quo eſt majoris momenti, eo frequentius perrupiſſe videntur Critici, hæc eſt: DE OMNIBUS IN NOTIS MONERE LICETO, AT NULLA, NISI MANIFESTA, AUT EX MSS. CODD. HAUSTA LECTIO, IN CONTEXTUM ORATIONIS INFERTOR. Nulla de re graviores leguntur querelæ, quàm de audacia Criticorum, qui conjecturas ſuas, pro Veterum Scriptorum verbis, contra fidem Codicum MSS. Lectoribus incautis obtrudunt. Eâ ratione, fœdum in modum *Sig.ſm. Gelenius* tres egregios Scriptores *Plinium*, *Arnobium*, & *Ammianum Marcellinum* corrupit.; quibus niſi opem tuliſſent viri doctiſſimi, & omnibus Reipublicæ Criticæ copiis inſtructi, Geleniana pro verbis eorum Scriptorum etiamnum legeremus. Si nemo *Plautum* curaſſet, præter *Davidem Pareum*, actum erat de facetiarum, elegantiarúmque patre; nam ille conjecturas alienas ac ſuas audacter ubique intruſit, pro iis quæ in veteribus Libris legebantur. Quam ob cauſam, meritò paſſim vapulat, in *Frid. Taubmanni* notis. Non deſunt qui queſti ſint à viro maximo *Joſ. Scaligero Manilium* peſſimè habitum fuiſſe, quòd ubivis pro Manilianis verbis ſua edi curaverit. Nimiæ fortè quidem eæ ſunt querelæ, at ſine dubio præſtitiſſet virum ſummum parcius ſuas emendationes in contextum intuliſſe. Rectius etiam feciſſet *Frid. Taubmannus*, qui Culicem & Cirim Virgilii edidit, cum ampliſſimis commentariis, ſi vetuſtiſſimam editionem, aut membranas potiùs ſequutus eſſet, quam ejuſdem *Scaligeri* conjecturas. Plures Criticos conculcatæ hujus æquiſſimæ Legis accuſare poſſemus; ſed eos Studioſi, qui doctorum virorum labores evolvent, ſat cito cognoſcent.

44. Lex ipſa quàm neceſſaria ſit, ad impediendum ne Veterum Scripta contaminentur, nemo non videt. Si enim liceret in contextu quod diſplicet illico mutare, inſcitiâ, audaciâ, ac feſtinatione Criticorum, doctorum & indoctorum, vulnera paſſim graviſſima Veteribus inferrentur, & paullatim eò deveniremus, ut neſciremus quid ab optimorum Scriptorum manu eſſet, quid ab interpolatorum audacia. Attamen quia nulla major eſt tyrannis, quàm quæ non modò non patitur id fieri quod æquum cenſeas, ſed nequidem modeſtè dici; liceat Criticis in Notis ac Commentariis, quibus Veterum Scripta eunt illuſtratum, proponere quidquid libuerit; eâ tamen lege, ut Lectores peritiores fiſtulâ paſtoritiâ excipiant quæ, invitâ Criticâ, protulerint.

45. Hæc ad suadendas Leges æquissimas dicenda habuimus, quibus innumera alia adjici potuisse nobis non latet; verùm quæ à nobis dicta sunt vel imperitissimos in adsensum trahere possunt, nedum ut paullò peritiores pluribus indigeant. Itaq; ne mihi & aliis tædio sim, manum de tabula tollo, exspectaturus an Reipublicæ Litterariæ Populus Leges hasce jussurus sit, aut seditioso quopiam Tribuno intercedente rejecturus; quod tamen vix opinor futurum. Ut enim nonnulla exempla à me allata in dubium revocari queant; attamen Leges ipsæ supra invidiam positæ sunt, cùm ex doctissimorum virorum sententia scriptæ sint, atque ex ipsa rerum natura manifestò petitæ.

III. PARTIS I. SECT. FINIS.

ARTIS

ARTIS CRITICÆ
PARS III.

SECTIO II.
De Locis & Scriptis spuriis à genuinis dignoscendis.

CAPUT I.
De fraudibus quibus inserta Veteribus Scriptoribus loca, suppositíque iis integri Libri, Veterum testimonia.

1. OSTENDIMUS superioris Sectionis Cap. XIV. homines veri parum studiosos in Veterum monumentis eas voces mutasse, aut delevisse, quæ sibi displicerent, aut addidisse quæ visa sunt; ut Veteres illorum dogmatibus favere, aut saltem ut ne adversari viderentur. In hac verò Sectione, agemus de integris Periochis insertis aut resectis, datâ operâ, ab iisdem impostoribus, aut à Criticis malè feriatis; tum etiam de Libris, quibus illustria nomina præfixerunt, ut fallerent ementes, aut ut sua dogmata statuminarent; trademúsque regulas ex quibus suppositæ Periochæ, ac Libri alieno nomine inscripti agnosci queant; quæ omnia exemplis aliquot firmabimus.

2. Verùm antequam ad rem ipsam veniamus, Veterum loca proferemus, ex quibus intelligere licebit non recentiores demum Criticos in ejusmodi corruptelas ac suppositiones esse invectos. Exstant hac de re sat graves, cum apud veteres Ethnicos, tum apud Christianos querelæ.

3. Cùm antiquiorum Scriptorum admiratio hominum animos subiisset, eorum libri cœperunt ab omnibus Antiquitatis studiosis avidiùs emi & versari; horúmque auctoritas, ad dirimendas controversias, adhibita, & magno studio contendentes eam ad partes suas trahere conati sunt. Hi fuere potissimi

potissimi fontes, ex quibus fluxere innumeræ corruptelæ, & suppositiones; quibus avaritia Librariorum & nequitia Falsariorum fucum minus callidis fecerunt. Quod paullo pluribus persequemur.

4. Cùm ergo Librarii animadverterent, nonnullorum Scriptorum libros frequenter in officinis suis quæri, atque emi; duplici fraudis genere, lucri causâ, grassabantur. Alterum erat, quo Scripta jam edita & nota, quasi ex vetustioribus Codicibus, iisdémque amplioribus descripta, multò auctiora depromebant, & venum exponebant; postquam in ea varia infarciri à nebulone curaverant. Tum vero & qui habebant Libros, suis Codicibus quasi mutilis spretis, eos iterum emebant; qui verò nondum emerant, ex editione locupletiore sibi comparabant. Hinc autem non parvum lucrum redibat ad Librarios, qui primi ejusmodi fraudem adhibebant; præsertim si celebrior esset Scriptor, quem ita interpolari curaverant, nec fraus illico pateret. Quod *Clementi* Romano, & *Ignatio* Antiocheno contigisse postea ostendemus. Alterum fraudis genus erat, cùm Viro aut Scriptori Celebri integrum opus tribuebant, ut cùm *Dionysio* Areopagitæ tributi sunt libri, qui sub ejus nomine circumferuntur; quod & plurimis aliis à Christianis præsertim factum esse, in sequentibus, pluribus demonstrabimus. Populi, nempe, cupidi sciendi quid sensissent primi illi Christiani, quidve iis contigisset, omnes Bibliothecarum angulos perscrutabantur, omnes Librariorum officinas excutiebant, ut viderent num quid eorum superesset; quod cùm animadverterent homines lucri cupidi, hiantes & credulos facilè deluserunt, & incredibilem copiam librorum recens conscriptorum antiquis Scriptoribus, fallente titulo, tribuerunt. Quod cùm dico factum à Christianis, Judæos tamen, aut Ethnicos, quasi culpæ ejus minimè affines, absolutos nolo; sed de Christianis potissimum loquor, quia pluris interest scire quos finxerint, quàm quos alii adulterinos in lucem protulerint, & plures etiam à Christianis falsis nominibus insigniti ad nos pervenerunt.

5. Postea quàm verò acres concertationes, inter Christianos, oriri cœperunt, præsertim à Nicænæ Synodi temporibus; cùm dissentientes Christiani omni ope niterentur Antiquitatem in suas partes trahere, ut adversarios quasi novas res molitos infamarent; tum demum sceleratis manibus adulterata sunt priscorum monumenta, & eorum nomina præfixa libris ea de causa fictis, ut partibus laborantibus subsidio essent. Sic additæ sunt ingentes laciniæ Epistolis *Ignatii*, & fictæ *Constitutiones Apostolicæ*, quasi ab Apostolis conditæ,

conditæ, & à *Clemente* Romano digestæ; de quibus postea dicemus. Eodem consilio fictus ille *Prologus*, qui Epistolis Canonicis, *Hieronymi* nomine insignitus, præfigitur, ut antea observavimus.

6. Fortè & errore factum, ut Libri quorum Scriptores ignorabantur, quòd nullius nomen eis esset additum, nonnullis tribuerentur, quorum nequaquam erant; ob similitudinem styli, vel ob imperitiam Librariorum, qui sic numerum Operum virorum eruditorum auctum ibant. Hoc potissimùm factum in scriptis Patrum iis sæculis, quibus Antiquitatis studiosi, grassante per omnia barbarie, pauciores erant, neque ullus Criticæ, ut decuit, operam dederat. Hinc videmus scriptis Patrum, præsertim πολυγράφων, multa aliena adsuta. *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Chrysostomus*, aliique jam dudum, sine appendicibus alienis, non prodeunt.

7. Re ipsâ breviter expositâ, jam sunt Testimonia Veterum proferenda. Sic ergo *Diogenes Laërtius* de Æschine, Lib. II. §. 60. διεβάλλετο δὲ Αἰσχίνης καὶ μάλισθ' ὑπὸ Μενεδήμου τοῦ Ἐρετριέως, ὡς τοὺς πλείστους διαλόγους, ὄντας Σωκράτους ὑποβάλλοιτο, λαμβάνων παρὰ Ξανθίππης: *calumniis differebatur Æschines, potissimùm à Menedemo Eretriensi, quasi complures dialogos, qui Socratis essent, à Xanthippa acceptos pro suis supposuisset.* Subjicit verò *Diogenes*: ὧν οἱ μὲν καλούμενοι ἀκέφαλοι σφόδρ' εἰσὶν ἐκλελυμένοι, καὶ οὐκ ἐπιφαίνοντες τὴν Σωκρατικὴν εὐτονίαν, οὓς καὶ Πεισίστρατος ὁ Ἐφέσιος ἔλεγε μὴ εἶναι Αἰσχίνου. καὶ τῶν ἑπτὰ δὲ τοὺς πλείστους Περσαῖος φησὶ Πασιφῶντος εἶναι τοῦ Ἐρετρικοῦ, εἰς τοὺς Αἰσχίνου δὲ κατατάξαι. ἀλλὰ καὶ τῶν Ἀντισθένους, τόν τε μικρὸν Κῦρον, καὶ τὸν Ἡρακλέα τὸν ἐλάσσω, καὶ Ἀλκιβιάδην, καὶ τοὺς τῶν ἄλλων δὲ ἐσκευώρηται: *ex quibus qui dicuntur principio carentes sunt remissi, nec Socraticam vehementiam præferentes; quos & Æschinis esse Pisistratus Ephesius negabat. Sed & plerosque septem illorum Persæus ait Pasiphontis esse Eretriensis, atque ab eo Æschinis insertos libris; eumdémque Antisthenis parvum Cyrum, & Herculem minorem, & Alcibiadem aliorumque libros supposuisse.*

8. Sic viri ingenio & eruditione sua abusi nervos omnes intendebant, ut ita stylum & doctrinam exprimerent eorum, quibus libros supponebant, ut vix suppostitii fœtus a veris secerni possent. *Livius* Lib. XXXVIII. c. 56. ubi de die dicta P. Scipioni: *Nec inter Scriptores*, inquit, *discrepat solùm, sed orationes quoque, si modò ipsorum sunt quæ feruntur, P. Scipionis & T. Gracchi abhorrent inter se.* Scilicet, homines malè diserti, ut eloquentiam suam venditarent, scrip-

ſerant orationes, quibus expreſſerant quod dicere debuiſſe videbantur ſummi illi viri; quod perſæpe factum, ut poſtea videbimus.

9. Scio poſſe dici plurima exercendi ſtyli gratiâ eſſe conficta, & veluti ludente ingenio elaborata; at quod illi ludentes fecerunt, id ſerium poſteros in errorem conjecit. Præfixum nomen *Salomonis* Libro *Sapientiæ* plurimos fefellit & etiamnum fallit, quamvis ab *Hieronymo* monitos. Hæc ſunt hujus verba, ex præfatione in Libros Salomonis: *Fertur &* πανάρετος *Jeſu filii Sirach liber, & alius* ψευδεπίγραφος, *qui* Sapientia Salomonis *inſcribitur. Quorum priorem Hebraïcum reperi, non* Eccleſiaſticum, *ut apud Latinos, ſed* Parabolas (משלים meſchalim) *prænotatum, cui juncti erant Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum; ut ſimilitudem Salomonis non ſolùm librorum numero, ſed etiam materiarum genere, coæquaret. Secundus, apud Hebræos, nuſquam eſt, quia* (lego *quin*) *& ipſe ſtylus Græcam eloquentiam redolet, & nonnulli Scriptorum veterum hunc eſſe Judæi Philonis affirmant.* Verùm de hoc Libro poſtea pluribus agemus.

10. Idem a Pſeudo-Chriſtianis, ad quamcumque familiam pertinuerint, ſæpe factum teſtantur Patres. *Auguſtinus* in Ep. XLVIII. ad Vincentium, ait quoſdam credidiſſe, quamvis falsò, at ex more ſæculi ſui, fictas Epiſtolas *Cypriani* de iteratione Baptiſmi. *Non deſunt*, inquit, *qui hoc ſenſiſſe Cyprianum prorſus non contendant, ſed ſub ejus nomine à præſumtoribus, atque mendacibus fuiſſe confictum. Neque enim*, ſubjicit Auguſtinus, *ſic potuit integritas, atque notitia litterarum, unius quamlibet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri, quemadmodum Scriptura Canonica, tot Linguarum Litteris, & ordine & ſucceſſione celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtoditur; contra quam tamen non defuerunt, qui, ſub nominibus Apoſtolorum, multa confingerent.*

11. Fatetur quidem *Auguſtinus* illam ſuſpicionem infirmam eſſe, at nitebatur conſuetudine illorum ſæculorum, quibus innumera ficta fuerant. *Nos tamen*, inquit, *duas ob res non negamus illud ſenſiſſe Cyprianum; quòd & ſtylus ejus habet quamdam propriam faciem, quâ poſſit agnoſci; & quòd ibi magis contra vos* (Donatiſtas) *noſtra cauſa monſtratur invictior*, &c. Altera harum rationum petita eſt ex utilitate, quam *Auguſtinus* putabat percipere ſe poſſe ex Epiſtolis illis *Cypriani*, in diſceptatione cum Donatiſtis; altera verò Critica, quæ ſola firma eſt. Nec dubito quin, ſi hæc poſterior ratio defuiſſet, *Auguſtinus* planè negaturus eſſet haſce Epiſtolas eſſe *Cypriani*, plauſibili illâ ratione, è Falſariis ſumtâ, fretus; nam quamvis diſſimulet, vehementer ejus cauſæ, ad

iterationem baptiſmi quod attinet, adverſabantur. Subdit verbis allatis: *Fruſtra quidem, quia illa ſic commendata, ſic celebrata, ſic nota eſt; verùm quid poſſit adversùs litteras non canonicâ auctoritate fundatas etiam hinc demonſtravit impiæ conatus audaciæ, quòd & adversùs eas, quæ tantâ notitiæ mole firmatæ ſunt, ſeſe erigere non prætermiſit.* Ex hiſce colligere licet vulgò perſuaſum fuiſſe, non ſine diligenti examine, Veterum Scripta aut potiùs quæ eorum nomine venditantur admittenda eſſe; quod tamen plerique, aut affectibus, aut ἀκρισίᾳ præpediti, non faciebant.

12. *Origines*, in * Ep. ad Alexandrinos amicos, ita queritur, de Scriptorum ſuorum, vivente ſe, adulteratione. *Quidam auctor hæreſeos, cùm ſub præſentia multorum habita inter nos fuiſſet diſputatio, deſcriptum accipiens, ab his qui deſcripſerant, codicem, quæ voluit addidit, & quæ voluit abſtulit, & quod ei viſum eſt permutavit. Cùm conveniſſem illum ipſum, qui adulteraverat librum, quare hoc feciſſet, velut ſatisfaciens mihi reſpondit: quoniam magis ornare volui diſputationem ipſam, atque purgare* (id eſt, errata emendare.) *Videte quali purgatione diſputationem noſtram purgavit. Tali, nempe, quali purgatione Marcion purgavit Evangelia, vel Apoſtolum; vel quali ſucceſſor ejus poſt ipſum Apelles. Nam ſicut illi ſubverterunt Scripturarum veritatem: ſic & iſte, ſublatis quæ verè dicta ſunt, ob noſtri criminationem, inſeruit quæ falſa ſunt.* Quin & integros libros ſuo nomine fictos queritur, in eadem Epiſtola. *In Epheſo cùm me vidiſſet quidam Hæreticus, & congredi noluiſſet, neque omnino os ſuum aperuiſſet apud me---- poſtea nomine meo & ſuo, conſcripſit qualem voluit diſputationem, & miſit ad diſcipulos ſuos, ut ego quidem cognovi, ad eos qui Romæ erant; ſed non dubito quin & ad alios, qui per diverſa ſunt.*

13. *Ruffinus* ipſe latiùs hoc perſequitur, in Ep. ad Macarium de adulteratione Librorum *Origenis*; atque hinc probat adulteratos fuiſſe illos, quòd paſſim, etiam in eodem opere, ſibi contradiceret; quod homini non ſtulto, adeòque erudito contingere potuiſſe negabat. *Quæcumque*, inquit, *nobilium tractatorum veterum invenerunt de his, quæ ad gloriam Dei pertinent, plene & fideliter diſputaſſe; ita ut ex lectione eorum unuſquiſque fidelium proficere poſſit & inſtrui, non pepercerunt Scriptis eorum venenatum virus infundere, ſive interpolando quæ dixerant, ſive quæ non dixerant inſerendo; quò faciliùs, videlicet, ſub nomine doctiſſimi cujuſque & nobilis inter Scriptores Eccleſiaſticos viri, hæreſis ſuæ adſtrueretur*

* *Apud Ruffinum de Adult. Script. Origenis.*

adsertio; ex eo quòd ita sensisse etiam aliqui de claris viris & Catholicis viderentur. Horum manifestissimas, inter Græcos Scriptores Ecclesiasticos, probationes texemus; & quamvis quamplurimi sint ex Veteribus, in quorum Libris hujusmodi deprehenditur adulterium, tamen paucorum sufficit adhibere testimonia, ex quibus faciliùs quid etiam Origenis Libris acciderit agnoscatur. Clemens Romanus *Apostolorum discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ, post Apostolos, & Episcopus & Martyr præfuit, Libros edidit, qui appellantur ἀναγνωρισμὸς, id est, recognitio; in quibus cùm ex persona Petri doctrina quasi verè Apostolica in quamplurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomii dogma scribitur, nihil aliud, quàm ipse Eunomius, disputare credatur, filium Dei creatum, ex nullis exstantibus adseverans,* &c. Clemens *quoque alius,* Alexandrinus *Presbyter & magister Ecclesiæ illius, in omnibus penè Libris suis, Trinitatis gloriam, atque æternitatem unam eadémque designat; & interdum invenimus aliqua, in libris ejus, Capitula, in quibus filium Dei creaturam dicit. Numquid credibile est de tanto viro, tam in omnibus Catholico, tam erudito, ut vel sibi contraria senserit, vel ea quæ de Deo, non dicam credere, sed vel audire quidem impium est, scripta reliquerit?* Posset sanè fieri ut Ariani, nonnullis in locis, *Clementem* interpolassent; sed omnia loca, quæ displicebant *Ruffino*, delere propterea noluerim; cum certum sit Patres, qui ante Nicænam Synodum vixerunt, multis loquutionibus usos, a quibus ii, quibus controversiæ erant cum Arianis, abstinebant. Præterea non mirum esset si Patres, in re ardua, sibi non semper constitissent, aut sibi constare visi non essent *Ruffino* Critico minimè perspicaci. Hoc liquet ex ejus judicio de libro recognitionum, quas fatuè *Clementi* Romano tribuit, & mutilavit, ut hominis rectè sentientis esse viderentur, cum essent recens opus Impostoris.

14. Tum vero, de tertio, ita pergit: Dionysius *quoque* Alexandrinus *Episcopus eruditissimus, adsertor Ecclesiasticæ fidei, cùm in quamplurimis in tantum unitatem, atque æqualitatem Trinitatis defendat, ut imperitioribus quibusque etiam secundùm Sabellium sensisse videatur; in his tamen Libris suis, quos adversus Sabellii Hæresin scribit, talia inveniuntur inserta, ut frequenter Ariani ipsius auctoritate se defendere conentur. Propter quod & Sanctus Episcopus Athanasius compulsus est Apologeticum pro libris ipsius scribere; pro eo quòd certus erat non illum diversè potuisse sentire, sibique ipsi contraria scribere, sed quòd inserta hæc à malevolis nosset.* Idem dixerim de *Dionysio*, quod de *Clemente* modo dicebam; nec certe *Athanasius* Scripta ejus adulterata ait, sed perperam intellecta.

15. Nunc

15. Nunc ut ad *Origenem* redeam, nolim negare ejus Scripta quandoque ab Hæreticis fuisse adulterata, cum præsertim id nos ipse doceat. De eo dixerim, quod *Vincentius Lirinensis*, * cujus hæc sunt verba: *Sed dicat aliquis corruptos esse Origenis libros. Non resisto; quin potiùs & malo, nam id à quibusdam & traditum & scriptum est, non Catholicis tantùm, sed etiam Hæreticis.* Verum nequaquam concesserim *Ruffino Origenem* de re, quam non satis intelligebat, loquentem, semper consentanea esse loquutum. Quis enim miretur hominem, qui tot volumina dictavit, titubasse aliquando? Possemus certè non unum exemplum ejus rei proferre, non ex *Origene* modò, sed ex *Ruffino* ejus emendatore. Præterea à *Ruffino* non intellectum fuisse *Origenem* si dixero, nihil dixero quod Eruditi facilè non concesserint; cum in iis, quæ ex † *Eusebio* vertit, tot imperitiæ specimina ediderit.

16. Similia habet, in Præfatione in libros περὶ Ἀρχῶν, iis, quæ antea de eo dicentem audivimus, quibus positis ita pergit: *Sicubi nos in libris ejus aliquid contra id invenimus, quod ab ipso in ceteris locis piè de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermisimus, aut secundùm eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam.* Ut dolendum est eos libros ad nos Græcè non pervenisse: ita est quod gaudeamus *Clementem Alexandrinum* à *Ruffino* versum non fuisse; nam fortè desidiâ Monachorum haberemus versionem dumtaxat, pro Archetypo, in qua *Clemens* id diceret quod *Ruffino* visum esset ab eo dici oportuisse, non quod nunc dicit. Merito certè ‖ viri doctissimi questi sunt "non alium quemquam *Origeni* "tantum perfidiâ suâ, & temeritate nocuisse, quàm *Ruffinum* ipsum; quippe qui ejus Scripta interpretans, ita additamentis & detractionibus vexavit & corrupit, ut *Origenem* in *Origene* desideres.

17. Ideò *Hieronymus*, in Epistola ad Pammachium & Oceanum de erroribus *Origenis*, depravatum negat *Origenem*; sed cùm ille nimius sit & laudator, & castigator, per omnia illi credere satis tutò non possumus. Solebat dicere non quod, post accuratum examen, verum compererat, & quod sine affectu dicere licebat; sed quod causa postulabat, ac vincendi studium dictabat. Sed nescio an tolerabilior

* *Adversus Hæres. Cap. XXIII.*

† *Vide Præfationem* H. Valesii *in Eusebium, ad Clerum Gallicanum, & P.* Dan. Huëtium *in Origenianis passim.*

‖ P. Dan. Huëtius *in Origenianis Lib. I. C. 1. §. 3.*

sit *Ruffinus*, qui præfationi in libros *Origenis* de Principiis à se versos eâ, quam diximus, fide hanc horrendi carminis adjurationem subjicit: *Omnem qui hos libros vel descripturus est, vel lecturus, in conspectu Dei Patris, & Filii & Spiritûs Sancti, contestor, atque convenio per futuri regni fidem, per resurrectionis ex mortuis Sacramentum, per illum qui præparatus est Diabolo & Angelis suis æternum ignem, si non illum locum æternâ hereditate possideat, ubi est fletus & stridor dentium, & ubi ignis eorum non exstinguetur, & vermis eorum non morietur; ne quis addat aliquid huic scripturæ, ne auferat, ne inserat, ne immutet; sed conferat cum exemplaribus unde scripserit, & emendet ad litteram & distinguat, & inemendatum, vel non distinctum codicem non habeat; ne sensuum difficultas, si distinctus Codex non sit, majores obscuritates legentibus generet.* Si æquum censebat hoc sibi concedi, nec judicio Lectoris sua emendanda permittebat; oportuisset eum eadem æquitate usum fuisse, erga eum quem interpretabatur.

18. Hisce Veteribus nihil vetat nos addere verba hominis, cui recentiora nimiùm præ veteribus sordebant. Is est *Joannes Fellus* Oxoniensis, qui, in Præfatione in suam Editionem *Cypriani*, rectè animadvertit "nosse Eruditos in "quantum rei litterariæ damnum cesserint supposititia "scripta, magnis insignita nominibus, fraude ad Librario"rum compendium institutâ. Hinc comparatum esse, ut "statuæ aureæ non modò pedes lutei, sed & vivo corpori "putridum cadaver subinde jungatur. In Ethnicis litteris "hoc quidem faciliùs ferendum, non magni enim referre, "si oratio una aut altera semibarbara *Ciceroni* aut *Sallustio*, "vel futile carmen *Virgilio* aut *Ovidio* tribuantur. Sed "cùm in pietatis negotio & SS. Patrum Scriptis, hoc in"tervenerit, dici vix posse quanti malum istud steterit. Ex "noxa hac non modo hæretica dogmata, decus sibi & ho"nestamentum quærere; sed fidem & auctoritatem, quibus "sacra illa monumenta unicè pollent, languere inde & "evanescere; & postquàm fucum in aliquibus detexit Lec"tor, de aliis eum dubitare, & demum omnia despicere. "Nec ex nupero maleficio hæc passum esse *Cyprianum*, cui "sæculo quarto imputabantur Novatiani hæretici Scripta. "*Cypriani* ψευδεπίγραφον hæreseos librum vocare *Hierony*"*mum*, ejúsque etiam meminisse illi supparem *Ruffinum*.

19. Quæ cùm ita sint, ipsi impostores invehebantur in eos, qui libros alienos Scriptoribus supponebant, cujus rei duo insignia habemus exempla. Collector Canonum Apostolicorum, qui eos ab Apostolis ipsis conscriptos credulis persuadere

ſuadere voluit, & reverâ perſuaſit, Canonem profert dignum profectò Apoſtolis, qui eſt LX. numero, ſed indignum qui à Falſario ederetur: Εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία ὡς ἅγια ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας δημοσιεύει, ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καθαιρείσθω: *ſi quis falsò inſcriptos impiorum libros, tamquam ſanctos, in Eccleſia edit, ad populi & Cleri perniciem, exauctoretur.* Ad quem Canonem vide, ſi lubet, *Balſamonem* & *Zonaram*, qui oſtendunt non infrequens fuiſſe hoc Falſariorum peccatum.

20. Alterum exemplum ſuppeditat Scriptor Conſtitutionum Apoſtolicarum, Lib. VI. c. 16. apud quem ſic loquuntur perſonati Apoſtoli, de libris falsò inſcriptis: Ταῦτα πάντα ἐπεστείλαμεν ὑμῖν, ἵνα εἰδέναι ἔχοιτε τὴν ἡμετέραν γνώμην, οἵα τίς ἐστι, καὶ τὰ ἐπ' ὀνόματι ἡμῶν παρὰ τῶν ἀσεβῶν κεκρατυνθέντα βιβλία μὴ παραδέχεσθαι: *hæc omnia ſcripſimus vobis, ut poſſetis ſcire noſtram ſententiam, néve nomine noſtro confirmatos ab impiis libros admitteretis.* Quæ verba ut non malè convenirent Apoſtolis, intoleranda ſunt, in ore impoſtoris; ſed oſtendunt quanta eſſet, illo ævo, Græculorum nequitia. Pergunt Apoſtoli: οὐ γὰρ ὀνόμασι χρὴ ὑμᾶς προσέχειν τῶν Ἀποστόλων, ἀλλὰ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, καὶ τῇ γνώμῃ τῇ ἀδιαφθόρῳ, οἴδαμεν γὰρ ὅτι οἱ περὶ Σίμωνα καὶ Κλεόβιον ἰώδη συντάξαντες βιβλία ἐπ' ὀνόματι Χριστοῦ καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, περιφέρουσιν εἰς ἀπάτην ὑμῶν τῶν πεφιληκότων Χριστὸν καὶ ἡμᾶς τοὺς αὐτοῦ δούλους: *neque enim nomina vos oportet attendere Apoſtolorum, ſed naturam rerum & immutabilem ſententiam. Scimus enim Simonem & Cleobium venenatos libros, conſcriptos nomine Chriſti & diſcipulorum ejus, circumferre, ut vos decipiant qui amatis Chriſtum & nos ejus diſcipulos.* Deinde monent Chriſtianos, de libris ante ſua tempora fictis; à Judæis, nimirum, qui nominibus Patriarcharum, imò & Angelorum, fucum facere imperitis nitebantur. Καὶ ἐν τοῖς παλαιοῖς δέ τινες συνέγραψαν βιβλία ἀπόκρυφα Μωσέως, καὶ Ἐνώχ, καὶ Ἀδάμ, Ἡσαΐου τε καὶ Δαβὶδ καὶ Ἠλία, καὶ τῶν τριῶν πατριαρχῶν, φθοροποιά, καὶ τῆς ἀληθείας ἐχθρά. τοιαῦτα καὶ νῦν ἐποίησαν οἱ δυσώνυμοι, διαβάλλοντες δημιουργίαν, γάμον, πρόνοιαν, τεκνογονίαν, νόμον, προφήτας. Βάρβαρά τινα ὀνόματα ἐγγράφοντες, καὶ ὡς αὐτοί φασιν, Ἀγγέλων, τὸ δ' ἀληθὲς εἰπεῖν Δαιμόνων τῶν αὐτοῖς ὑπηχούντων: *Nonnulli inter Veteres ſcripſerunt libros apocryphos Moſis, Enochi, Adami, Eſaiæ, Davidis, Eliæ, & trium patriarcharum peſtiferos, & repugnantes veritati. Conſimiles libros nunc quoque ediderunt inauſpicati homines, calumniantes creationem, nuptias, providentiam, procreationem liberorum, legem, prophetas; adſcribentes barbara quædam nomina, &, ut ipſi dicunt, Angelorum, ut verum autem aperiamus, Dæmonum, illos afflantium.* Nihil potuit gravius dici ab homine veri amantiſſimo,

& suppositionis omnis inimicissimo Scriptore. De libris, quos memorat, consulendus *Joan. Bapt. Cotelerius*, ad eum locum.

21. Cùm in Constitutionibus Apostolicis varia sint, quæ manifestò Arianismum sapiunt, existimarunt Patres Sextæ Synodi, in Trullo habitæ, adulteratas fuisse, sic enim in secundo Canone de illis habent: αἷς ποτὲ πάλαι ὑπὸ τῶν ἑτεροδόξων, ἐπὶ λύμῃ τῆς ἐκκλησίας, νόθα τινὰ καὶ ξένα τῆς εὐσεβείας παρενετέθησαν: *quibus olim ab Heterodoxis, in perniciem Ecclesiæ, spuria quædam & aliena à pietate inserta sunt.* Videntur potissimùm ea spectare, quæ favent Arianorum sententiæ; sed profectò ea à nemine inserta sunt, nisi ab ipso auctore, qui in illis partibus fuit. Miranda est aut ἀβλεψία, aut mala fides Patrum illorum, qui Canones LXXXV. quasi Apostolicos admittunt, & ita loquuntur de hisce Constitutionibus, quasi revera essent *Clementis*. Ideò *Photius*, * insuper habitâ auctoritate Synodi, eas & κακοπλασίας & ἀρειανισμοῦ incusat.

22. Ex hisce intelligere est quæ sit Criticæ utilitas, sine qua innumera fictitia monumenta, eáque erroribus referta, quasi Apostolica etiamnum amplecteremur; & quàm cùm neglexissent multi Patres, sine discrimine, vera falsis miscuerunt, recentiaque pro veteribus imperitis venditarunt. Quo factum tandem ut mirum in modum deformaretur Religio Christiana, fraudibus nequissimorum hominum; quas vix tandem, præterito sæculo, & hoc nostro, Critica retexit.

CAPUT II.

De indiciis, ex quibus colligere licet Librum esse suppositititium, aut interpolatum. I. & II. *Indicium.*

1. SI vellem dumtaxat catalogum contexere Librorum supposititiorum, præsertim a Pseudo-Christianis, obiterque addere quid viri docti, olim & nuper, de iis judicarint, ingens à me conflaretur volumen. Sed † & actum agerem, nec Lectores Artis Criticæ studiosos multò doctiores, de ratione dignoscendarum fraudium, dimitterem; quod unum tamen, hoc in loco, à me postulari jure potest. Igitur instituti mei memor hic potiùs tradam quibus indiciis falsa à veris, mutila ab integris, interpolata à sinceris secerni que-

* *In Bibl. Cod. CXII.*

† *Cocus, Rivetus, Caveus, &c. hoc præstiterunt.*

ant.

ant. Quidquid hac de re summatim statui potest ad decem Aphorismos referam, quibus singulis interpretationem, & exempla ferè ex Veteribus hausta subjiciam; quorum tamen judicia, per omnia, præstare nolim. Sed cum pleraque recta sint, hinc intelligent Lectores quodnam fuerit Veterum acumen Criticum; quando liberè, ac sine affectu judicio suo usi sunt; tum etiam si qua in re lapsi sint, à similibus peccatis sibi poterunt cavere. Nam nescio quomodo magis afficimur, & rectè factis & delictis magnorum virorum; Veteres autem plerosque, quasi aurei generis nescio quas reliquias, veneramur.

2. Primus Aphorismus hic erit: *Supposititii Libri indicium est, si in veteribus Codicibus alii tribuatur, cùm nulla ratio est cur ejus habeatur, cujus nomen in editionibus præfert; interpolati verò, si sit in veteribus Codicibus, sine additamento.* Cùm plerique tituli petiti sint ex MSS. Codicibus, non mirum est si antiquiores præferantur recentioribus, si modò nihil sit quod obstet. At si Codices sint paris antiquitatis & fidei, tum verò legitima de inscriptione dubitatio oritur.

3. Sic *Photius*, in Bibliotheca Cod. XLVIII. postquàm dixit librum περὶ τοῦ παντὸς *de universo*, tribui *Josepho* Judæo, addit: εὗρον δὲ ἐν παραγραφαῖς ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ λόγος Ἰωσήπου, ἀλλὰ Γαΐου τινὸς πρεσβυτέρου, ἐν Ῥώμῃ διατρίβοντος, ὅν φασι συντάξαι καὶ τὸν Λαβύρινθον. οὗ καὶ διάλογος φέρεται πρὸς Πρόκλον τινὰ ὑπέρμαχον τῆς τῶν Μοντανιστῶν αἱρέσεως: *inveni verò in * adnotatis librum non esse Josephi, sed Caji cujusdam Presbyteri qui Romæ agebat, & quem ajunt conscripsisse Labyrinthum; cujus etiam exstat dialogus adversùs Proclum quemdam, heresis Montanistarum defensorem.* Quâ ratione autem factum hoc fuerit, docet in sequentibus verbis, quæ eo digniora notatu sunt, quò plura ψευδεπίγραφα ex eodem fonte manarunt. Ἀνεπιγράφου δὲ καταλειφθέντος τοῦ λόγου, φασὶ τοὺς μὲν Ἰωσήπου ἐπιγράψαι, τοὺς δὲ Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος, ἄλλους δὲ Εἰρηναίου. ὥσπερ καὶ τὸν Λαβύρινθόν τινες ἐπέγραψαν Ὠριγένους. ἐπεὶ Γαΐου ἐστὶ πόνημα, τῇ ἀληθείᾳ αὐτοῦ συντεταχότος τὸν Λαβύρινθον. ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τῷ τέλει τοῦ Λαβυρίνθου διεμαρτύρατο ἑαυτοῦ εἶναι τὸν περὶ τοῦ παντὸς οὐσίας λόγον. εἰ δ' ἕτερος καὶ οὐχ οὗτός ἐστιν οὔπω μοι γέγονεν εὔδηλον: *Cùm enim sine titulo liber relictus esset, ajunt alios Josephi nomen inscripsisse, alios Justini martyris, alios Irenæi, quemadmodum & Labyrintho nomen Origenis præscripserunt; quoniam Caii, est opus, qui reverâ Labyrinthum conscripsit; quomodo etiam ille in fine Labyrinthi testatus est, suum esse Librum de natura Universi. Verùm hicne liber sit, an alius, nondum*

* *Ad initium, aut ad calcem, aut alicubi ad oram libri.*

mihi

mihi liquet. At liquet ſaltem non eſſe *Joſephi*, quandoquidem Chriſtianus fuit ejus libelli Scriptor, ut conſtat ex iis quæ de eo habet *Photius. Cajum* quidem, inter Scriptores Eccleſiaſticos, memorant * *Euſebius* & † *Hieronymus*; ſed nullius ejus Operis meminerunt, niſi diſceptationis cum Proclo.

4. Varia inſcriptio, quæ erat præfixa *Recognitionibus Clementis*, ut de re ipsâ nihil dicam, clarè oſtendebat impoſtores ſatis ſibi non conſtitiſſe. Ita ea de re idem *Photius*, Cod. CXIII. τὴν προσφώνησιν ὡς ἐν ἐπιστολῆς εἴδει, πρὸς Ἰάκωβον τὸν ἀδελφόθεον ποιεῖται. ἐν ᾧ αἵτε λεγόμεναι τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου πράξεις, καὶ αἱ πρὸς Σίμωνα τὸν Μάγον διαλέξεις, καὶ ἔτι ὁ ἀναγνωρισμὸς Κλήμεντος καὶ τοῦ πατρὸς, καὶ τῶν ἄλλων ἀδελφῶν. διὸ καὶ ἔν τισι τῶν βιβλίων ἡ ἐπιγραφή. Κλήμεντος τοῦ Ῥωμαίου ἀναγνωρισμὸς, ἐπιγέγραπται. ἔν τισι δὲ, ὡς ἔφημεν, ἐπιστολὴ προτέτακται, ὡς πρὸς τὸν ἀδελφόθεον Ἰάκωβον: *dedicatio fit veluti in Epiſtolæ forma, ad Jacobum fratrem Dei. In hoc ſunt quæ dicuntur* Acta Petri & cum Simone Mago colloquia, *prætereáque* Recognitio Clementis, ejúſque patris & aliorum fratrum. *Quamobrem, in quibuſdam libris, hæc inſcriptio addita eſt:* Clementis Romani recognitio. *In aliis tamen, uti diximus, Epiſtola præfigitur, quaſi ad Jacobum Dei fratrem.* Sed præterea, in ipſa illa fictitia Epiſtola, magna fuit varietas. Καὶ αὕτη δὲ, ait *Photius*, οὐχ ἡ αὐτὴ, οὐδ' ὡς ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ προσώπου προενεγμένη. ἀλλ' ἐπὶ μὲν τινῶν βιβλίων ὡς ἀπὸ Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου πρὸς Ἰάκωβον ἀπεσταλμένη ἐφ' ἑτέρων δὲ ὡς ἀπὸ Κλήμεντος πρὸς Ἰάκωβον, ἄλλη καὶ ἄλλη καθὼς προείπομεν. καὶ ἡ μὲν δηλοῖ Πέτρου τὰς οἰκείας συγγράψαι πράξεις, καὶ πρὸς Ἰάκωβον αἰτησάμενον ταύτας ἀποστεῖλαι. ἡ δὲ διαλαμβάνει ὡς Κλήμης ταύτας κατὰ πρόσταγμα Πέτρου συγγράψειε, κἀκείνου πρὸς τὸν ἀγήρω μεταστάντος, ἀποστείλοι Κλήμης πρὸς Ἰάκωβον: *& hæc* (Epiſtola) *neque eadem, neque ab eodem profecta, ſed in libris nonnullis, veluti à Petro Apoſtolo ad Jacobum miſſa; in aliis rurſus tamquam à Clemente ad Jacobum, alia atque alia, ut modò diximus. Harum prior oſtendit ipſum Petrum res a ſe geſtas conſcripſiſſe, & ad Jacobum eas petentem miſiſſe. Altera verò refert Clementem, Petri juſſu, eaſdem res geſtas litteris proditas, poſtquam ille jam ad immortalem migraſſet vitam, Jacobo tranſmiſiſſe.* Non mirum eſt mendaces Librarios, aut alios, quicumque fuerint, non unam fallendi viam iniviſſe.

5. Non modò ex ‖ *Euſebio* & * *Hieronymo* diſcere licet à *Clemente* Alexandrino ſcriptum librum, cui titulus erat:

* *Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. c.* 20.
† *In Catalogo.*
‖ *Hiſtor. Eccleſ. Lib. VI. c.* 13.
* *In Catalogo.*

quis

quis dives ſervetur, ſed etiam à *Photio*, qui Cod. CXI. teſtatur ſe vidiſſe veteres Codices, in quibus ſeptem primis Libris Stromateon ſubjicitur is libellus: μέχρι τοῦ ἑβδόμου, inquit, τὴν αὐτὴν ἔχουσιν ἐπιγραφὴν καὶ ἑνιαῖοι τυγχάνουσιν ἐν ἅπασι τοῖς βιβλίοις. ὁ μέν τοι ὄγδοος διάφορός τέ ἐστι καὶ τῇ ἐπιγραφῇ καὶ τῷ ἐδάφει, ἐν τισι γὰρ, τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, ἐπιγέγραπται, καὶ ἄρχεται οὕτως, οἱ μὲν τοὺς ἐγκωμιαστικοὺς λόγους, καὶ τὰ ἑξῆς: *uſque ad ſeptimum eamdem habent inſcriptionem, iidémque prorſus ſunt in omnibus Codicibus. Verùm octavus cùm inſcriptione, tum rei ſubjectæ materiâ, variat. In quibuſdam enim inſcribitur:* Quis dives ſervetur, *& incipit: qui laudatorias orationes*, &c. Addit, in aliis exemplaribus, Librum VIII. eſſe qualem eum in noſtris legimus. Itaque malè memoratus libellus editus fuerat à *Mich. Geiſlero*, ſub *Origenis* nomine, cum ejus Commentario in Jeremiam, atque à *Franc. Combefiſio* in Auctario Patrum, inter recentiores Scriptores. Rectè verò ſeorſim emiſſus, & auctori ſuo reſtitutus eſt, è viris doctis, in * Editione Oxonienſi. At Librarii Germani, qui ante aliquot annos Patres Græcos ex Pariſienſibus Editionibus, mendis dumtaxat auctiores, turpiter recudere aggreſſi, *Clementem* Alexandrinum, ſine illo augmento, negligentiſſimè excuderunt.

6. Ex ineptis verſibus, præfixis aliquot MSS. Codicibus vitarum excellentium virorum *Corn. Nepotis*, nata erat abſurda opinio, quæ præterito ſæculo nonnullos eruditos viros fefellit. Exiſtimabant, ſcilicet, eas vitas ſcriptas fuiſſe tempore Theodoſii à neſcio quo *Æmilio Probo*, homine Librario, qui, intolerandâ κακοζηλίᾳ, ſe vocat *auctorem* libri, quem tantùm deſcripſerat, in hiſce verſibus:

Vade liber noſter, fato meliore, memento,
Cùm leget hæc Dominus, te ſciat eſſe meum.
Ne timeas fulvo ſtrictos diademate crines,
Ridentes blandùm vel pietate oculos.
† *Communis cunctis, hominem ſe regna tenere,*
Sed meminit, vincit hinc magis ille homines.
Ornentur ſteriles, facilis tectura libelli
Theudoſio, & doctis carmina nuda placent.
Si rogat auctorem, *paullatim detege noſtrum*
Tunc Domino nomen; me ſciat eſſe Probum.
Corpore in hoc manus eſt genetricis, avíque, meáque,
Felices Domini quæ meruere manus!

---

* *Anni* 1682. *in* 12°.
† *Imitatur locum* Corn.Nepotis, *de quo diximus Sect.I. Cap.VII.* §.7.

Atqui

Atqui non modò ex re conſtat, ſed * etiam ex aliis Codicibus, hoc Opus eſſe *Corn. Nepotis.*

7. Variè interpolatum fuiſſe unum eumdémque Scriptorem nos docet *Ignatii* Antiocheni exemplum. Oſtendit vir doctiſſimus † *Joan. Pearſonius*, Epiſcopus Ceſtrienſis, quatuor fuiſſe diverſas ejus Epiſtolarum editiones. Prima fuit Germana, qualis edita eſt ex Codice Medicæo ab *Iſaaco Voſſio.* In ea fuere dumtaxat Epiſtolæ ſeptem, quas ediderat *Polycarpus*, & Epiſtolæ ſuæ ad Philippenſes ſubjecerat. Hanc antiquiſſimi quique Patres verſaverant, ut liquet ex eorum citationibus, & encomiis. Haſce ſeptem Epiſtolas, nondum interpolatas, Latinè vertit Interpres vetus à *Jac. Uſſerio* editus. Secunda editio fuit earumdem ſeptem Epiſtolarum, ſed à quopiam interpolatarum, ut multis oſtendit *Uſſerius*, ex citationibus Veterum & collatione veteris Interpretis Latini, Capp. III. & IV. Prolegoménon in *Ignatium.* Tertia verò in Editione, præter ſeptem memoratas Epiſtolas nequaquam interpolatas, & *Euſebio, Hieronymóque* notas, additæ ſunt quatuor aliæ Epiſtolæ antiquioribus ignotæ, ſed à recentioribus nonnullis laudatæ. Ejuſmodi eſt editio in Codice Græco Medicæo, & in Interpretatione Latina vetere, quam primus edidit *Uſſerius*, iterúmque cum Græcis excudi curavit *Voſſius.* Quarta denique editio conſtat ſeptem veteribus Epiſtolis interpolatis, & quinque fictis; additâ, nimirum, Epiſtolâ fictitiâ ad Philippenſes.

8. Scio à viris doctiſſimis motam eſſe controverſiam, περὶ τῆς γνησιότητος, etiam illis ſeptem Epiſtolis, quas genuinas diximus; ſed, noſtro judicio, eos ità confutavit *Pearſonius*, ut non pertinaces ad ſilentium adegerit. Verùm homines ceteroquin acutiſſimi, ideò errarant, quòd Apoſtolorum ſucceſſores animo priùs ſibi effinxiſſent, quales eos oportuiſſe eſſe exiſtimabant; deinde, cùm eorum Scripta legerent, nec animo conceptam imaginem in iis viderent, ſpemque ſuam deluſam animadverterent; non potuerint à ſe impetrare, ut illa Apoſtolicorum virorum monumenta eſſe crederent. At eâ viâ non pervenitur ad hominum cognitionem, quæ eſt ex ipſis haurienda, non ex legibus, ad quas dicta & facta ſua exigere debuiſſent; quas perpauci olim & hodie, Scriptis & moribus ſuis, expreſſerunt. Verùm hac de re, iterum aliquid dicemus.

9. Secundus noſter Aphoriſmus hic eſt: *Si quæ à Veteribus ex Libro quopiam olim prolata ſunt, ea nunc in Libro, ea-*

* *Vide* G. J. Voſſium *de Hiſt. Latinis.*
† *Capite VI. Proleg. Vindiciarum S. Ignatii.*

dem

dem inscriptione insignito, desiderantur; aut alius est, aut mutilus. Si aliter legantur, suspectus sit oportet. Si omnia inveniantur, sine mutatione, genuinus est; nisi aliæ sint suspicandi rationes. Hic Aphorismus tria complectitur, quorum primum est manifestum. Veteres enim, qui ætati Scriptoris propiores erant, meritò statuuntur usi esse optimis Codicibus; nam qui censeri possunt emendatissimi Codices, nisi qui vivo Scriptore exarati, aut minimum paullo post ejus tempora? Igitur si quid desit Libris, qui veteri Scriptori tribuuntur, quod à Scriptoribus ætate ei proximis laudatum sit, libri jure mutili videntur, aut ficti. Sic meritò viri docti existimant *Donati* commentarium in *Terentium*, non esse integrum; cùm ob alias rationes, tum quia insignis locus, ab *Hieronymo* laudatus, in eo nusquam comparet. Sic ille in Eccles. Cap. I. *Comicus ait:* nihil est dictum, quod non sit dictum prius; *unde & præceptor meus Donatus, cùm ipsum versiculum exponeret*, pereant, *inquit*, qui ante nos nostra dixerunt. Censent iidem * *Servii* commentarios in Virgilium, non ampliùs exstare, sed quos habemus esse excerpta fraterculorum, qui innumera eis inepta & indocta admiscuerunt, quod res ipsa docet. Tempore *Lupi* Abbatis Ferreriensis, ampliores eos fuisse constat, ex ejus Epistolis; in quibus Serviana nonnulla proferuntur, quæ nunc ampliùs non comparent.

10. Si aliunde non constaret Consolationem *Ciceronis* ejus non esse, hoc unum fictam argueret, quod insignia aliquot legantur ex ea fragmenta, apud † *Lactantium*; quorum nec vola, quod ajunt, nec vestigium in hodierna Consolatione. Miror *Car. Sigonium* virum doctissimum, è cujus officina prodiisse is liber dicitur, ignorasse tanta ejus operis fragmenta exstare; nam procul dubio inseruisset, si scivisset. At bene est, quod vel hinc fraus ejus, minimè certè condonanda, appareat; neque enim fortè deesset alioqui febriculosus Criticus, qui ejus γνησιότητα defendere sustineret.

11. Sæculo præterito & hujus initio, cum interpolatæ dumtaxat exstarent *Ignatii* Epistolæ, merito suspectæ haberi poterant, quod loca ex iis ab *Athanasio*, *Gelasio* Cyziceno, & *Theodoreto* prolata aliter planè legerentur in Editionibus, cum Græcis, tum Latinis. Quod res ipsa confirmavit, postquam Epistolæ non interpolatæ in lucem prodierunt, ut pluribus ostendit *Jac. Usserius* Capp. III. & IV. Deerat etiam in illis Editionibus locus, ex Epistola ad *Smyrnæos*, à *Theodoreto* productus, qui mutilas eas esse ostendebat.

* *Tan. Faber Epist. Lib. I. Ep.* 50.
† *Vide quæ de ea habent* J. Lipsius *Oper. T. I.*

12. At

12. At qui ediderunt *Barnabæ* Epistolam Catholicam, & *Clementis* Epistolam I. ad Corinthios, merito collegerunt ex Veterum citationibus, quæ in utraque integræ exstant, has ipsas esse Epistolas quas viderant Veteres. Adeat qui hoc nesciet judicia virorum doctorum, & testimonia Veterum de duabus illis Epistolis, in Editione Amstelodamensi. Verùm, hoc non obstat quominùs auctæ esse potuerint, cùm augmenta nihil ex iis quæ olim iis inerant, detrahant, sed aliena tantùm addant. Interpolationis Epistolæ *Barnabæ* exemplum protuli antea, & de *Clemente* infrà Cap. V. agemus.

CAPUT III.

Indicia III. & IV. Suppositionis, vel Interpolationis.

1. OSTENDIMUS, ex antiquis Libris, Veterúmque citationibus, sæpe nos intelligere posse, utrùm monumenta quæ ad nos pervenerunt genuina sint, an spuria, sinceráne an interpolata, exemplísque duos, hac de re, Aphorismos à nobis prolatos confirmavimus. At duo alia nobis Veteres suppeditant indicia, ex quibus Libros suppositios agnoscere possimus; quæ si ubique non obtineant, at ut plurimùm certa sunt. Prius ita tertio nostro Aphorismo expressimus: *Scripta quorum nulla mentio in priscis Catalogis, quæ nec memorata sunt ab ullo Scriptore sequentium proximè sæculorum, ut plurimùm aut ficta judicanda sunt, aut minimùm suspecta habenda.*

2. Habemus, exempli gratiâ, apud *Diogenem Laërtium*, ad calcem vitarum singulorum Philosophorum, Catalogos Librorum, qui illi ex multijuge lectione innotuerant. Alii etiam Scriptores eorum libros, prout res postulat, laudant; horúmque citationibus supplerunt viri docti, & præsertim quidem *Æg. Menagius*, *Diogenis* Catalogos. Cum igitur nusquam occurrit mentio Libri, nomine Philosophi insigniti, falsa sit inscriptio, aut minimum suspecta fiat necesse est; quia credibile non est Librum, insignis præsertim Philosophi, potuisse non modò fugere diligentiam *Diogenis*; sed etiam ita sperni, ut nusquam citaretur ab iis, qui frequenter de eo Philosopho verba fecerunt, nec raro aliorum ejus operum meminerunt.

3. *Diogenes*

3. *Diogenes* * duo tantum scripta à Socrate Sophronisci filio, melioris Philosophiæ parente, memorat, *Pæana*, & *fabulam Æsopicam*, quorum initia refert. Ac sanè horum meminit etiam *Plato*, in Phædone. Hæc autem brevia, nec elegantia admodum carmina tanti non erant, ut propterea inter Scriptores memoraretur Socrates. Quo factum ut eum *Cicero* † quidquam scripsisse negarit: *Ejus ingenium*, inquit, *variósque sermones immortalitati Scriptis suis Plato tradidit, cùm ipse litteram Socrates nullam reliquisset.* Similia habet *Plutarchus*, de Fortuna Alexandri. Igitur, quamvis ipse stylus, non ostenderet ‖ Epistolas, Socratis nomine præscriptas, Rhetoris esse recentioris, silentium Veterum eas fictas esse clamaret; cùm dubium non sit quin, si quid exstitisset Philosophorum nobilissimi, id diligenter ab ejus discipulis servatum esset, & studiosè posteritati commendatum. Horum Scripta, cùm summam ejus admirationem ubique spirent, numquam commisissent ut viri reliquias indictas dimitterent. Quin ejus sermones posteris transdere *Plato*, *Xenophon*, & *Æschines*, viri summi, certatim conati sunt, nedum ut Scripta ejus negligerent. Sunt & aliæ, aliorum Philosophorum, Epistolæ suspectæ, sed non teximus Catalogum suspectorum, aut falsorum. Pauca dumtaxat exempla, ad illustrationem axiomatis nostri, congerimus.

10. Fuerunt etiam viri docti, qui ipsi tradiderint quæ scripserant, ne ab impostoribus sibi aliena tribuerentur, aut sua aliis. Sic *Diodorus* Siculus, initio Historiæ, postquàm instituti sui rationem exposuit, dixitque se XL. libris historiam CIↃCXXXVIII. annorum complexum, subjicit: Ταῦτα μὲν ἦν ἀκριβῶς προδιωρισάμεθα, βουλόμενοι τοὺς μὲν ἀναγινώσκοντας εἰς ἔννοιαν ἀγαγεῖν τῆς ὅλης προθέσεως, τοὺς δὲ διασκευάζειν εἰωθότας τὰς βίβλους ἀποτρέψαι τοῦ λυμαίνεσθαι τὰς ἀλλοτρίας πραγματείας: *Hæc itaque initio accuratè definiimus, dum legentes in notitiam totius instituti deducere, eósque qui libros interpolare solent, ne alienos labores corrumpant, dehortari cupimus.* At utinam aliquâ arte potuisset impedire, ne tot ejus libri integri intercidérent!

11. Ad Scriptores Ecclesiasticos quod attinet, *Eusebius* eorum, qui ante ipsum floruerant, Scripta diligenter in Historia Ecclesiastica recenset; *Hieronymúsque* eorum Catalogum, datâ operâ, scripsit, in quo Scripta *Eusebio* recentiora addidit. *Gennadius* verò Massiliensis, qui floruit circa fi-

* *Lib. II.* §. 42. † *Lib. III. de Oratore.*
‖ *In Collect. Epistolarum Græc. & seorsim editæ sunt.*

nem

nem sæculi V. similiter *Hieronymo* recentiora ad sua usque tempora deduxit. *Photius* etiam, in sua Bibliotheca, plurimorum opera recenset, judiciúmque suum de iis interponit. De recentioribus nihil dicam, quia satis est, ad institutum meum quod attinet, antiquiores appellasse. Cùm verò plurimos Scriptores Ecclesiasticos prætereà habeamus, qui subinde superiorum ætatum Scripta laudant, vix insignioris Scriptoris liber ullus diligentiam eorum, qui datâ operâ hanc rem egerunt, ut libros omnes Veterum recenserent, fugere potuit. Quo factum ut Veteres soleant negare genuinum esse Scriptum illustris auctoris, cujus apud antiquiores, atque ætati scribentis propiores, nullam factam esse mentionem videbant.

12. Exempli gratiâ, *Eusebius* Hist. Lib. III. c. 3. rejicit varios Libros, qui ejus tempore à nonnullis Petro tribuebantur, quod à Veteribus non essent laudati. Τὸ μὲν τῶν ἐπικεκλημένων αὐτοῦ πράξεων, καὶ τὸ κατ' αὐτὸν ὠνομασμένον Εὐαγγέλιον, τό τε λεγόμενον αὐτοῦ κήρυγμα καὶ τὴν καλουμένην ἀποκάλυψιν, οὐδ' ὅλως ἐν καθολικοῖς ἴσμεν παραδεδομένα, ὅτι * μήτε ἀρχαίων, μήτε τῶν καθ' ἡμᾶς τις ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεὺς ταῖς ἐξ αὐτῶν συνεχρήσατο μαρτυρίαις: *Librum verò qui* Actus Petri *dicitur*, & Evangelium secundùm illum *dictum*, *qui* Prædicatio ejus *nuncupatur*, & *quæ fertur* Apocalypsis, *nullo modo pro Catholicis habitos scimus; quandoquidem nec vetustiorum quisquam, nec nostræ ætatis Ecclesiasticorum Scriptorum desumto ex iis testimonio usus est*.

13. Idem Libro eodem, Cap. XXV. rejicit libros sub Apostolorum nomine vulgatos, qui libri Petri, Thomæ, Matthiæ, & quorumdam aliorum Evangelia, Andreæ quoque, Joannis, aliorúmque Apostolorum continebant, cùm aliis de rationibus, quas postea memorabimus, tum etiam de hac: Ὧν οὐδὲν οὐδαμῶς ἐν συγγράμματι τῶν κατὰ διαδοχὰς ἐκκλησιαστικῶν τις ἀνὴρ εἰς μνήμην ἀγαγεῖν ἠξίωσεν: *quorum nihil uspiam, in ullo Scripto, Ecclesiasticus vir, deductâ ab Apostolis successione, memorare dignatus est*. Capite verò XXXVII. de secunda Epistola *Clementis*, ita loquitur: οὐ μὴν ἔθ' ὁμοίως τῇ προτέρᾳ καὶ ταύτην γνώριμον ἐπιστάμεθα, ὅτι μὴ καὶ τοὺς ἀρχαίους αὐτῇ κεχρημένους ἴσμεν: *Verùm hanc non scimus esse genuinam, ut priorem, quoniam novimus Veteres ea non esse usos*. Idem dicit, de aliis Scriptis, quibus videtur designare libros Recognitionum, ut docebit *H. Valesius*.

---

* *Ad prædicationem Petri quod attinet, fallitur* Eusebius, *eam enim quasi Petri laudat* Clemens *Alexandrinus. Vide Cap. sequens.*

14. *Photius* Cod. I. meminit cujusdam *Theodori* Presbyteri, qui aggressus erat ostendere genuinos esse libros, qui tribuuntur *Dionysio* Areopagitæ; & profert Criticorum objectiones quatuor, quas confutandas susceperat: Μία μὲν ὅτι εἰ ἦν γνησία, πῶς οὐκ ἐμνήσθησαν τῶν ἐν αὐτῇ ῥητῶν καὶ χρήσεών τινες τῶν μεταγενεστέρων πατέρων; δευτέρα δὲ ὅτι Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἀναγραφὴν ποιησάμενος τῶν συγγεγραμμένων τοῖς μακαρίοις πατράσιν ἡμῶν βιβλίων, οὐδεμίαν ταύτης μνήμην ἐποιήσατο: *Prima quidem, si genuinus est, cur nemo Patrum, qui postea vixerunt, ex eo libro sententias aut testimonia citarit? Altera verò, quod Eusebius Pamphili recensionem faciens librorum scriptorum à beatis patribus nostris, nullam hujus mentionem fecerit.* *Theodori* responsiones non addit *Photius*, fortè quòd ineptas duceret; certè parum firmas fuisse satis ostenderunt * viri docti, qui *Dionysii*, quæ circumferuntur, opera, post *Eusebii* tempora scripta fuisse ostenderunt.

15. Quartus Aphorismus hic erit: *Quæ disertè sunt rejecta, aut in dubium revocata ab Antiquioribus, ea vix, propter Recentiorum auctoritatem, admitti queant.* Hujus Aphorismi veritas per se manifesta est, propioribus enim ætati Scriptoris notiores esse ejus fœtus genuini debuerunt, quàm postea natis; quò enim seriùs nascimur, eo tenuior rerum præteritarum notitia ad nos pervenit. Quis ergo credat, per aliquot sæcula, negari Librum quempiam certe esse Scriptoris, aut an genuinus sit vehementer dubitari; deinde à posteris, sine ullis novis argumentis, meritò verum ac legitimum illum fœtum haberi posse? Attamen hoc non semel factum est. Sic liber *Sapientiæ Salomonis*, cùm à Judæis rejiceretur, nec à primis Christianis admitteretur quasi genuinum illius opus, sed dumtaxat quasi liber utilis; qua de causa publicè, in Ecclesiis, legebatur; attamen nunc à maxima Christianorum parte Canonicus, hoc est, genuinus Salomonis fœtus, saltem ex ejus operibus excerptus existimatur. Nam nisi ita censerent, numquam manifestarium Impostorem, qui se pro Salomone gerit, numero Scriptorum Sacrorum haberent. Unde tamen resciverunt, librum hunc ex Salomonis Scriptis collectum esse? Unde norunt Hebraïcè scriptum antea fuisse? magis enim Græcam dictionem redolet, quàm Hebraïcam, præsertim ubi ad nullum locum Hebraïcorum Librorum, quod passim fit, respicitur: Nempe, cùm legeretur in Ecclesiis, nec satis nota esset Veterum de eo sententia, cœpit defendi, antequàm ejus γνησιότης ad examen esset revocata; æstúque controversiarum accedente, quod semel cœperat af-

* *Vide* Joan. Pearsonii *Vindic. Ignatianas P I. c.* 10.

firmari, id numquam postea revocari potuit, sine dedecore.

16. Antea protulimus locum *Hieronymi*, ex Præfatione in libros Salomonis, cui jungemus alterum ex Prologo Galeato. *Hic prologus*, inquit, *Scripturarum, quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum convenire potest; ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter ἀπόκρυφα esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Jesu filii Syrach liber, & Judith & Tobias & Pastor non sunt in Canone. Machabæorum primum librum Hebraïcum reperi. Secundus Græcus est, quod ex ipsa quoque φράσει probari potest.* Igitur de hisce omnibus, idem ferendum judicium, quod disertiùs etiam profert in præfatione in Libros Salomonis, ubi de Sapientia & Ecclesiastico loquutus: *Sicut ergo*, inquit, *Judith & Tobiæ & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Facile esset ostendere consentire cum *Hieronymo* antiquissimos quosque Patres; ne rem ipsam illi manifestò faventem commemorem; sed dudum hoc à viris doctis præstitum. Vide Intt. ad Canon. Apostolicum LXXVI.

17. Unum tamen ne quid dissimulemus, objici possit huic nostro Aphorismo; nempe, ab omnibus Christianis nunc admitti septem Novi Testamenti libros, quasi Canonicos, de quibus olim diu dubitatum est; Epistolam ad Hebræos, Ep. Jacobi, Petri secundam, Joannis secundam & tertiam, Ep. Judæ, & Apocalypsin. Quærent studiosi quid de his habeant *Eusebius* ac *Hieronymus*, & comperient verum esse quod dixi. Res ejus momenti digna quidem esset, quæ, prolatis locis, diligenter expenderetur; sed ampliorem tractationem postularet, quàm ea esset, quam ad calcem hujus Capitis possemus aggredi. Itaque in aliud tempus rem rejiciemus.

CAPUT IV.

Indicium V. & VI. ex quibus Suppositio, aut Interpolatio agnosci possunt.

1. QUATUOR allata Indicia, ex quibus περὶ γνησιότητος καὶ νοθείας judicare licet, ex rebus externis petita sunt; quæ sequuntur ex rebus ipsis, quas Libri complectuntur,

tur,

tur, sunt deducta. Quatuor enim proferemus, quæ pertinent ad res; duo verò, quæ ex stylo nascuntur. Quintum ergo νοθείας indicium, hoc Aphorismo, complectimur: *Liber in quo dogmata leguntur, iis contraria quæ Scriptor, cujus nomen præfert, constanter defendit, non videtur ejus esse, si præsertim dogmata sint alicujus momenti, aut interpolatus est.*

2. Protulimus Cap. I. locum ex Constitutionibus Apostolicis, in quo non malè Impostor, quisquis ille sit, inducit Apostolos dicentes: * οὐ γὰρ τοῖς ὀνόμασι χρὴ ὑμᾶς προσέχειν τῶν ἀποστόλων, ἀλλὰ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, καὶ τῇ γνώμῃ τῇ ἀδιαστρόφῳ: *Non enim nomina oportet vos attendere Apostolorum, sed naturam rerum, & sententiam immutabilem.* Igitur ut possimus judicare an Liber sit Scriptoris, cujus nomen præfert, oportet nos diligenter legere alia ejus opera, si quæ supersint; ut quæ ejus fuerint opiniones quàm accuratissimè cognoscamus. Postquàm verò eas noverimus, ita ut nullum supersit dubium, tum demum Librum, in quo contrariæ defendentur, merito rejicere poterimus quasi supposititium; nisi constet Scriptorem mutasse sententiam, quod de *Augustino*, exempli gratiâ, nos docent ejus retractationes.

3. Verùm pernoscamus sententiam antiquissimorum Scriptorum, summopere cavendum ne illam ex præjudiciis nostris interpretemur; hoc est, talem putemus, qualem oportuisse esse censemus, ut consentiat cum dogmatibus, quæ nos sola vera esse judicamus. Sic *Ruffinus* se gessit erga *Origenem*, cujus sententiam eum non credidit fuisse, quam in ejus libris reperiebat, sed qualem fuisse oportere judicabat, ut orthodoxus censeretur. Itaque delebat, aut immutabat quidquid videbatur favere dogmati Arianorum, aut aliis quæ falsa habebantur. Quare autem? Quia Hæreseos, à Nicænis Patribus, insimulatus non fuerat *Origines*. Quasi verò multæ rationes ejus rei esse non potuerint! Omnes norunt antequàm controversiæ magno æstu agitentur, multa dici impunè, quæ hæretica postea habentur, cùm non minùs pugnatur adversus homines, quàm adversus dogmata. Tum demum multa, quæ condonata fuerant prioribus, acerrimè damnantur in posterioribus. Imò verò, dum in partes suas quisque antiquiores trahere nititur, ut seciùs sentientes erroris sui patronos nituntur habere superiorum ætatum homines: ita & qui veriorem sententiam tuentur omni ope conantur majores suos malè sentientibus eripere, atque errorum omnium immunes potiùs pronuntiant, quàm ut fateantur novatoribus favere. Sic *O-*

* *Lib. VI. c. 16.*

rigines excusatus, sic *Clemens* Alexandrinus, à viris eruditis; qui eos quales cupiebant fuisse descripserunt, potiùs quam quales fuerunt.

4. Quia res est magni, ad rectè judicandum de eorum operibus, momenti, exemplúmque hoc ad alia trahi potest, subjiciemus nonnulla de eis judicia Veterum, qui ea legerant eorum opera, quæ non exstant, & integra habebant ac sincera, quæ ab *Ruffino* interpolata, & malè versa ad nos pervenerunt. *Eusebius*, Eccles. Hist. Lib. VI. c. 14. institutum *Clementis* in Hypotyposeon opere describit, nec eum ullius Hæreseos incusat. At *Photius* nos docet, Cod. CIX. plurima fuisse, in eo opere, quæ nullo modo possunt probari: ἔν τισι μὲν αὐτῶν ὀρθῶς δοκεῖ λέγειν. ἔν τισι δὲ, παντελῶς εἰς ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους ἐκφέρεται: *In quibusdam, quidem rectè videtur dicere; in quibusdam verò, ad impios & fabulosos sermones defertur.* Tum subjicit eum docere materiam esse æternam; Filium in rebus creatis numerare; animarum migrationes, multósque ante Adamum mundos comminisci; Evam ex Adamo, aliter ac Sacri Libri, educere; Angelis cum fœminis congressis liberos tribuere; Verbum carnem non esse factum dictitare, sed tantùm videri, aliáque quæ, apud ipsum *Photium*, legantur. Tandem subjicit: καὶ ταῦτα πάντα ἀπὸ ῥητῶν τινῶν πειρᾶται κατασκευάζειν τῆς γραφῆς. καὶ ἄλλα δὲ μυρία βλασφημεῖ καὶ φλυαρεῖ, εἴτε αὐτός, εἴτε τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον ὑποκριθείς: *Quæ quidem omnia, Scripturæ quibusdam testimoniis, nititur adstruere. Alia etiam sexcenta blasphema effutit, sive ipse, sive alius sub ejus persona latens.* Rectè & prudenter fecit *Photius*, qui *Clementem* non absolvit, quia constabat hæc omnia esse Platonicorum dogmata; quos à *Clemente* Alexandrino nimio in pretio habitos fuisse, nemo nescit. Imo vero, si animo defæcatiore legisset *Stromateas* & *Pædagogum Clementis*, eadem dogmata apertè & copiosè ab eo defensa fuisse comperisset, aliaque non meliora, ut alibi * ostendimus. Talia etiam docebat *Origenes*, in Opere *de Principiis*, & alibi, ut ostendunt *Hieronymus* & *Epiphanius*, ubi agunt de erroribus *Origenis*. Ubique autem & *Clementem* & *Origenem* fuisse depravatos, ubi *Platonem* sequuntur, credat *Ruffinus*, & qui numquam attenderunt quæ fuerint Patrum illorum Philosophica dogmata. At discrepantia, inquiunt, sunt in aliis eorum Operibus. Quis vero eos docuit tam accuratè illos ratiocinatos, ut sibi numquam non constiterint? Deinde vehementer dubito, an tam sæpe sibi con-

* *In vita Gallica* Clementis *Alexand. quæ est in Tom. X. Bibliothecæ Universalis.*

tradi-

tradicerent, ac videbantur. Cùm liberè & Philosophicè ratiocinabantur, multa dicebant quæ poterant videri contraria aliis eorum libris, ubi simpliciter tradunt quod inter Christianos vulgo solebat doceri; cùm ex illorum sensu contraria non essent, quia ex Philosophicis suis placitis loquutiones vulgò receptas intelligebant. Quæ omnia sunt diligenter expendenda iis, qui ex dogmatibus, genuinúsne an spurius sit liber, judicare aggrediuntur.

5. *Photius*, qui similia legerat, iis quæ antea in *Clemente* castigavit, in Libris *Origenis* de Principiis, propterea tamen eos suspectos non habuit. Sic * ille, de primo ejus operis libro: ὁ μὲν πρῶτος περὶ πατρός, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, ἐν ᾧ πλεῖστα βλασφημεῖ. τὸν μὲν υἱὸν ὑπὸ τοῦ πατρὸς πεποιῆσθαι λέγων, τὸ δὲ πνεῦμα ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. καὶ διήκειν μὲν πατέρα διὰ πάντων τῶν ὄντων, τὸν δὲ υἱὸν μέχρι τῶν λογικῶν μόνον, τὸ δὲ πνεῦμα μέχρι μόνον τῶν σεσωσμένων. λέγει δὲ καὶ ἄλλα παραλογώτατα, καὶ δυσσεβείας πλήρη. μετεμψυχώσεις γὰρ ληρῳδεῖ, καὶ ἐμψύχους τοὺς ἀστέρας, καὶ ἕτερα τούτοις παραπλήσια: *Primus est de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, in quo multas habet blasphemias, dicens Filium à Patre factum esse, Spiritum à Filio; Patrem omnia quæ sunt pervadere, Filium verò ratione tantùm prædita, Spiritum denique ea dumtaxat quæ servata sunt. Dicit & alia nimiùm absurda, impietatisque plena. Animorum migrationes, & stellas animatas delirè narrat, aliaque his similia.* Certè si propter talia rejiciendus fuisset ille Liber *Origenis*, quasi *spurius*, aut interpolationis arguendus; omnia pænè ejus opera, ab antiquissimis temporibus, fuissent supposita, aut corrupta, cùm passim talia habeat. Audiendus *Hieronymus*, hac de re, in Ep. ad Pammachium & Oceanum, quamvis fortè nimius; audiendus, inquam, quia satis est partim verum esse quod ait, ut intelligamus non esse facilè confugiendum ad corruptionem exemplarium; propter ejusmodi errores, qui inveniuntur in operibus Origenis. *Illud verò quod asserunt à quibusdam Hæreticis, & malevolis hominibus, libros ejus esse violatos, quàm ineptum sit hinc probari potest. Quis prudentior, doctior, eloquentior Eusebio, & Didymo, adsertoribus Origenis, inveniri potest? Quorum alter sex voluminibus* τῆς ἀπολογίας *ita eum, ut se, sensisse confirmat; alter sic ejus errores nititur excusare, ut tamen illius esse fateatur; non scriptum negans, sed sensum scribentis edisserens. Aliud est, si quæ ab hæreticis addita sunt Didymus, quasi bene dicta, defendat.* Si extarent hæ Apologiæ, ex illis intelligere liceret, utrùm *Origenes* fuisset depravatus; nam quod ejus discipuli defendebant, id ejus sine du-

* *Cod. VIII.*

bio erat. Vidit etiam *Photius* recentiorem Apologiam, pro *Origene*, ubi non aliter defendebatur, quamvis ejus Scriptor diceret etiam corruptos fuisse Libros *Origenis*. Quo factum ut ita loquatur de ea *Photius*, Cod. CXVII. οὐκ ἔστι λύσις τῶν ἐπικλημάτων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἀλλὰ συνηγορεία τῆς κατηγορείας: *Non est ut plurimum solutio accusationum, sed criminationis adstipulatio.* In hac defensione, *Clemens* pro discipulo suffragium etiam ferebat.

6. Pergit verò *Hieronymus*, hisce verbis: *Solus inventus est Origenes, cujus Scripta in toto orbe falsarentur, &, quasi ad Mithridatis litteras, omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus est liber, num universa ejus opera, quæ diversis & locis & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt? Ipse Origenes, in Epistola quam scribit ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit, & causas temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita in publicum protulerit; & quid adhuc* ἀπολογοῦμαι *aliena esse quæ displicent?* Certè erat discipulorum *Origenis* vetera exemplaria proferre, in quibus aliena dogmata non legerentur. Erat etiam propugnatorum fidei Nicænæ, eadem ratione, Arianis ex *Origene* argumentantibus, non interpolatis exemplaribus, os occludere. Præterea ea dogmata *Origenis* non erant in uno, aut altero verbo sita, aut etiam in aliquot periodis, sed in toto Orationis contextu. Idem *Hieronymus* Lib. II. contra *Ruffinum*, non procul ab initio, ita eum alloquitur: *Quamvis mutes, quamvis corrigas, Catholica non probabis. Si enim error est in verbis, aut in paucis sensibus; possunt detruncari mala, & bona pro his reponi. Ubi autem tota disputatio æqualis est; ut, universæ rationabiles creaturæ, quæ propriâ voluntate corruerant, in unum postea revertentur statum, ut rursum ex eodem principio aliæ sint ruinæ; quid habes emendare, nisi cuncta mutaveris? Quod si facere volueris, jam non libros alienos interpretaberis, sed condes tuos.*

7. Hæc satis supérque sunt, ut appareat non ex præconceptis opinionibus esse judicandum de sententiis Veterum, καὶ περὶ γνησιότητος ἢ νοθείας Librorum, qui illis adscribuntur, uti frequenter fit. Nunc exemplum proferendum certissimi Scriptoris antiqui dogmatis, ex quo cognoscere licuit, si nullum aliud fuisset indicium, Librum, qui illi tribuebatur, supposititium fuisse. Certissimè constat Judæos omnes, adeoque Apostolos, credidisse falsum Numen ab Ethnicis coli, non idem quod á Judæis colebatur. Attamen Liber ferebatur, quasi Petri, qui Κήρυγμα Πέτρου dicebatur; in quo contraria habebantur, ut multis ostendit *Clemens* Alexandrinus,

Stromat.

Stromat. Lib. VI. p. 635. ubi eum Librum, mirâ confidentiâ, aut ἀβλεψίᾳ potiùs, quasi genuinum fœtum Petri, non semel laudat. Multo rectiùs * *Eusebius*, loco antea partim allato, cùm memorasset Scripta falso Apostolis adscripta, eáque jam aliis de causis repudianda dixisset: ἥ τε γνώμη καὶ ἡ τῶν ἐν αὐτοῖς φερομένων προαίρεσις πλεῖστον τῆς ἀληθοῦς ὀρθοδοξίας ἀπᾴδουσα, ὅτι δὴ αἱρετικῶν ἀνδρῶν ἀναπλάσματα τυγχάνει σαφῶς παρίστησιν: *Sensus ipse & eorum quæ in illis dicuntur sententia, immane quantùm à vera orthodoxia abludentia, clarè ostendunt ea esse hæreticorum hominum figmenta.*

7. Cùm pleraque sunt recta, nec eo, à quo scripta feruntur, indigna; & pauca dumtaxat deterioris notæ hìc illic adspersa; interpolationis potiùs Liber est suspectus habendus, quàm suppositionis. Ejusmodi erant interpolatæ *Ignatii* Epistolæ, ut ex vetere interprete Latino, & Codice Græco Medicæo, hoc sæculo, intelligere licuit. Qua de re nihil amplius dicam, cùm virorum doctorum libri, qui hac de re egerunt, sint in omnium manibus, & nunc, etiam in hac urbe, recudantur.

8. Sextus Aphorismus ita habet: *Liber in quo memorantur res, aut personæ Scriptore, cujus nomen præfert, recentiores, aut ejus non est, aut ab alio est auctus.* Hæc interpretatione nequaquam indigent, cùm sint clara. Sunt tantùm exempla adjicienda. Objectum hoc est meritò Pseudo-Dionysio, ut docet *Photius*, Cod. I. ubi hæc verba sequuntur ea quæ ad Aphorismum III. attulimus: Τρίτη δὲ (ἔνστασις δηλονότι) ὅτι πῶς τὴν κατὰ προκοπὴν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ διὰ μακροῦ τοῦ χρόνου αὐξηθέντων παραδόσεων ἡ βίβλος αὕτη τὴν ἐξήγησιν ποιεῖται; ὁ μὲν γὰρ μέγας Διονύσιος σύγχρονος ἦν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν πράξεων, τοῖς Ἀποστόλοις. ἃ δὲ ἡ βίβλος περιέχει τὰ πλεῖστα τὴν κατὰ προκοπὴν καὶ εἰς ὕστερον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντων παραδόσεών ἐστιν ἀναγραφή. ἀπίθανον οὖν, μᾶλλον δὲ κακόπλαστον τὰ κατὰ πολὺν χρόνον τῆς τελευτῆς τοῦ μεγάλου Διονυσίου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντα Διονύσιον ὑπολαμβάνειν ἀναγράψαι: *Tertia objectio; quomodo traditionum earum, quæ paullatim & longo tempore actæ sunt in Ecclesia, liber hic accuratam expositionem habet? Magnus enim Dionysius coætaneus erat, ut apparet ex Actibus Apostolorum. Quæ verò habet Liber ea pertinent ad descriptionem potissimùm traditionum, quæ sensum & postea invaluerunt in Ecclesia. Non est ergo verisimile, inquit, imò verò confictum, quæ longo tempore post mortem magni Dionysii creverunt, ea Dionysium describenda suscepisse.* Hoc eodem indicio plurimos Libros, qui pro Veteribus venditabantur, recentiores esse agnoverunt viri doctissimi, hoc præsertim sæculo.

* *Hist. Eccles. Lib. III. c. 25.*

9. Sed & alterum indicium proferebatur contra Pseudo-Dionysium, sic enim pergit *Photius:* Τετάρτη δέ, πῶς μέμνηται τῆς τοῦ θεοφόρου Ἰγνατίου ἐπιστολῆς ἡ βίβλος; ὁ μὲν γὰρ Διονύσιος τοῖς τῶν Ἀποστόλων ἐνήκμασε χρόνοις. Ἰγνάτιος δὲ ἐπὶ Τραϊανοῦ τὸν διὰ μαρτυρίου ἤθλησεν ἀγῶνα, ὃς καὶ βραχὺ πρὸ τῆς τελευτῆς ταύτην ἐπιστολήν, ἧς ἡ βίβλος μνημονεύει, γράφει: *Quarta; cur Epistolæ divini Ignatii meminit hic liber? Dionysius enim temporibus Apostolorum floruit, Ignatius verò Trajano imperante martyrii certamen decertavit, & paullò ante mortem Epistolam, cujus meminit hic liber, scripsit.* Talia plurima animadverterunt viri eruditi, in Libris suppositititiis, quorum exempla affatim suppeditabunt *Cocus*, *Rivetus*, *Caveus*, alii.

10. Ex ejusmodi indiciis, præsertim si totus contextus orationis iis sit refertus, aut nulla firma ratio sit, quæ suadeat Scriptorem, cui opus quodpiam tribuitur, reverâ id scripsisse; ex ejusmodi, inquam, indiciis colligere licet librum esse suppositititium. Alioqui contingere posset, ut singulares quædam voces, aut etiam Periochæ, in margine primùm scriptæ à recentiore manu interpretationis gratiâ, in contextum irrepsissent; aut ut additamenta quædam essent adsuta, quæ non obstarent quominus ceteroqui Liber esset ejus Scriptoris, cujus nomen præferret. Constat jam, in Libris Mosis & Caput ultimum Deuteronomii & alia aliquot loca esse à recentiore manu; at non ideò minùs certum est Libros illos esse Mosis, ut multis ostendimus in Dissertatione de Scriptore Pentateuchi, nostris in Mosem Commentariis præmissa. Quod ideo pluribus non persequemur.

CAPUT V.

De Suppositionibus & Interpolationibus VII. & VIII. Indicia.

1. LIBROS proximè præterita sæcula aut indoctos, aut refertos fabulis, cum exstincta essent bonarum litterarum studia & antiquiorum Librorum lectio propemodum sperneretur, doctissimis viris & varietatis amantissimis tribuerunt quàm plurimos; quam fraudem aut inscitiam elegantiorum litterarum cultura, & præsertim Criticæ πολυγγυεσία, præterito atque hoc sæculo, feliciter retexerunt. Hinc conflatum septimum suppositionis, vel interpolationis indicium, quod hoc Aphorismo expressimus: *Liber indoctus, aut imperitiâ refertus non potest ulla ex parte, aut saltem totus viro docto*

docto tribui; nec fabulis scatens, viro non inepto, quem constat veri amantem fuisse, affingi; quamvis, in vetustis Codicibus, eorum nomina præferat.

2. Non diffitemur posse doctum & veri amantem virum, interdum cespitare, & indocta aut falsa quandoque, incuriâ aut credulitate, proferre; sed hoc rarum sit necesse est, nec in rebus nimis apertè indoctis, aut falsis situm. Nullus est vir doctus, præsertim ex iis qui πολυγράφοι fuere, cui non sit aliquid aliquando objectum, ex quo liqueret non fuisse ei semper perspecta omnia, de quibus loquutus esset, aut non satis diligenter pensitata. Verùm hic non loquimur de errore, qui quasi nævus in pulcra facie apparet; sed de frequentibus peccatis, iisque crassiorbus, quam ut in ea vir doctus delabi possit. Talia innumera sunt in Commentariis, quæ *Donati* & *Servii* nomina præferunt, ex quibus non immeritò viri eruditi collegerunt eos fuisse interpolatos. Ejusmodi est peccatum in Geographiam, quod attulimus ex Servianis Commentariis, hujus *Artis Criticæ* P. I. C. I. §. 3. ubi *Hyrcaniam* in illis dici *Sylvam Arabiæ* ostendimus. Ceteroquin infinita sunt, quæ non vulgarem eruditionem sapiunt, & quæ scribi non potuerunt, nisi a doctissimo viro, qui plurimos Scriptores legerat, quorum ab aliquot sæculis monumenta periere. Quod quia nemo nescit, pluribus non persequar. Idem de *Donati* reliquiis dixerim, licèt non sint æquiparandæ, me quidem judice, cum reliquiis *Servii*.

3. Vir acutissimi ingenii *Des. Erasmus*, cùm libros *Hieronymo* falso adscriptos volutasset summâ diligentiâ, eos ad tres classes referendos judicavit. "In prima, indicavit erudita, nec indigna lectu; in secunda, impudenter tributa *Hieronymo*, aut aliis auctoribus; in tertia, docta sed suis titulis auctorem testantia, quæ tamen Hieronymianis lucubrationibus fuerunt admista. Sed deprehendit & aliud genus esse Scriptorum ψευδεπιγράφων, quæ judicabat esse ex Hieronymianis & aliis commista, vel verius confusa. Horum omnium Catalogus Editionibus Frobenianæ & Gryphianæ, ex Frobeniana expressæ, est præfixus. Indoctorum autem Catalogo præmittit judicium, quo significat "in eo nihil repertum iri, quod non sit ex æquo indoctum, infans & impudens; proinde, suâ sententiâ, nullum omnino esse lectionis operæ pretium. Sed invictam esse imperitorum hominum pertinaciam; cui plus satis datum ab se esse, in ejus operis editione, magnóque sibi constare alienam stultitiam. Subjicit vero huic Catalogo & aliam admonitionem, quam hic etiam legi nostrâ interest. Ait ergo "se reperisse, & alia quædam inscripta Hieronymo, prorsus in-

"digna

" digna quovis Hieronymi discipulo ; hoc autem solenne fu-
" isse Librariis, ut hujus unius titulo quemlibet librum em-
" tori commendarent ; verùm quoniam antea numquam fu-
" erant excusa formulis, addenda se non putasse.

4. Inter illa vero, quæ falso titulo non unius sunt Scriptoris, potissimum recenset Commentarios in omne Psalterium, contenditque palam eos præ se ferre, quod non sint unius auctoris. Tum vero ita pergit: *Si quis*, inquit, *meum requirat judicium, nihil illic esse arbitror* Hieronymi ; *verùm una pars est hominis, quisquis fuit, planè docti & sermonis expoliti, longè tamen discrepantis ab Hieronymiano. Nam hic minùs habet nitoris ac lenitatis, plus nervorum ; deinde ubique copiosior ac diligentior, & magis ostentans suas opes. Altera pars est loquutulei cujuspiam, ac, penè dixerim, rabulæ, &, nisi me fallit nasus, ejusdem qui sermones suos* Augustini *nomine nobis dedit, præter alia multa bella. Cujus rei si quis gustum cupiat sumere, in ipsa statim Præfatione, conferat initia cum fine. Quamquam & ea conjectura arguebat non esse Hieronymianum opus, quòd nec titulus, nec Epistola cujusquam habeat nomen. Unde suspicor illum sua nullo edidisse titulo, & Librarios* Hieronymi *nomen addidisse. Et fortassis hic ille est, cujus meminit* Gennadius ; *quem ait nonnulla vertisse* Origenis, *sed datâ operâ titulis ademtis ; cujus esse suspicor & adnotationes in Libros Regum, ac Paralipomenon. Sed ut quod cœperam absolvam, qui voluerit imposturam deprehendere, legat attentè Commentarium in Psalmum LXXVII. Rem quidem ille sumsit ex Commentariis in Matthæum, ceterùm eam suis exornavit flosculis. Ineptit suis Dialogismis, delirat exclamationibus, balbutit acyrologiis, superfluit perissologiis. Legatur in Psalmum LXXX. in Psalmum XC. ubi doctè, scilicet, exponit quid sit σύμπτωμα, cùm plures cadunt. Verùm, ut in genere dicam ipsa battologia, & dictionis character hominem ubique arguit.* Integrum locum attulimus, quamvis prolixiorem, quia Aphorismi nostri priorem partem eximiè illustrat ; & tanti facimus *Erasmum*, ut perpaucos Veteres, non dicam anteferendos, sed æquiparandos ei esse censeamus.

5. Non videtur tamen mihi dubium, quin varia sint, in illis Commentariis, ex *Hieronymo* excerpta, non minùs quàm ex aliis Scriptoribus. Tale est quod *Erasmus* indicat exstare ad Psalm. LXXVII. & quod antea protulimus. Sic & interpretationi Psalmi XCIII. inseritur locus ex *Hieronymo*, totidem verbis allatus ab *Augustino*, in Epist. ad Fortunat. Leguntur etiam ad Psalm. L. verba *Hieronymi* citata à *Gregorio Magno*, in explicatione IV. Psalmi pœnitentialis. At propter

ter hæc & similia loca, ex *Hieronymo* à consarcinatore horum Comment. excerpta, credere omnia *Hieronymiana* esse, cùm *Mariano Victorio*, hoc demum extremæ est ἀκρισίας. Dicitur latere, in Bibliothecis, *Hieronymi* Commentarius verus in Psalmos; & vidimus, in manibus viri eruditi, anonymum opus in Psalmos; quod ex stylo se intelligere dicebat esse Hieronymianum, quamvis totum allegoricum esset, ideóque ab eo sperneretur.

6. Cùm nèmo in dubium revocare queat Apostolos fuisse veri amantissimos, simplicissimámque illam Evangeliorum veritatem ab iis fuisse prædicatam; merito quæcumque fabulam redolent, aut manifestò ficta sunt, iis abjudicantur. Ejusmodi autem sunt pleraque omnia, quæ præter Canonicos libros, in eorum nominibus apparuerunt. Cùm, nempe, mirum in modum auctus esset Christianorum numerus, & vulgo, ut fit, audirentur querelæ curiosorum, de paucitate monumentorum Apostolicorum; ex quibus perpauca scire licebat, de Apostolorum itineribus & prædicatione Evangelii, per totum terrarum orbem; exorti sunt homines nequam, qui plerorumque itinera & res gestas fingere aggressi sunt; & quæ ex nulla vetere historia haurire poterant, ea ex cerebro suo fabularum feracissimo desumserunt. Talia erant ψευδεπίγραφα Apostolica, * quæ ab *Eusebio* merito rejecta, in superiore Capite, diximus. Attamen plurimos olim videntur fefellisse, qui eorum auctoritate usi sunt; hoc enim malumus credere, quàm malam fidem suspicari in bonis viris, qui eorum testimoniis veritatem comprobare conati sunt; quamquam non possumus eos malæ fidei absolvere, nisi eorum negligentiam, aut ignorantiam in rebus Criticis incusemus.

7. *Ruffinus*, exempli gratiâ, vertit Librum scatentem turpibus fabulis, *Recognitiones Clementis*, quasi genuinum, & à *Clemente* ex ore Petri Apostoli exceptum, qui tamen Liber putidissimis nugis refertus est. Merito de eo *Photius*: Μυρίων δ' ἀτοπημάτων ἡ πραγματεία γέμει αὕτη, καὶ τῆς εἰς τὸν υἱὸν βλασφημίας κατὰ τὴν Ἀρείου δόξαν ἐστὶν ἀνάπλεως: *Sexcentis absurditatibus opus hoc refertum est, & blasphemiâ, ex Arii sententia, in filium plenum.* Paullò post, de parte ejusdem operis: Ἀποδοκιμάζεται ἐπιγραφόμενος ἐπ' ὀνόματι αὐτοῦ Πέτρου καὶ Ἀππίωνος πολύστιχος διάλογος: *Rejicitur nomine Petri & Appionis inscriptus dialogus, multis versibus constans.*

8. Simili de ratione, *Hieronymus* meritò repudiat Librum, cujus meminit in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi

* *Eccles. Hist. Lib. III. c. 25. ad quod vide* H. Valesii *notata.*

de

de Luca. Postquàm dixit historiam Actuum Apostolicorum, usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenire, id est, usque ad quartum Neronis annum, subjicit: *Ex quo intelligimus, in eadem urbe, Librum esse compositum. Igitur περιόδους Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas, computamus. Quale est enim ut individuus comes Apostoli, inter ceteras ejus res hoc solum ignoraverit? Sed &* Tertullianus, *vicinus eorum temporum, refert Presbyterum quemdam in Asia σπουδαστὴν Apostoli Pauli, convictum apud Joannem, quòd auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id excidisse.*

9. Verùm non ita ratiocinandum, de sequentium sæculorum Scriptoribus, qui aut infirmitate judicii, aut quod veri satis amantes non essent, fabulas fictas, inter ea quæ vera dicunt, miscent. Sic *Papias*, qui initio secundi sæculi floruit, varia figmenta pro rebus compertis scriptis mandavit, * *σφόδρα μικρὸς ὢν τὸν νοῦν, vir*, ut loquitur Eusebius, *parvo admodum ingenio. Hegesippus* † etiam, qui haud multo post vixit, vanas narrationes pro veris Lectoribus suis obtrudebat, ut satis apparet ex iis quæ habebat de martyrio Jacobi, & quæ ex eo profert *Eusebius*. Sequentibus ætatibus, cùm jam esset aliquod mentientibus præmium, à plebeculæ stultitia exspectandum; neque finem, neque modum ullum mentiendi libidini homines nequam imposuerunt. Tunc nata vanissima illa Scripta, nequiter Apostolorum nomine confirmata, de quibus jam aliquoties diximus.

10. Ut a fabulis ad aliud *νοθείας* indicium veniamus, ita habet octavus noster Aphorismus: *Liber in quo tractantur, vel respiciuntur controversiæ natæ post tempora Scriptoris, cui tribuitur; aut in quo deprehenditur Scriptoris illo recentioris imitatio; ejus non est cujus nomen præfert, aut est interpolatus.* Res est per se clara, nec, nisi pauculis exemplis, illustranda. Vir doctissimus cui *Origenis* Exegetica, quæ Græcè reperiri potuerunt, debemus, || verissimè observat "propter illustre "*Origenis* nomen, factum esse ut ab ignotis Scriptoribus "profectæ lucubrationes, sic tamquam projectitii infan-"tes, clarum *Origenis* nomen sibi libenter adsciverint; imò "nonnumquam etiam operibus suis metuentes Scriptores "subdolos, ementitum hunc prætexentes titulum, *Adaman-*"*tii* famam veluti furto subripuisse; Bibliopolas etiam, mer-"cibus suis venditandis emtorem hiantem, fucatâ hac in-

* *Hist. Eccles. Lib. III. c.* 39.
† *Vide Hist. Eccles. Lib. II. c.* 23.
|| *In Appendice Origenianorum.*

" ſcriptione, induxiſſe. At frequentiùs idem eveniſſe putat, nec immeritò, vel ex Librariorum oſcitantia nomina nominibus commutantium; vel ex Criticorum audacia, quidvis ſibi licere in litteris putantium. Eò acceſſit quòd, plurimas *Origenis* ſcriptiones ſtudioſè abolentibus ejus adverſariis & defenſoribus; his quidem ut illius errores, illis verò ut præclara ejus opera invidioſè celarent; multas vice versâ, paribus de cauſis, nomini ejus ſubdiderunt. Inter libros ei ſuppoſitos, fuit Commentarius Latinus in Jobum in tres libros diviſus, ubi duo priora Jobi Capita & tertii pars enarrantur. Ut cetera omittam, Scriptorem eorum librorum colligere eſt vixiſſe poſt tempora Synodi Nicænæ, & Arianorum partibus fuiſſe addictum, ex hiſce verbis: *Tria cornua fecit Diabolus, in typum atque figuram trionymæ illius ſectæ, triumque Deorum hæreſis, quæ univerſum orbem terræ, in modum tenebrarum, replevit; quæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum aliquando tamquam tres colit, nonnumquam unum adorat, quemadmodum Græcorum Linguâ memoratur, Triada vel Homoüſion. Iſtam ergo Trinitatis ſectam & hæreſin atque infidelitatem, jam olim de longe deſignans, verſutiſſimus ille Diabolus, tria cornua miſit, ad Job deprædandum. Sic námque etiam nunc memorata trionyma hæreſis præſertim prædatur, atque expugnat Eccleſiam.* Nemo non videt hæc eſſe diu, poſt *Origenis* ætatem, ſcripta, poſtquàm τὸ ὁμοούσιον eſſet conſecratum à Synodo Nicæna, cùm manifeſtò controverſiæ Arianæ ſpectentur.

11. Attamen in hoc negotio cavendum, ne poſteriora omnia putemus, quæ favent cuipiam opinioni, de qua poſtea natæ ſunt controverſiæ. Nam anteriores potuere errare, non ſecus ac poſteriores. At aliud eſt clarè reſpicere, aut alludere ad controverſias jam ferventes; aliud docere obiter, & aliud agendo, id quod poſtea dammatum eſt. Hoc ipſum obſervavit, de *Theodoro* Antiocheno, ſeu Mopſueſteno, *Photius*, Cod. XXXVIII. Τὸ Νεστορίου δόγμα, εἰ καὶ πρὸ Νεστορίου ὑπῆρχεν, ἐξερευγόμενος: *Neſtorii ſententiam, quamvis prior ille fuerit, tacitè vomit.* In *Clemente* etiam Alexandrino & *Origene*, plurima leguntur, quæ erroribus poſtea damnatis ſat clarè patrocinantur.

12. Eſt ex antiquiſſimo Codice, ut alibi diximus, in lucem emiſſa à *Patr. Junio* Epiſtola *Clementis* Romani ad Corinthios; at in ea clara ſunt veſtigia imitationis locorum quorumdam *Clementis* Alexandrini, ex quibus collegerunt viri docti auctam eam fuiſſe Epiſtolam à Librariis, ut carius venderetur, útque priori Editioni, in qua brevior erat, præferretur, & avidius emeretur. Capite XLVI. ita *Clemens* Roma-

Romanus, Γέγραπται γάρ· κολλᾶσθε τοῖς ἁγίοις, ὅτι οἱ κολλώμενοι αὐτοῖς ἁγιασθήσονται· καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ τόπῳ λέγει· μετὰ ἀνδρὸς ἀθῴου ἀθῷος ἔσῃ, καὶ μετὰ στρεβλοῦ διαστρέψεις: *Scriptum est enim:* Sanctis adhærete, quia qui illis adhærent ſanctificabuntur. *Rurſus in alio loco dicit:* Cum viro innocente innocens eris, & cum perverſo perverteris. *Quare innocentibus & justis jungamus nos; ii quippe ſunt electi Dei.* Negat *J. Bap. Cotelerius* ſe priorem locum in Scripturis inveniſſe; nec mirum, nuſquam enim in iis legitur. Eſt hic, nimirum, ut rectè animadvertit vir eruditus, ſed mihi penitus ignotus, in Editione Amſtelodamenſi, prava imitatio *Clementis* Alexandrini, cujus verba Interpolator *Clementis* Romani credidit eſſe locum Scripturæ, quia proximè ſubjungebantur verbis ex Pſalm. XVII. allatis. Hæc ſunt verba *Clementis* Alexandrini Strom. Lib. V. p. 572. Γέγραπται γὰρ μετὰ ἀνδρὸς ἀθῴου ἀθῷος ἔσῃ. καὶ μετὰ ἐκλεκτοῦ ἐκλεκτὸς ἔσῃ. καὶ μετὰ στρεβλοῦ διαστρέψεις. κολλᾶσθαι οὖν τοῖς ἁγίοις προσήκει, ὅτι οἱ κολλώμενοι αὐτοῖς ἁγιασθήσονται: *Scriptum est autem;* cum viro innocente innocens eris, cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris. *Adhærere ergo par est ſanctis, quia qui adhærent eis ſanctificabuntur.* Poſtrema hæc laudavit Interpolator *Clementis* Romani, quaſi verba Scripturæ, ſed nonnihil immutata. Res mihi clara videtur.

13. *Clemens* Alexandrinus, ut ſolet, duo loca Novi Teſtamenti conjunctim profert, ſenſúmque potiùs attendit quàm verba, Strom. Lib. III. p. 472. * Οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, φησὶν ὁ Κύριος, καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ μὴ ἐγεννήθη, † ἢ ἕνα τῶν ἐκλεκτῶν μου σκανδαλίσαι. κρεῖττον ἦν αὐτῷ περιτεθῆναι μύλον καὶ καταποντισθῆναι εἰς θάλασσαν, ἢ ἕνα τῶν ἐκλεκτῶν μου διαστρέψαι. *Væ homini illi,* inquit Dominus; *ſatius igitur illi ſi non natus eſſet, quàm unum electorum meorum ſcandalizaſſe. Melius eſſet illi circumpoſitam molam, & dejectum eum eſſe in mare, quàm unum electorum meorum pervertiſſe.* Eadem autem hæc verba habet *Clemens* Romanus, eodem Capite. Neminem vero eſſe puto, qui à ſe impetrare poſſit, ut credat utrumque caſu duo loca hæc conjunxiſſe & eodem modo immutaſſe; aut *Clementem* Alexandrinum citaſſe Evangelia, ex *Clemente* Romano. Sed nihil vetat nos cenſere hominem, qui Alexandrini *Clementis* verba alibi miſcuit cum verbis Scripturæ, ex eo temerè hæc ſumſiſſe.

14. Hinc factum ut quæcumque ſimilibus, non modò ſententiis, ſed etiam verbis, exſtant apud utrumque *Clementem*, ubi Alexandrinus Romanum diſertè non laudat, ea vir doctus omnia ex Alexandrino deſumta, aut efficta exiſtimet.

* *Matth. XXVI.* 24. † *Matth. XXVIII.* 6.

Quod

Quod an verum ſit neſcio, ſed ſimile quiddam ſuſpicatus eſt, de alio loco *Clementis* Romani, primus ejus editor *Patric. Junius*. Is exſtat Cap. VI. & certè, ſi modò nullum ſit in eo mendum, Interpolatoris ineptiam uſque adeò redolet, ut auſim dicere eos naſo carere, qui fraudem non ſubolfaciant. Poſtquàm *Clemens* ex Vetere Teſtamento attulit exempla eorum, qui ob invidiam aliorum, inſontes multa mala paſſi ſunt; ait ſe vetera relinquere, & venire ad recentiores Athletas. Tum Petrum ac Paulum, & eos qui ad inſtar eorum conſtanter ſupplicia tulerant, Religionis cauſâ, commemorat. Dein, cùm alia omnia exſpectarentur; nempe, exempla Chriſtianorum, ſubdit: Διὰ ζῆλον διωχθεῖσαι γυναῖκες, Δαναΐδες καὶ Δίρκη, αἰκίσματα δεινὰ καὶ ἀνόσια παθοῦσαι ἐπὶ τὸν τῆς πίστεως βέβαιον δρόμον κατήντησαν, καὶ ἔλαβον γέρας γενναῖον αἱ ἀσθενεῖς τῷ σώματι: *Propter zelotypiam vexatæ mulieres, Danaïdes & Dirce, cùm gravia & dira ſupplicia pertuliſſent, pervenerunt in curriculum firmum fidei, & acceperùnt corpore debiles generoſum præmium.* Nemo non videt hæc eſſe verba hominis inſani, nec ſacram nec fabularem hiſtoriam tenentis, eáſque turpiſſimè miſcentis; & quidem eo in loco, ubi omnino alia dicenda erant. Nemo non animadvertit balbutire hunc Impoſtorem; quis enim dixerit mulieres, propter zelotypiam malè habitas, ἐπὶ τὸν τῆς πίστεως βέβαιον δρόμον καταντῆσαι, καὶ λαβεῖν γέρας γενναῖον; Credebat *Junius* eum, qui hæc ſcripſit, ea partim hauſiſſe ex *Clemente* Alexandrino, qui Lib. IV. Stromateon, ubi multa ex Epiſtola *Clementis* Romani habentur, poſt memoratas Juditham & Eſteram, aliarum fœminarum ex Gentilibus meminit, quæ virilia facinora eſſent auſæ; inter quas Danaï filias recenſet, de quibus ſcriptor Danaïdis dixerat:

Καὶ τότ' ἄρ' ὡπλίζοντο θοῶς Δαναοῖο θύγατρες,
Πρόσθεν ἐϋρρεῖος ποταμοῦ Νειλοῖο ἄνακτος.

Tum verò celeriter armatæ ſunt filiæ Danaï, antea regis Nili pulcre fluentis. Verùm quidquid ſtatuatur de hoc loco, niſi mendum in eum irrepſerit, dubium eſſe nequit, quin Semipagano Librario debeatur. Numquam *Clemens* fabulas conjunxiſſet cùm veris hiſtoriis, & quidem fabulas, quæ ad rem nihil faciebant. Igitur ſunt graviſſimæ rationes, quæ perſuadeant Epiſtolam *Clementis*, licèt genuinam, auctam fuiſſe à malis atque imperitis hominibus.

15. Attamen ut quod aliquando ſuſpicatus ſum, de ultimo loco *Clementis*, aperiam; poſſe hunc locum emendari credebam, hoc modo ſi pro vocibus Δαναΐδες καὶ Δίρκη, legamus ἀνδ-

αἰδῦς

αἰδοῦς καὶ δίκης *sine reverentiâ & jure*, hoc est, irreverenter habito sexu infirmiore, & contra jus & fas. Librarius ex ore dictantis scribens malè audire potuit, aut etiam ex scriptura non satis elegante, & partim deleta, hoc quod legimus extricasse. Verùm nihil mutare ausim, in *Clemente.*

CAPUT VI.

De Suppositione & Interpolatione IX. & X. Indicia.

1. SUPERSUNT duo Suppositionis aut Interpolationis indicia, ex stylo & verbis petita; cùm superiora aut res ipsæ, aut Veterum testimonia, aut vetustorum Librorum indices suppeditarint. Nonus ergo Aphorismus erit: *Si stylus sit diversus à noto aut sæculi, aut Scriptoris stylo, ejus non est, quamvis nomen ejus præferat. Si sit idem ac stylus alius Scriptoris, hujus liber censeri debet, si modò nihil obstet.*

2. Vitas excellentium Imperatorum, quas meritò vero Scriptori adsertas diximus, Cap. II. §. 6. *Cornelio*, scilicet, *Nepoti*, *Ciceronis* familiari, nonnulli eruditi viri, ante centum annos, sustinuerant tribuere Scriptori ignoto Theodosiani ævi; cùm manifestum esset elegantiâ ejus libelli multùm superari captum, atque ingenium eorum temporum. Vice versâ, ineptam atque inficetam historiam Theodosiano ævo, ut videtur, recentiorem, audebant Librarii *Cornelio Nepoti* tribuere. Ea est *Daretis Phrygii*, de excidio Troiæ, historia, in qua *Josius Mercerus*, qui eam emendatiorem edidit, meritò aut ullam eruditionem, aut judicium, aut eloquutionis elegantiam negat inveniri; "ut nimis impudenter fecisse
" videatur, qui *Corn. Nepotis* nomen ementitus est, quasi in-
" ficetæ versionis auctoris. In enarratione, inquit, totius
" Historiæ, ferè ubique diversus abit ab omni antiquitate;
" pauca similia vero de suo adstruit, absurda, inconsequen-
" tia plurima; ut vel id quod de variis plurimum annorum
" ac mensium induciis affingit, ut ad decennium perve-
" niat. Nec quidquam in toto Libro singulare, præter
" Thesidarum mentionem, quos unà cum Anio rem frumen-
" tariam curasse scribit; & inepti illi Trojanorum, Græco-
" rumque ducum, & mulierum formæ, ac morum characte-
" res. Præfixa est etiam Epistola, nomine *Corn. Nepotis*, ad *Sallustium Crispum* scripta, sed quæ neminem fallere queat, præter eos qui omni Latinitatis cognitione destituti sunt,

aut planè aliud agunt, cùm ejuſmodi Monachorum fraudes legunt.

3. *Hieronymus* negat ſe poſiturum fuiſſe *Senecam*, in Catalogo ſanctorum, *niſi ſe epiſtolæ provocaſſent*; *quæ*, inquit, *leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. In quibus cùm eſſet Neronis magiſter & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit ejus eſſe loci apud ſuos, cujus ſit Paulus, apud Chriſtianos.* Mirum eſt non monuiſſe *Hieronymum* ſimpliciores, ne fallaci titulo crederent; niſi fortè indignos qui à ſe monerentur judicavit, qui tam turpiter errabant. *J. Lipſius*, ad calcem vitæ *Senecæ*, hoc de iis fert judicium veriſſimum: " Quæ nunc ſunt, non ſunt tanti; imò certum eſt ejuſdem auctoris & Pauli & Senecæ illas eſſe, & " compoſitas à ſemidocto in ludibrium noſtrum. Cùm hæc dixiſſet veriſſima, & nonniſi ab imperitis in dubium umquam revocanda, ſubjicit: " Ergo inter ſe non ſcripſerunt? *Hieronymus*, *Auguſtinus*, atque etiam antiquior " utroque *Linus* Pontifex adſerunt, & paſſiva opinio olim " fuit, atque adeò *Joannes Sariſberienſis* fortiter: *deſipere* " *videntur qui non venerantur eum, quem Apoſtolicam familiaritatem meruiſſe conſtat.* Atqui non affirmat, ut vidimus, *Hieronymus*; quem etiam judicavit *Eraſmus*, tacitè indicare erudito Lectori quid ſentiat; nempe, eas epiſtolas falsò inſcribi *Paulo* & *Senecæ*; cùm nihil illic ſit neque *Paulo* dignum, neque *Seneca*: * *Auguſtinus* verò ait dumtaxat *ſe nonnullis indiciis inveniſſe, eum Apoſtolorum noſtrorum claruiſſe temporibus*; quam in rem, nequaquam opus eſt fictitiis illis Epiſtolis; quin & mirum eſt, de re clarâ, ita dilutè loquutum *Auguſtinum*, quaſi non facilè intellectu eſſet claruiſſe eum temporibus Apoſtolorum, qui ſub Neronis principatu vixit & interfectus eſt. *Lini* liber de paſſione Pauli manifeſtò eſt ſuppoſititius, ut omnes fatentur; ne exceptis quidem iis, qui ficta monumenta priſcis Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis adſcripta acriter, quaſi genuina, defendere ſolent. *Joannes* verò Sariſberienſis ſententiam profert barbari ſæculi, quo mentiendi libido & ignorantia pari paſſu, atque erecto capite, ubique pænè incedebant. Igitur non ſatis κριτικῶς vir cæteroquin acutus vitam *Senecæ*, hiſce verbis, claudit: " Itaque rejicere hoc totum, & calcare non auſim. Fuerint " aliquæ, ſed aliæ; ſi iſtæ, requiro judicium optimorum " Patrum. Atqui ullas alias fuiſſe non conſtat, & certiſſimum eſt *Senecam* nullâ cognitione Chriſtianiſmi fuiſſe imbutum, quod optimè omnium noverat *Lipſius*.

* *De Civitate Dei Lib. VI. c.* 10.

4. Ex dissimilitudine styli, collegerunt omnes, qui omni Critico gustu destituti non fuerunt, Apostolica non esse varia quæ illis olim tribuebantur. Πόῤῥω, inquit † *Eusebius*, ὁ τῆς φράσεως παρὰ τὸ ἦθος τὸ Ἀποστολικὸν ἐναλλάττει χαρακτήρ: *longè dictionis forma abest ab Apostolica scribendi ratione.* Attamen fefellerunt olim plurimos, iis sæculis quibus magis excolebatur stulta credulitas, quam litterarum studia. Existimarunt etiam plerique olim, si *Hieronymo* credimus, alteram Petri ejus non esse, ob diversitatem styli; sed res est multo obscurior, nec eorum judicium præstare velim. Hæc verba sunt *Hieronymi*, in Catalogo: *Scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur; quarum secunda à plerisque ejus esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam.* At multò verisimilius judicabat * *Origenes*, ὅτι ὁ χαρακτὴρ τῆς λέξεως τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιγεγραμμένης ἐπιστολῆς οὐκ ἔχει τὸ ἐν λόγοις ἰδιωτικὸν τοῦ Ἀποστόλου, ὁμολογήσαντος ἑαυτὸν ἰδιώτην εἶναι τῷ λόγῳ, τουτέστι τῇ φράσει: *stylum Epistolæ ad Hebræos inscriptæ non habere in verbis illam ruditatem Apostoli, qui se fatetur esse idiotam sermone, hoc est, eloquutione.* Subjicit: ἀλλά ἐστιν ἡ ἐπιστολὴ συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικωτέρα. πᾶς ὁ ἐπιστάμενος κρίνειν φράσεων διαφορὰς ὁμολογήσαι ἄν: *sed est Epistola hæc, verborum constructione, elegantiùs Græcè scripta; quod fatebitur quisquis, de stylorum diversitate, judicare norit.* *Hieronymus* in Catalogo similia habet: *Epistola, quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur, propter styli sermonisque distantiam; sed vel* Barnabæ, *juxta* Tertullianum; *vel* Lucæ *Evangelistæ, juxta quosdam; vel* Clementis *Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi, quem ajunt sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone.*

5. Ex dissimilitudine styli intellexit *Hieronymus*, Libros nonnullos, qui tribuebantur *Minutio Felici*, ejus non esse. Postquàm dixit ab eo scriptum esse Dialogum Christiani & Ethnici disceptantium, qui *Octavius* inscribitur, subjicit: *Sed & alius sub nomine ejus fertur*, de Fato, *vel* contra Mathematicos, *qui cùm sit & ipse diserti hominis, non mihi videtur cum superioris libri stylo convenire.*

6. *Dionysius* Alexandrinus, ut docet ‖ *Eusebius*, existimabat, si conferretur Evangelium Joannis cum prima ejus Epistola, facilè intelligi, ex similitudine styli, utriusque eumdem Joannem auctorem fuisse; contrà, si cum illis compararetur Apocalypsis; liquere hanc esse ab alia manu. Ut à posteriori initium faciam, hæc ille capita profert dissimilitudinis I. Τεκμαίρομαι ἔκ τε τοῦ ἤθους ἑκατέρων, καὶ τοῦ τῶν λόγων εἴδους καὶ

† *Hist. Eccles. Lib. III. c. 25.*
* *In Homiliis in Ep. ad Hebræos.*
‖ *Hist. Eccles. Lib. VII. c. 25.*

τοῦ βιβλίου διεξαγωγῆς λεγομένης, μὴ τὸν αὐτὸν εἶναι. ὁ μὲν γὰρ Εὐαγγελιστὴς οὐδαμοῦ τὸ ὄνομα αὐτοῦ παρεγγράφει οὐδὲ κηρύσσει ἑαυτὸν, οὔτε διὰ τοῦ Εὐαγγελίου, οὔτε διὰ τῆς Ἐπιστολῆς ——— ὁ δὲ τὴν Ἀποκάλυψιν γράψας εὐθὺς τε ἑαυτὸν ἐν ἀρχῇ προτάσσει, καὶ τὰ ἑξῆς: *Colligo enim ex genio utriusque, & forma loquendi, & ex libelli dispositione, non esse eumdem. Quippe Evangelista quidem nullibi nomen suum adscribit, nec semet ipse, aut in Evangelio, aut in Epistola, prædicat------At ille, qui Apocalypsin scripsit, in ipso statim exordio, nomen suum præfigit*, &c. Tum ejus rei exempla profert, quæ apud *Eusebium* poterunt legi. II. Ἀπὸ τῶν νοημάτων δὲ καὶ τῶν ῥημάτων καὶ τῆς συντάξεως αὐτῶν, εἰκότως ἕτερος οὗτος παρ' ἐκεῖνον ὑπονοηθήσεται. συνᾴδουσι μὲν γὰρ ἀλλήλοις τὸ Εὐαγγέλιον καὶ ἡ Ἐπιστολὴ, ὁμοίως τε ἄρχονται: *Ex sententiis verò & verbis, eorúmque collocatione, facile conjicere est hunc ab illo diversum fuisse. Nam Evangelium & Epistola sibi mutuò consonant, & eodem ordiuntur modo.* Deinde ex utroque subjecta verba comparat; iisque collatis, ita pergit: Ἔχεται αὐτοῦ, καὶ τῶν προθέσεων, οὐκ ἀφίσταται. διὰ δὲ τῶν αὐτῶν κεφαλαίων καὶ ὀνομάτων πάντα διεξέρχεται: *Ex se ipse pendet, nec à propositionibus suis abit; sed iisdem capitibus, ac verbis, cuncta persequitur.* Quod reverâ, collectis variis loquutionibus & sententiis, ostendit; additque: Καὶ ὅλως διὰ πάντων χαρακτηρίζοντας ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν συνορᾷν τοῦ τε Εὐαγγελίου καὶ τῆς Ἐπιστολῆς χρῶτα πρόκειται: *Formam scriptionis expendentibus ubique & per omnia unum atque eumdem styli colorem in Evangelio & in Epistola cernere licet.* Apocalypsin verò, alio planè modo, se habere contendit. Ἀλλοτριωτάτη δὲ καὶ ξένη, inquit, παρὰ ταῦτα ἡ Ἀποκάλυψις, μήτε ἐφαπτομένη, μήτε γειτνιῶσα τούτων μηδενὶ σχεδὸν εἰπεῖν, μηδὲ συλλαβὴν πρὸς αὐτὰ κοινὴν ἔχουσα: *Apocalypsis verò ab his prorsus aliena est, & extranea, nullâ pæne necessitudine, aut vicinitate contingens quidquam ex suprà dictis, ac ne syllabam quidem unam cum illis communem habens.* III. Addit etiam Apocalypseos nullam esse mentionem in Epistola, ubi de ea aliquid dici debuisse ei videtur: Ἀλλ' οὐδὲ μνήμην τινὰ, οὐδὲ ἔννοιαν οὔτε ἡ Ἐπιστολὴ τῆς Ἀποκαλύψεως ἔχει, ἐῶ γὰρ Εὐαγγέλιον, οὔτε τῆς Ἐπιστολῆς ἡ Ἀποκάλυψις: *Sed neque mentionem ullam, neque significationem habet Epistola Apocalypseos (Evangelium enim prætermitto) neque Epistolæ Apocalypsis.* IV. Denique, si *Dionysio* credimus, τῆς φράσεως τὴν διαφορὰν ἔστι τεκμήρασθαι τοῦ Εὐαγγελίου καὶ τῆς Ἐπιστολῆς πρὸς τὴν Ἀποκάλυψιν. τὰ μὲν γὰρ οὐ μόνον ἀπταίστως, κατὰ τὴν Ἑλλήνων φωνὴν, ἀλλὰ καὶ λογιώτατα ταῖς λέξεσι, τοῖς συλλογισμοῖς, ταῖς συντάξεσι τῆς ἑρμηνείας γέγραπται. πολλοῦ γε δεῖ βάρβαρόν τινα φθόγγον, ἢ σολοικισμὸν, ἢ ὅλως ἰδιωτισμὸν ἐν αὐτοῖς εὑρεθῆναι —— τούτῳ δὲ Ἀποκάλυψιν μὲν ἑωρακέναι, καὶ γνῶσιν εἰληφέναι καὶ προφητείαν οὐκ ἀντερῶ. Διάλεκτον μέντοι καὶ γλῶσσαν οὐκ ἀκριβῶς ἑλληνίζουσαν αὐτοῦ βλέπω, ἀλλ'

 ἰδιώμασι

ἰδιώμασι μὲν βαρβαρικοῖς χρώμενον καί που καὶ σολοικίζοντα: *Clarè intelligere est discrimen eloquutionis Evangelii & Epistolæ, si conferantur cum Apocalypsi. Illa enim scripta sunt, non tantùm sine peccato ad Græcam linguam quod attinet, sed etiam elegantissimè, cùm vocibus, tum ratiocinationibus, & orationis compositione; nedum ut barbarum ullum vocabulum, aut solœcismus, aut ullus omnino idiotismus in iis inveniatur ------ Nolim quidem negare huic visam esse revelationem, eúmque accepisse cognitionem à Deo & prophetiam; at dialectum & linguam non accuratè Græcam in eo video, eúmque idiomatibus barbaricis utentem, & aliquando etiam solœcismos committentem.* Quæ omnia profero, non quasi mihi videantur vera, nam hæc postrema præsertim planè falsa esse existimo; sed ut appareat quâ ratione Veteres solerent γνωρίσματα eruere, ex quibus judicabant genuinane, an spuria essent opera, quibus illustria nomina erant præfixa. Ad methodum quidem quod attinet, nihil est quod in *Dionysio* carpamus; quærendum dumtaxat an ea, quæ statuit quasi certa, sint reapse vera, quod non credimus.

7. At non possum illi non adsentiri, in eo quod habet de similitudine rerum & loquutionum, quæ in Evangelio & prima Joannis Epistola occurrunt. I. Συνᾴδουσιν, inquit, μὲν γὰρ ἀλλήλοις τὸ Εὐαγγέλιον καὶ ἡ Ἐπιστολή, ὁμοίως τε ἄρχονται. τὸ μέν φησιν, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. ἡ δέ, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. τὸ μέν φησι, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρός. ἡ δὲ τὰ αὐτὰ σμικρῷ παρηλλαγμένα, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη. ταῦτα γὰρ προανακρούεται διατεινόμενος, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς ἐδήλωσε, πρὸς τοὺς οὐκ ἐν σαρκὶ φάσκοντας ἐληλυθέναι τὸν Κύριον. διὸ καὶ συνῆψεν ἐπιμελῶς, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν, καὶ ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, ἥτις ἦν πρὸς τὸν Πατέρα, καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν. ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν ἀγγέλλομεν ὑμῖν: *Nam Evangelium & Epistola sibi mutuo consonant, & eodem ordiuntur modo. Sic enim illud dicit:* in principio erat Ratio; *hæc verò:* quod fuit ab initio. *Illud ait:* & Ratio caro facta est, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre; *hæc verò eadem habet aliquantùm immutata:* quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contractaverunt de verbo vitæ; *&:* vita manifestata est. *Hæc enim ille veluti modulationis proludia præmittit, adversùs eos qui dicebant Dominum non venisse in carne. Quapropter de industria subjunxit:* & quod vidimus testamur, & adnunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus & audivimus adnunciamus vobis. II. Ἔχεται αὐτοῦ καὶ τῶν

προθέσεων οὐκ ἀφίσαται. διὰ δὲ τῶν αὐτῶν κεφαλαίων καὶ ὀνομάτων πάντα διεξέρχεται. ὧν τινὰ μὲν ἡμεῖς συντόμως ὑπομνήσομεν. ὁ δὲ προσεχῶς ἐντυγχάνων εὑρήσει ἐν ἑκατέρῳ πολλὴν τὴν ζωήν, πολὺ τὸ φῶς, ἀποτροπὴν τοῦ σκότους, συνεχῆ τὴν ἀλήθειαν, τὴν χάριν, τὴν χαράν, τὴν σάρκα καὶ τὸ αἷμα τοῦ Κυρίου, τὴν κρίσιν, τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. τὴν πρὸς ἡμᾶς ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, τὴν πρὸς ἀλλήλους ἡμᾶς ἀγάπης ἐντολήν. ὡς πάσας δεῖ φυλάσσειν τὰς ἐντολάς. ὁ ἔλεγχος τοῦ κόσμου, τοῦ Διαβόλου, τοῦ Ἀντιχρίστου. ἡ ἐπαγγελία τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἡ υἱοθεσία τοῦ Θεοῦ. ἡ διόλου πίστις ἡμῶν ἀπαιτουμένη ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς πανταχοῦ. καὶ ὅλως διὰ πάντων χαρακτηρίζοντας ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν συνορᾶν τοῦ τε Εὐαγγελίου καὶ τῆς Ἐπιστολῆς χρῶτα πρόκειται: *Totus ex se ipse pendet, & à propositionibus suis non discedit; sed iisdem capitibus & verbis cuncta persequitur; ex quibus nos nonnulla breviter commemorabimus. Qui verò attentus erit, inveniet in utroque plurimam* vitam, *frequentem* lucem, *fugam* tenebrarum, *perpetuam* veritatem, gratiam, lætitiam, carnem & sanguinem Domini, judicium, remissionem peccatorum, Dei erga nos amorem, præceptum de mutua caritate, omnia mandata servari oportere. *Ad hæc occurrunt passim* convictio mundi, Diaboli & Antichristi, promissio Spiritûs Sancti, adoptio Dei, fides *à nobis per omnia postulata*, Pater *&* Filius *ubique. Denique in omnibus formam scriptionis exquirentibus unius atque idem Evangelii & Epistolæ color proponitur.* Ex hisce omnibus planè κριτικῶς & verè colligit unius, ejusdémque Apostoli Joannis esse Evangelium & Epistolam.

8. Non opus est alia hanc in rem exempla afferri, verùm hic se se nobis objiciunt sponte suâ difficultates maximæ; animadverterunt enim viri eruditi, non tantùm moveri controversias de Libris præferentibus nomina Scriptorum, quorum stylus ex aliis eorum operibus notus est; sed etiam de Libris qui tribuuntur Scriptoribus, quorum aliud nihil exstat, præter ea ipsa monumenta, quorum γνησιότης in dubium revocatur. Exempli causâ, cùm ad defensionem *Origenis*, proferretur Apologia *Pamphili* Martyris nomine præscripta; *Hieronymus*, qui tunc temporis erat Origenistis infensus, negabat id constare; quòd nullus alius Liber à *Pamphilo* esset scriptus, ex quo de illa Apologia judicium ferri posset. * *Si ab inimicis Origenis*, inquit, *Libros ejus dicitis esse violatos, ut infamarentur; quare mihi non liceat dicere, ab amicis ejus & sectatoribus, compositum esse sub nomine Pamphili volumen, quod illum testimonio Martyris ab infamia vindicaret? Ecce vos emendatis, in Origenis Libris, quod ille non scripsit; & miramini, si edat aliquis Librum, quem ille non edidit?*

* *Ad Pammach. & Oceanum de Error. Origenis.*

didit? Vos in edito opere poteſtis coargui; ille, qui nihil aliud edidit, faciliùs patet calumniæ. Date quodlibet aliud opus Pamphili; nuſquam reperietis, hoc unum eſt. Unde igitur ſciam quòd Pamphili ſit? Videlicet STYLUS & SALIVA *docere me poterit!*

9. Duæ, in hoc ſæculo, de ejuſmodi Libris agitatæ ſunt celeberrimæ controverſiæ, atque Eruditorum judicio diremtæ. Altera eſt de Epiſtolis, quæ antiquiſſimis Romanæ urbis Epiſcopis tribui ſolebant. Eas Magdeburgenſes Theologi, in Centuriis, meritò quaſi ſuppoſitas criticâ cenſurâ infamaverant. Defendit verò illas *Franc. Turrianus*; quem poſtea ita confutavit *David Blondellus*, ut ſuppoſitionem in meridiana luce poſuerit; quæ negari certè non poteſt, niſi ab iis, qui lucro ſibi eſſe putant ejuſmodi fraudes, & frontem planè perfricuerunt. Altera verò controverſia fuit, de re ſine dubio obſcuriore; nimirum, de Ignatianis Epiſtolis, quas ſuppoſitas contendebant idem *Blondellus*, & *Joan. Dallæus*, defendit vero quaſi genuinas *Joan. Pearſonius*; eo, niſi fallor, ſucceſſu ut bellum illud, certâ ac perpetuâ victoriâ, confecerit. Attamen plerorumque omnium Epiſcoporum Romanorum, quibus tribuuntur Epiſtolæ illæ Iſidorianæ, ne littera quidem ulla exſtat. Epiſcopi etiam Antiocheni nihil ad poſteros pervenit, præter Epiſtolas in controverſiam vocatas.

10. Cùm ergo viri doctiſſimi non poſſent alia eorum Scripta proferre, qui Epiſtolas illas oppugnare aggreſſi ſunt, ex earum ſtylo varia protulerunt, aut proferre conati ſunt indigna primævâ illâ antiquitate, aut ſaltem quæ indigna ipſis videbantur. Contra qui eas defenderunt, probarunt illa non eſſe eo ævo indigna, aut pro virili probare adnixi ſunt. Ut alia omittam, *Blondellus* evidentiſſimè oſtendit nihil eſſe in Epiſtolis Pontificiis, quod vel minimùm primorum ſæculorum ſtylum redoleat; luculentis etiam argumentis, demonſtravit *Pearſonius* quæ ab adverſariis carpebantur, in Ignatiano ſtylo, ea non diſſentire ab illius ætatis ingenio. Certè aliter oppugnare aut defendere non poſſumus Scripta, quæ fuerunt, aut fuiſſe dicuntur unici fœtus eorum, quorum nomina præferunt. Ingenii & ſtyli Scriptoris loco, nobis ſunt forma & character ejus ætatis.

11. Ubi res eſt clara, propter nimium diſcrimen ſtyli Scriptoris ſuppoſiticii, & rationis ſcribendi eorum omnium, qui iiſdem temporibus vixerunt; non difficile eſt judicium rectum de eo ferre, imò difficile eſt errare; ut mirari ſubeat eorum credulitatem, qui *Cornelii Nepotis* genuinum fœtum Theodoſiani ævi fuiſſe, & *Daretis Phrygii* hiſtoriam barbaram & inſice-

inficetam, quámque adeò Theodosiana ætas non laudasset, *Ciceronis* temporibus tribuere sustinebant. Sed potest Liber tribui Scriptori cuipiam, & quidem falsò, qui stylo scriptus sit ab ejus dictione non prorsus abhorrente; ab alio, nimirum, ejusdem ævi aut proximi Scriptore. Tum demum perspicaci ingenio opus est, atque arte magistrâ, quæ nonnisi longâ, attentâque lectione acquiri potest. Nec mirum est *Ambrosio* & *Hieronymo*, exempli causâ, adscriptos proximè præteritis sæculis fuisse varios eruditos Libros, & quibus vix meliores scribere ipsi potuissent. Sola bonarum litterarum & Criticæ præsertim πολυγνωσία ejusmodi errores retegere poterat.

12. Decimus hic est atque ultimus noster Aphorismus: *Vocabula sequioris ævi indicant Scriptorem recentiorem; in translatione verò, si quid sit quod non conveniat Linguæ, quâ scripsisse constat auctorem cui liber tribuitur, aut non est translatio, aut est interpolata.* Priorem partem hujus Aphorismi illustrare possemus plurimis exemplis, petitis ex Scriptis falsò *Clementi* Romano tributis, éque Pontificiis Epistolis, in quibus innumeræ sunt voces Apostolico ævo recentiores. Sed cùm ea Scripta evolventi illico plurimæ se objiciant; exempla dumtaxat aliquot, quibus posterior pars Aphorismi confirmetur, subjiciemus.

13. Qui *Sapientiam* Salomonis nomine inscriptam, ex ejus Scriptis haustam esse volunt, & in Græcam Linguam translatam; cum conjecturam dumtaxat proferant, quam æquè facilè rejeceris, ac in medium affertur; præterea ex ea opinione revocari possunt, exemplo vocis, quæ nonnisi ex Lingua Græca, & quidem è *Platone*, aut *Platonicis*, eo sensu peti potuit. Ea est vox Λόγος, quâ Angelum significat Sapientia Cap. XVIII. 15, 16. ubi etiam Poëtæ Græci manifesta est imitatio. Sic habet, ex versione Vulgata: *Omnipotens sermo tuus* (vel potius *Ratio tua*, nam est σȣ̃ λόγος) *de cœlo, à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit. Gladium acutum insimulatum tuum imperium portans, & stans replevit omnia morte, & usque ad cœlum attingebat, stans in terra*, καὶ ȣ̓ρανȣ̃ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δ' ἐπὶ γῆς. Vox Λόγος ad significandum Angelum, seu *Naturam Rationalem* imperia summi Dei exsequentem, est Platonica, & frequens apud *Philonem*, ut observavit *H. Grotius*. Nam hic sermo est de Angelo illo, qui Ægyptiorum primogenitos omnes, unâ nocte, occidit. Eum vocat παντοδύναμον *omnipotentem*, quia Angelus à Deo ad exsequenda ipsius imperia missus, potentiam accipit ad omnia quæ jubetur perficienda. Ejus descriptio stantis in terra, & cœlum vertice at-

tingentis, est imitatio *Homeri*, aut *Callimachi*; quorum prior quidem ita Eridem describit, Iliad. Δ. vers. 443.

Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

Cœlo firmat caput, & in terra ingreditur; posterior verò Hymno in Cererem, vers. 58. Deam sic pingit;

Ἴθματα μὲν χέρσω, κεφαλὰ δέ οἱ ἅψατ' Ὀλύμπω.

Vestigia quidem ejus terram, caput verò tetigit cœlum. Quos imitatus *Virgilius*, IV. Æneïdos, in descriptione Famæ:

Ingrediturque solo & caput inter nubila condit.

Nemo, ut opinor, non videt Judæum, Antiochenum fortè, aut Alexandrinum, imitatum hic esse Poëtas Græcos, non Salomonem sequutum. Sumsit etiam ex Platonicis opinionem, ad quam respicit Cap. VIII. 19, & 20. nempe, animorum προΰπαρξιν. Quæ, ut & cetera omnia, quisquis diligenter expenderit, numquam sibi persuadebit Librum hunc Hebraïce primùm à Solomone conscriptum.

14. Sic & olim *Julius Africanus* scripserat, ut docet * *Hieronymus*, Epistolam ad Origenem, *super quæstione Susannæ, eo quòd diceret in Hebræo hanc fabulam non haberi, nec convenire cum Hebraïca Etymologia*, ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι. Quod invictum est argumentum, cùm ex re ipsa deductum sit; nam quæ conjicit *Origenes*, hunc librum Hebraïcè olim scriptum, sed ab Hebræis suppressum, ac tandem è rerum natura sublatum, in honorem gentis suæ, id parum verisimile est. Hoc enim duorum virorum facinus, præsertim cùm à Daniele acerrimè repressum narretur, non poterat magis nocere famæ Judæorum, quàm integræ tot scelerum historiæ, & castigationes, quæ cum in libris Historicis, tum in Propheticis leguntur. Sat multa sunt quæ verè Judæis objici possint, ut minimè necesse sit conjecturis inanibus eos infamatum ire; aut potiùs Religionem, quam profitemur, quæ calumniis nequaquam eget. Sed viri doctissimi multis ostenderunt, frustra a Patribus Judæos accusari falsatæ Scripturæ Veteris Testamenti. Itaque, ea de re, nihil addemus. Locus autem, qui respicitur, exstat Cap. XIII. vers. 54. & seqq. *Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait, sub schino* (ὑπὸ σχῖνον)

* In Catalogo.

Dixit

Dixit autem Daniel: rectè mentitus es in caput tuum. Ecce enim Angelus Dei, acceptâ sententiâ ab eo, scindet (σχίσει) *te medium.* Similiter alteri seni dicit Daniel: vers. 58. *Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos. Qui ait, sub primo.* (ὑπὸ πρῖνον) *Dixit autem ei Daniel, recte mentitus es & tu in caput tuum, manet enim Angelus Domini gladium habens, ut secet* (πρίσαι) *te medium.* Hæc ostendunt à Judæo Græcè loquente primum scripta, cùm in vocibus Hebraïcis nulla similis agnominatio fieri queat; nam hoc tribuere Interpreti, cùm non constet ullum umquam fuisse Archetypum, hoc demum est hariolationes suas pro rebus compertis obtrudere. Scio Hebraïsmos dici esse in hoc libro; sed hinc colligere est scriptum à Judæo Hebraïce, aut Syriacè melius quam Græcè sciente, non ipsum opus umquam Hebraïce fuisse editum. Sic videmus Apostolorum Scripta scatere Hebraïsmis, cùm ab iis primum Græcè edita sint; quod, nempe, essent Judaïcæ Linguæ peritiores, quam Græcæ.

15. Ultimum exemplum addemus ex Libro, quem pro Origeniani operis Græcè scripti Latina translatione haberi voluerunt Librarii, & de quo jam antea Cap. VI. §. 10. diximus. Hominis Latini esse vidit *D. Erasmus*, quod hoc, inter alia, argumento probat. " Interpretatur interdum " Græcas voces, sed ita ut Latinum agnoscas, veluti cùm " docet nos quid & qualis sit *Adamantus.* Sic habet locus: Adamantus *interpretatur, in Græca Lingua, indomabilis, inflexibilis, inalterabilis.* At, ut rectè animadvertit *P. Dan. Huëtius*, possent hæc ab Interprete esse addita; verùm est alius locus ab eo prolatus, qui nonnisi Latinè scriptus fuit, ubi meminit *Luciani* Martyris Origene multò recentioris: *Ita consummatus est*, inquit, *beatus atque gloriosus* LUCIANUS, LUCIDUS *vitâ*, LUCIDUS *& fide*, LUCIDUS *etiam tolerantia consummatione; ob hoc enim* LUCIANUS *cognominatus est, tamquam* LUCIDUS, *aut proprio lumine sibi fulgens, aut aliis* LUCENS. Hanc agnominationem, in sola Latina Lingua esse, nemo non videt. Itaque si hoc opus versum sit è Græco, oportet hunc totum locum ab Interprete esse additum. Hoc malle videtur vir doctissimus, in Origenianorum Appendice, eo quod Interpres dicat in Prologo, opus hoc ante se ab aliis Latinè fuisse versum. At *Des. Erasmus* suspicatur esse suppositum Prologum, qua de causâ ei indignatur vir eruditissimus; quod styli congruentia probet esse auctoris Libri. Hoc nos ei concedamus, quamvis non usque adeò manifestum; sed si dixerimus hominem esse fide indignum, judice vel ipso *Huëtio*, qui eum interpositorum commentorum suorum orationi

Græci

Græci Scriptoris, quem vertebat, accusavit, nobis, ut opinor, irasci non poterit; nam deterius non est mentiri in Præfatione, quàm opus alienum tam turpiter interpolare. Certè hoc quoque mentiri est, tacitè enim affirmamus id esse Scriptoris quod Lectori, nequaquam monito nostrum esse, promiscuè cum ejus verbis legendum præbemus.

16. Atque hæc hactenus, de Indiciis ex quibus interpolata, ac supposita à sinceris & genuinis secernere licet; qua in tractatione, ita *Andream Rivetum*, & *Guil. Caveum* sequuti sumus, ut neque eorum methodum, neque exempla exscripserimus; sicut facilè intelligent quicumque nostra, cum illorum Scriptis, conferre non gravabuntur. Ceterùm non diffitemur, lectis eorum Canonibus, nostros Aphorismos à nobis esse formatos.

17. Hos autem ejusmodi visum iri confidimus, ut quisquis eos diligenter observaturus sit, vix umquam sit à vero aberraturus. Verùm ut horum Aphorismorum, quamvis per se clarorum, possit ubique auctoritas inviolata servari, fateor non mediocrem postulari eruditionem, nec exiguo tempore opus esse, ut dextrè ac feliciter iis uti addiscamus. At hæc est natura præstantissimarum quarumque Legum, ut quarum intra paucas horas justitia ac sanctitas intelliguntur, iis observandis homines nondum adsueti, tempore & meditatione egeant, ut earum jugum æquo animo ferre adsuescant. Hoc tamen interest, quod cùm necesse sit omnes esse bonos viros, & legum observantes, nemo cogatur difficillimam artium Criticam profiteri. Sed quisquis hanc excolere tentabit, eum oportet intelligere quantum in se laborem suscipiat, & quibus Legibus teneatur. Sin minus, infelicissimus erit Criticus, & pro maxima laude, quam eruditi viri hinc retulèrunt, ludibrium omnibus debebit. Hìc mihi audire videor Lectorem à me quærentem, an ipse, qui hæc scribo, lauream hinc aliquam sperem? Invidiosa hæc est interrogatio, cui quidquid reposuero captum iri me sentio. Itaque hic me sustinebo, si modò dixero me arduam ac periculosam hanc artem non profiteri; etsi profitentibus impensè faveo & eorum Scripta libentissimè dudum lego; ex quo factum est, ut fortè color aliquis Criticus mihi hæserit, & hæc aliis, potius quam mihi, scribere impetu quodam Critico aggressus fuerim.

P. III. ARTIS CRITICÆ SECT. II.

FINIS.

ARTIS

ARTIS CRITICÆ
PARS III.

SECTIO III.
De Judicio, de Stylo & Charactere Scriptoris ferendo.

CAPUT I.
De iis quæ sunt in quovis Scriptore animadvertenda, ut de eo rectè judicare possimus; déque forma scribendi Quinti Curtii.

1. CUM de dignoscendis locis & libris spuriis ageremus, diximus de iis judicaturis perspectum esse oportere stylum & characterem Scriptoris, cui tribuuntur. Nunc vero, ut qui Artem Criticam pernosse cupiunt intelligant, quæ potissimùm in quovis Scriptore sint animadvertenda; ea paullò distinctiùs hîc persequemur, exemplúmque dabimus Critici examinis ex *Q. Curtii* Historia, quam diligenter expendemus.

2. Tria in omnibus Scriptoribus, ut intelligatur penitus eorum ingenium, sunt diligentissimè attendenda. Primum est delectus rerum; alterum rerum delectarum dispositio; tertium stylus, sive eloquutio. In primo & secundo, elucent eruditio atque judicium Scriptoris; in tertio, ingenium & exercitatio in scribendo. Aliud nihil in oratione scripta quæri potest, eáque si nobis sint perspecta, tum demum eruditionem, judicium atque ingenium Scriptoris nota nobis esse verè prædicare possumus; sin minus, neque hæc novimus, & hisce ignotis nonnisi temerè de ejus ratione, formáque scribendi judicare aggredimur. Ut autem hæc nobis innotescant, non satis est nos semel atque iterum Libros ejus legere, aliud agentes; aut etiam, eo dumtaxat animo

ut

ut cognoſcamus qua de re agat, vel ut laudanda in ejus diſpoſitione ac ſtylo imitemur; ſed de induſtria, poſt unam aut alteram lectionem, diligentiſſimè verſandi ſunt, eúmque in finem ut quid rectè & ſuo loco dictum, quid ſeciùs animadvertamus, memoriæque, vel chartæ potiùs mandemus. Quin &, ſi accurati eſſe velimus, relegenda nobis ſunt aliquoties noſtra veſtigia, ut, ſi quid temerè à nobis poſitum ſit, id deleamus; ſi quid omiſſum, quod ſit alicujus momenti, id ſcribamus. Alioqui quamvis attentè Scriptorem legamus, numquam ſatis accuratè de eo judicare poterimus. Certè, ut quod mihi contigit dicam, non ſemel legeram *Q. Curtii* hiſtoriam, antequàm in eo animadvertiſſem pleraque, quæ poſtea de eo dicam. Rerum geſtarum, quas deſcribit, magnitudine animus perculſus, & ſtyli elegantiâ delinitus, aliud nihil videbat præter fortitudinem, audaciam & felicitatem Alexandri; aliud nihil audiebat, præter ſublimia verba facundiſſimi Scriptoris.

3. Sed cùm poſtea *Curtium* eo animo legerem, non ut ea cognoſcerem quæ jam mihi ſat nota erant, ſed ut quidquid habet exigerem ad ſeveras Hiſtoriæ leges & veri immutabilem normam; tum demum in eo animadverti, quæ in hac ultima *Artis Criticæ* Parte memorabo, & quibus mihi viſus ſum ita virtutes ejus & vitia complecti; ut faciem ejus operis pingere ſi aggrediar, eam omnes facilè ſint agnituri, qui id norunt.

4. Ut ergo, veluti in minore tabella, id pingam, exiſtimo *Curtium*, quicumque fuerit, nam hoc me neſcire fateor, cum diuturnam & diligentem operam arti oratoriæ dediſſet, imo fortè eam alios doceret, videretque neminem, apud Latinos, res geſtas Alexandri Macedonis, prout argumenti dignitas poſtulabat, ſcribere aggreſſum eſſe; hanc materiam elegiſſe, non tam ut accuratiſſimè hiſtoriam Alexandri ſcriberet, licet hoc quoque tentarit, quàm ut eloquentiæ ſuæ ſpecimen ederet. Eam in rem, res geſtas à domitore Aſiæ, non, ut curioſus ſingularum circumſtantiarum Lector poſtularet, ſcriptis mandavit; ſed quemadmodum eas à Rhetore ſcribi poſſe, atque oportere credidit. Itaque ubicumque potuit orationum hiſtoriæ inſerendarum occaſionem captavit, eáſque eo ſtylo conſcripſit, non qui deceret Macedonas rudes pleroſque, & militaris artis multo quam rhetoricæ ſcientiores; ſed qualis eſſet otioſi Rhetoris, qui in umbra atque in ſchola conſenuiſſet. Narrationem ipſam non ſentimus nativâ ſimplicitate, deſcriptionúmque ἀκριβείᾳ & fide placere; ſed nitore & elegantiâ vocum, & totius ſtyli ardore quodam, qui nuſquam languet, nuſquam eſt parum ornatus, aut ulla ex parte

parte neglectus. Sicubi verò vel minima occurrit occasio descriptionis, ibi hominem videas avidissimè artis suæ vela pandentem, etiam ubi omnes tacerent; præsertim in tam copioso argumento, & magnitudine ipsâ rerum, sine ornatu ullo procul quæsito, placente. Exempli causâ, multa flumina copiosè descripsit, quasi ad interioris Libyæ sitientes incolas opus hoc suum mittere voluisset; qui numquam fluvium ullum viderunt, & qui vel solis illis descriptionibus æstum, quo excoquuntur, recreare possent. Quia verò ubique res ipsæ tantæ non sunt, ut in admirationem Lectorem semper rapere queant, subinde hyperbolico stylo augentur; quem in historia mirentur quidem pueri, at rideant subactioris judicii homines. Uno verbo, elegantissimum declamatorem ubique expressit, potestque, ad verba & loquutiones quod attinet, materiam suppeditare Studiosis, quâ exornent orationem, & grandiorem faciant stylum; & fortasse id unum spectavit, in hoc opusculo.

5. At in eo desideres ferè ubique Historicum, qui diligenter omnia perquirit, seligitque tantùm digna narratu, numquam ad inania digreditur, numquam in descriptionibus rerum omnibus notarum ingenium ostentat; qui credibilia ab incredibilibus secernit, hisque aut prorsus omissis, aut breviter rejectis, credenda tantùm serio profert; qui non modò conspicua illa vitia, qualia ebrietas, crudelitas, superbia, vituperat, sed & occultioribus illis, quæ nominibus virtutum velantur, larvam detrahit, eáque deridenda omnibus præbet, qualis erat ambitio illa, quæ Alexandrum usque adeo vexavit, & belli gerendi inexhausta cupiditas; qui circumstantias omnes, rerum, hominum & locorum, quatenus licet, memorat, adminiculorúmque omnium rei bene gerendæ meminit, ut intelligat Lector, quî facta sint quæ narrat; qui omnia pro temporum ordine collocat, ut sciant Lectores quo anno, quâve tempestate anni singula gesta sint; qui denique stylum rebus accommodat, non res ipsas stylo; & simplicis Veri sacerdos, simplici oratione Numini, cujus fert sacra, litat.

6. Hæc & similia deesse *Quinti Curtii* Historiæ præstat eorum enumeratione particulatim ostendere, quàm diutiùs, generali hac descriptione, ejus nimios admiratores in nos concitare. Itaque primùm ostendemus quid in rerum delectu desit, deinde quid in dispositione meritò reprehendi possit, ac tandem eloquutionis ejus vitia describemus; quibus omnibus subjiciemus aliquot locorum apud eum, Librariorum potissimum negligentiâ, corruptorum emendationem. In hisce recensendis, eam rationem otii nostri & Lectoris habebimus,

ut

ut neque maximi quidquam momenti omittamus, neque omnia, quæ dicere possemus, huc congeramus.

CAPUT II.

Quintum Curtium fuisse Astronomiæ & Geographiæ planè imperitum, ob quam imperitiam in multis peccavit.

1. UT initium faciam à rebus ipsis, quæ in *Curtii* historia meritò castigari posse videntur; quamvis cum illis non sentiam, qui ab Historico accuratam omnium pænè disciplinarum, de quibus incidere potest sermo, cognitionem exigunt; attamen optandum est ut liberaliorum plerarumque eatenus saltem elementa attigerit, ut pudendam ruditatem deposuerit, útque à gravibus peccatis, si fortè quidpiam ex iis delibandum sit, cavere sibi queat. Duæ autem sunt disciplinæ, germanæ veluti sorores, quarum una Historico planè necessaria, altera quandoque non prorsus inutilis est, & quas tamen vix à limine salutasse videtur *Curtius*. Eæ sunt Astronomia, & Geographia, quarum planè rudem se se prodit.

2. Exemplis utrumque breviter demonstrabo; & ad Astronomiam quidem quod attinet, eum planè ejus imperitum esse oportuit, qui credidit Lunam deficere, non modo cùm Terræ umbram subiret, sed etiam cùm *sole premeretur*. Sic autem loquitur *Curtius* * de Eclipsi Lunæ, quæ contigit cùm Alexander ad Darium, secundum cum eo pugnaturus, contenderet: *Illi* (nempe, Ægyptii) *qui satis scirent temporum orbes implere destinatas vices, Lunámque deficere, cùm aut Terram subiret, aut SOLE PREMERETUR, rationem quidem ipsis perceptam non edocent vulgus*, &c. Quam etiam ignorabat *Curtius*, qui se tamen noluisset, sine dubio, cum imperito vulgo misceri.

3. Ex hac eadem Astronomiæ ignoratione, natæ sunt descriptiones regionum planè falsæ; quod nesciret sub quo Climate sitæ essent, seu quantùm à linea æquinoctiali distarent. Sic loquitur de Parapamisadis †: *Gelidissimum septentrionis axem ex magna parte spectant. Bactrianis ad occidentem conjuncti sunt; meridiana regio ad mare Indicum vergit.* paullo post: *vites*, inquit, *& arbores, si quæ in tanto terræ*

* *Lib. IV. C. X, 5.* † *Lib. VII. c. 3.*

rigore durare potuerunt, obruunt; penitus hyeme defossæ latent, cùm nive discussâ aperiri humus cœpit, cœlo, solique reddun- tur. Ceterùm adeò altæ nives premunt terram, gelu & per- petuo penè rigore constrictæ, ut ne avium quidem feræve ullius vestigium exstet. Obscura cœli veriùs umbra, quàm lux, nocti similis premit terram, vix ut quæ prope sunt conspici possint. Cetera non exscribo, nam hæc omnem ineptiam superant. Quis non dixerit à *Curtio* describi *Thulen*, aut tractum e- jusmodi intra circulum arcticum situm, vel ei vicinum? At numquam Scythiæ septentrionales partes adiit Alexander, qui vix meridianam ejus oram attigit; & Parapamisadæ, Bactrianis vicini, sunt sub clementissimo Climate, quippe inter trigesimum quartum & quadragesimum gradum altitu- dinis septentrionalis siti, quemadmodum meridianæ partes Græciæ; in quibus sanè multo magis timendus æstus, quàm frigus hibernum, quod & exiguum & breve est. Eos tractûs nunc vocant *Mawaralnahram*, quorum Metropolis est *Samar- canda*, atque omnium rerum copiâ abundare omnes qui adi- ere narrant. Si situm singulorum locorum accuratius cog- noscere aveas, adeunda eorum Arabica descriptio *Abulfedæ*, quæ est à *Joan. Gravio* edita.

4. Sed, quod omnia ἀτοπήματα multis parasangis antece- dit, idem ille *Curtius*, qui sub benignissimo cœlo glacialem Zonam & tenebras Cimmerias invenit; in tractibus ad sep- tentrionem Parapamisadarum sitis, torridam deprehendit Zonam. Sic enim iter Alexandri, per loca deserta Sogdia- norum, describit, haud multo post*: *Arenas vapor æstivi Solis accendit, quæ ubi flagrare cœperunt, haud secus quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde, immo- dico terræ fervore excitata, lucem tegit; camporúmque non alia, quàm vasti & profundi æquoris, species est. Nocturnum iter tolerabile videbatur------ceterùm cum ipsa luce æstus ori- tur, omnémque naturalem absorbet humorem siccitas,* &c. Non aliter potuisset loqui de itinere, per meridianos Persidis trac- tus, aut ad Jovem Hammonem. Certè his similia habet *Ar- rianus* Lib. VI. ubi de reditu Alexandri per solitudines *Ge- drosorum*, qui populi meridianam Persici Imperii oram, ad Oceanum Indicum, incolebant. Fortasse Gedrosios cum Sog- dianis miscuit *Curtius*, aut alium eos confundentem, nec sa- tis tempora distinguentem sequutus est.

5. Ex ignorantia Astronomiæ profluxerunt etiam τερατο- λογίαι, quas inducit dicentes Alexandri milites, ad Hypasin fluvium: † *In alium orbem paras ire, & Indiam quæris Indis*

* *Lib. VII. c. 5.* † *Lib. IX. c. 3.*

quoque

quoque ignotam; *inter feras*, *serpentésque degentes eruere ex latebris & cubilibus suis expetis*, *ut plura* QUAM SOL VIDET *victoriâ lustres*. Fuisset vix tolerabilis hyperbole, si dixissent: *quæcumque sol videt victoriâ lustres*; at hic Macedones timent ne abducantur in terras, quas numquam sol vidit; quasi minùs, aut aliter solem oriri vidissent, apud Indos, quàm apud Macedonas! Tam absurdè loquentes nunquam induxisset Astronomiæ peritus. Nec putes nostro hoc excidisse, placuit hæc illi ἔννοια; iterum enim, in sequentibus *, Macedones queruntur se *trahi extra sidera & solem*, *cogique adire quæ mortalium oculis natura subduxerit*. Nullum præmium se manere, victis tot gentibus, nisi *caliginem ac tenebras*, *& perpetuam noctem profundo incubantem*; *repletum immanium belluarum gregibus fretum*; *immobiles undas*, *in quibus emoriens natura defecerit*. Hæc possent ferri, si Macedones ita quererentur † postquàm à Caspio Mari rectà ad Septemtriones ducti fuissent, per aliquot menses, & quidem circa brumam; vidissent enim noctes præter modum augeri, & frigus intendi. Sed euntibus in Austrum, solémque quotidie altiorem supra capita cernentibus, & calorem augeri sentientibus; suspicio nulla esse potuit æternæ noctis, immobilis freti, & emorientis naturæ. Verùm homo declamitando adsuetus tam pulcrum locum prætermittere non potuit. Conferantur hæc cum iis, quæ ex Declamatoribus collegit *M. An. Seneca* Suasoriâ primâ, & germana videbuntur, ac forsan inde expressa. Illic enim deliberanti Alexandro, an Oceanum navigaturus sit, dissuadet *Avitus* hisce verbis: *Stat immotum mare*, *& quasi*, *deficiente in suo fine naturâ*, *pigra moles*; *novæ ac terribiles figuræ*, *magna etiam Oceano portenta*, *quæ profunda ista vastitas nutrit*; *confusa lux altâ caligine*, *& interceptus tenebris dies*; *ipsum verò grave & defixum mare*, *& aut nullo*, *aut ignota sidera*. *Ofcus* verò: *Tempus est*, inquit, *Alexandrum cum orbe & cum sole desinere*, &c. *Nescio quid humanis natura subduxit oculis*, *extrema nox obruit*. *Musa* denique: *fœda belluarum magnitudo*, *& immobile profundum testantur*, *Alexander*, *nihil ultra esse quod vincas*; *revertere*. Quæ omnia portentosa Astronomiæ non omnino imperitis, pulcra tamen sine dubio videbantur *Curtio*; alioquin imitatus non esset.

---

* *Lib. IX. C. IV*, 18.

† *Vide* Pedonis Albinovani *fragmentum*, *de navigatione Germanici per Germanicum Oceanum*, *apud* M. An. Senecam *Suasor. I.*

6. Nec

6. Nec dixeris illo ævo, quo vixit *Curtius*, Astronomiam satis notam nondum fuisse, ut ejusmodi errores caveri possent; quod si ad Alexandri ætatem ascenderimus, minorem etiam ejus fuisse disciplinæ cognitionem; ideóque & *Curtium* & milites Alexandri potuisse, sine dedecore, ejus modi sermones habere. Fateor inter Rhetoras, Astronomiam vulgò notam non fuisse; sed quæ scripsit *Ptolemæus*, non multò recentior *Curtio*, ostendunt sat notam fuisse, ut ejusmodi ineptiæ vitari possent; neque enim *Ptolemæus* ejus scientiæ inventor fuit, sed cultor dumtaxat & propagator. Nec talia dicere poterant milites Alexandri, inter quos erant Chaldæi, Ægyptiique Astronomiæ periti, & vicini præterea locis, de quibus ea monstra jactantur. Ac sanè *Arrianus*, qui Cœnum etiam dissuadentem Alexandro, ne ulterius pergeret, inducit Lib. V. sub finem, nullas habet ejusmodi τερατολογίας, ex solo cerebro otiosorum Rhetorum natas.

7. Nunc ut ad Geographiam veniam, quæ, quatenus saltem spectat descriptionem, sitúmque regionum, notior multò erat, quàm Astronomia; immania etiam sunt peccata, quæ in eam admisit *Curtius*. Hanc verò Historico minùs utilem esse nemo dixerit, cùm sine ejus cognitione, necesse sit ut itinera, expeditionésque exercituum perversè describat, Lectorémque locorum imperitum subinde fallat; quemadmodum facit *Curtius*, nisi Lectores à viro Geographiæ peritiore admoneantur. *Polybius* certè, antequàm manum historiæ suæ admoveret, lustrare ipse voluit loca potissima, de quibus erat loquuturus; ne in peccata incideret, in quæ delapsi fuerant veteres Historici, quibus minùs notus erat terrarum orbis. * Τὸ πλεῖον, inquit, τούτου χάριν ὑπεδεξάμεθα τοὺς κινδύνους καὶ τὰς κακοπαθείας, τὰς συμβάσας ἡμῖν ἐν πλάνῃ τῇ κατὰ Λιβύην καὶ κατ' Ἰβηρείαν, ἔτι δὲ Γαλατίαν καὶ τὴν ἔξωθεν ταύταις ταῖς χώραις συγκυροῦσαν θάλατταν. ἵνα διορθωσάμενοι τὴν τῶν προγεγονότων ἄγνοιαν ἐν τούτοις γνώριμα ποιήσωμεν τοῖς Ἕλλησι καὶ ταῦτα τὰ μέρη τῆς οἰκουμένης: Interprete Is. Casaubono: *Cùm tot pericula tantósque suscepimus labores, quantos in peregrinatione Africæ, Hispaniæ, item Galliæ, & maris externi, quà has regiones alluit, exantlavimus; id potissimùm spectavimus, ut Antiquorum ignorantiam harum partium corrigeremus, & illos quoque tractus nostri orbis Græcis hominibus aperiremus.* Superius transitu Hannibalis per Alpes narrato, † ἡμεῖς, inquit, περὶ τούτων διαθαρσῶς ἀποφαινόμεθα, διὰ τὸ περὶ τῶν πραξέων παρ' αὐ-

* *Lib. III. p. 293. Ed. Amstel.*
† *Eod. Lib. p. 280.*

τῶν ἱστορηκέναι τῶν παραγεγονότων τοῖς καιροῖς, τοὺς δὲ τόπους κατωπτευκέναι, καὶ τῇ διὰ τῶν Ἄλπεων αὐτὸς κεχρῆσθαι πορείᾳ, γνώσεως εἵνεκα καὶ θέας: *Nos autem de hisce rebus eo majore fiduciâ scribimus, quia ab illis hominibus eas didicimus, qui temporibus illis vivebant; & quòd loca ipsi lustravimus, qui, visendi studio ac veritatis noscendæ, Alpes adiimus.* Sic & *Diodorus* Siculus, initio Historiæ: μετὰ πολλῆς κακοπαθείας καὶ κινδύνων ἐπήλθομεν πολλὴν τῆς τε Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης ἵνα τῶν ἀναγκαιοτάτων καὶ πλείστων μερῶν αὐτόπται γενηθῶμεν. πολλὰ γὰρ παρὰ τὰς ἀγνοίας τῶν τόπων διήμαρτον οὐχ οἱ τυχόντες μόνον τῶν συγγραφέων ἀλλά τινες καὶ τῶν τῇ δόξῃ πεπρωτευκότων: *Cum multa molestia & periculis, peragravimus magnam Asiæ & Europæ partem, ut maximè necessarios & plerosque tractus ipsi videremus. Multùm enim locorum inscitiâ peccatum est, non tantùm à vulgo Scriptorum, sed nonnullis etiam, qui primum gloriæ decus obtinent.* Hæc quidem non à quovis Historico exigi queant, at minimùm à *Curtio* lectam oportuit descriptionem Geographicam tractuum quos subdidit Alexander; quales sine dubio multæ eo ævo exstabant, præter eas quas *Curtio* antiquiores etiamnum habemus. Nihil tamen minùs curasse videtur, quàm ut regionum, de quibus loquuturus erat, situs teneret, sicut ex re ipsâ liquebit.

8. Sic loquitur de situ celeberrimi Hammonis Oraculi, qui notissimus fuit, ut liqueat illi ignota fuisse & Clima cœli, & vicinorum sedes: * *Cœli mira temperies, verno tempori maximè similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit.* Quis nisi planè ἀγεωγράφητος ignorat eam non esse temperiem interioris Libyæ, circa vigesimum gradum latitudinis septentrionalis? At præsentiæ Dei miraculum hoc tribuebatur à nonnullis Scriptoribus; quos sequutus pueriliter *Curtius*, qui non verissima, sed παραδοξότατα solet seligere. Similia etiam † *Diodorus* Siculus ex iisdem fortè Scriptoribus hauserat. Sed *Arrianus*, haud paullo acutiore judicio præditus, quàm uterque, || ejusmodi nugas omittit.

9. Sic verò describit *Curtius* finitimarum gentium situm: Accolæ *sedis sunt ab oriente proximi Æthiopum; in meridiem versus Arabes spectant, Troglodytis cognomen est, quorum regio usque ad rubrum mare excurrit. At quà vergit ad occidentem, alii Æthiopes colunt, quos Scenitas vocant; à Septentrione Nasamones sunt, Gens Syrtica, navigiorum spoliis quæstuosa; quippe obsident littora, & æstu destituta navigia, notis sibi vadis, occupant.* Inspiciantur *Ptolemæi* Alexandrini, ac proinde eorum locorum peritioris, tabulæ, & apparebit

* *Lib. IV. C. VII.* 17. † *Lib. XVII. p.* 527.
|| *Initio Lib. III.*

ad Orientem vicinos fuiſſe Nitriotas populos, & Oaſitas Nomos, deinde ſuperiorem Ægyptum, ac tandem Arabas, qui Troglodytæ dicebantur; quos malè ad meridiem collocat *Curtius*, & amplioris æquo tractûs incolas facit. Ad meridiem erant primùm Libyes, deinde remotiores Æthiopes. Ad occidentem incolebant Naſamones, qui an vagarentur ad Syrtes uſque neſcio. Ad ſeptentrionem erant Libyes, Ægyptiis vicini, qui tractum maritimum inter Alexandriam & Cyrenas porrectum occupabant. Paullò aliter *Diodorus*, ſed tamen ad hæc magis accedit, quàm ad Curtianam Geographiam: Περιοικοῦσι κατὰ τὴν μεσημβρίαν καὶ δύσιν Αἰθίοπες, κατὰ δὲ τὴν ἄρκτον Λιβύων νομαδικῶν ἔθνος, καὶ τὸ πρὸς τὴν μεσόγειον ἀνήκον τὸ τῶν Νασαμώνων ὀνομαζόμενον ἔθνος: *Circum habitant ad meridiem & occaſum Æthiopes; ad ſeptentrionem Libyum gens erratica, ad mediterraneum vero tractum porrecta gens quæ dicitur Naſamonum.* Poſtrema verba minùs accurata ſunt, nam mediterraneus tractus & meridianus idem ſunt, & Naſamones potiùs ad occaſum erant collocandi; ne jam dicam à *Diodoro* omiſſos orientales Hammonis accolas.

10. Non peritiùs deſcribit *Curtius* iter Alexandri ex Aſſyria Babylonem verſus, decurſúmque Tigris & Euphratis. Poſtquàm narravit Arbela ab Alexandro capta fuiſſe, docet hinc profectum exercitum rectà Babylonem duxiſſe, ejúſque itineris deſcriptionem ita orditur: * *Euntibus à parte læva, Arabia odorum fertilitate nobilis regio campeſtre iter eſt.* Manifeſtùm eſt *Curtium* deſignare Arabiam Euphrati proximam, quam perperam exiſtimat eſſe odoriferam illam, ſeu quæ *Felix* dici ſolet; cùm ſit *Arabia deſerta*. Deinde falſò *à læva euntibus*, ex Aſſyria, nempe, Babylonem, Arabiam collocat; cùm ſit Arabia deſerta ad dextram, procul verò ad meridiem aromatifera.

11. De Tigri & Euphrate, paullò pòſt ita loquitur: *Ipſi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum divortio iter, quod cepere, percurrunt——Iidem, cùm Mediæ & Gordianorum terras ſecare cœperunt, paullatim in arctius coëunt*, &c. Poteſt hoc dici de Gordiæorum ſolo, at de Media dici non poteſt; quàm non modo Euphrates nequaquam attingit, ſed ne Tigris quidem, qui magis ad Orientem fluit, quàm Euphrates. Alluit Tigris occidentales partes Aſſyriæ, ſed aliquot dierum itinere, à Medorum finibus, abeſt. Scio *Diodorum* Siculum, Lib. II. dicere hos fluvios † ἐνεχθέντας διὰ Μηδίας καὶ Παραιτακηνῆς ἐμβάλλειν εἰς τὴν Μεσοποταμίαν: *Delatos per Mediam & Parætacenen, incidere*

* *Lib. V. C. 1, 11.*

† *Pag. 99. Ed. Rhodom.*

in Mesopotamiam. Sed non minùs errat, omniúmque Geographorum veterum & recentiorum auctoritate facilè potest confutari. *Paratacenen* septentrionalem tractum Persidis vocat *Ptolemæus*, quò usque porrectum fuisse Tigrim nemo somniavit.

12. Ut decursum duorum nobilissimorum fluviorum multò ampliorem facit *Curtius*, quàm est: sic & tractus terrarum nimiùm quandoque amplificat, ut cùm de Bactriana ita loquitur; * *Inflabat impios animos regio cui præerant, armis, virisque & spatio locorum nulli earum gentium secunda; tertiam partem Asiæ tenet*. Quod nemo Geographorum somniando cogitavit; nemo, præter nostrum, scripsit.

13. Sed longè maximus error *Curtii* in eo situs est, quòd *Pontum Euxinum* subinde miscet cum mari *Caspio*, & *Caucasum* cum *Parapaniso* vel *Parapamiso*; ex quo errore factum est, ut situm vicinorum omnium locorum confuderit. Scio eum à Græcis nonnullis Scriptoribus, qui haud aliter errarant, deceptum fuisse; sed nisi imperitus Geographiæ fuisset, numquam sibi tam turpiter imponi esset passus. Certè *Eratosthenes* Cyrenæus hunc eorum, qui res gestas Alexandri scripserant, errorem dudum rectè animadverterat; cui mirum est *Arrianum*, judicii ceteroqui subacti Historicum, veritum esse adsentiri, cùm res esset manifesta. Dicebat *Eratosthenes*, Macedonas, ut æquarent Alexandrum Baccho & Herculi, finxisse eum loca victoriis emensum esse, quæ illi adierant; † τὸν δὲ Καύκασον τὸ ὄρος ἐκ τοῦ Πόντου εἰς τὰ πρὸς ἕω μέρη τῆς γῆς καὶ τὴν Παραπαμισαδῶν χώραν, ὡς ἐπὶ Ἰνδοὺς, μετάγειν τῷ λόγῳ τοὺς Μακεδόνας, Παραπάμισον ὄντα τὸ ὄρος αὐτοὺς καλοῦντας Καύκασον, τῆς Ἀλεξάνδρου ἕνεκα δόξης, ὡς ὑπὲρ τὸν Καύκασον ἄρα ἐλθόντα Ἀλέξανδρον: *Caucasum verò montem ex Ponto ad orientales terræ partes & Parapamisadarum regionem, ad Indos, nimirum, Macedonas suis sermonibus transferre, & Parapamisum montem Caucasum vocare, in Alexandri gloriam, ut pote qui Caucasum superarit*. Similia animadvertit *Strabo*, Geographiæ Lib. XI. p. 348. Ed. Genevensis Casaubonianæ.

14. Ex hoc uno errore multi, ut dixi, profluxerunt, quasi ex illo fonte scaturientes, qui passim apud *Curtium*, attendentibus occurrent. Aliquot tantùm exempla proferemus, ex quibus facilè de ceteris judicium feretur. Ideo Darius, in alteris ad Alexandrum || litteris, rhetorico fumo, non regiâ gravitate, refertis inducitur dicens *transeundum esse*

* *Lib. V. c. X.* 3.
† *Apud* Arrianum *Lib. V. p.* 102. *Ed.* Henri Stephani.
|| *Lib. VI. c. V.* 4.

Alexandro Euphratem, Tigrim & Araxem, quasi *Araxes* esset remotior ad orientem, quàm Tigris; cùm sit Armeniæ fluvius, in mare Caspium ab occasu influens, ad meridiem Caucasi. Paullò post, idem Darius, ex Persarum Rege in declamatorem Asiam ignorantem subitò mutatus, quærit ab Alexandro, quando aditurus sit *Sogdianos & Arachosios, nomine tantùm notos, ceterásque gentes ad Caucasum & Tanaïm pertinentes*; cùm Darius non multò minus abesset à Caucaso & Tanaï, quàm Alexander. Sed quia notum erat Tanaïm esse ultra Caucasum ad Septentrionem, translato hoc monte ad Bactrianæ fines, fuit etiam illuc, invitâ naturâ, derivandus Tanaïs. Indidem † *Cercetæ, Mosyni & Chalybes*, populi ad ortum Ponti Euxini, meridiémque Caucasi siti, à *læva sunt* Hyrcanis; *ab altera parte Leucosyri*, hoc est, Cappadoces. Hinc inter probabiles opiniones refertur eorum sententia, qui in Caspium mare || *Mæotin paludem cadère putant*. Vice versâ fluvios & tractus Asiæ minoris, ad meridiem Ponti Euxini sitos, transfert in superiorem Asiam, meridianásque Caspio mari plagas. § *Hyrcaniæ*, inquit, *finitima gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem, Themiscyræ incolentium campos*. Quem fluvium, quámque urbem Cappadociæ esse nemo nescit. Tum quasi hæc regio & Colchis eadem esset, subdit: *Reginam habebant Thalestrim omnibus inter Caucasum montem & Phasim amnem imperitantem*; quo tamen in loco, verum Caucaso situm servat. Alibi, simili errore, dicit ** Arachosiorum *regionem ad Ponticum mare pertinere*.

15. Non multò pòst, postquàm descripsit Parapamisadarum gentem, haud aliter ac Laponiam hodie describunt, ut jam antea diximus, ait †† inde agmen processisse ad *Caucasum*; *cujus dorsum*, inquit, *Asiam perpetuo jugo dividit. Hinc simul mare, quod Ciliciam subit, illinc Caspium fretum, & amnem Araxem aliáque regionis Scythicæ deserta spectat.* Manifestò miscet *Caucasum*, cum monte *Tauro*, ut inspectæ quævis tabulæ docebunt; sed *Araxis* fluvii hic suo loco meminit, cùm alibi de eo loquatur, quasi ultra Tigrim esset. Postea tamen distinguit: *Taurus*, inquit, *secundæ magnitudinis mons committitur Caucaso, à Cappadocia se attollens Ciliciam præterit, Armeniæque montibus jungitur.* In sequentibus, miro errore, *Caspium* mare ab *Hyrcano* distinguit,

† *Lib. VI. C. IV*, 17.
|| *Ibid.* 18. § *Cap. V.* 24.
** *Lib. VII. C. III*, 4.
†† *Ibidem* 19.

|||| *Asiæ*, inquit, *omnia ferè flumina, alia in Rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hyrcanum & Ponticum decidunt.* Mox * à Pontico mari, quasi Bactrianæ vicino, ventos in eam regionem spirare ait, & quidquid sabuli in campis jacet converrere.

16. Superato *Oxo*, quem ab ortu in Caspium mare incidere notum est, Alexander procedit ad *Tanaim* amnem, quasi nullus esset proprior fluvius. Néve dubitare possimus propriè dictum Tanaim intelligi, narrat noster ab Alexandro missum Penidam quemdam ex amicis, ad eos Scythas qui Europam incolunt, denuntiaturum ne Tanaim amnem regionis, injussu regis, transirent. † Ex tota narratione, liquet *Curtium* existimasse Tanaï Bactrianam à Scythia separari; adeóque ingens illud spatium, quod à palude Mæotide ad Iaxartum fluvium, Caspio mari iufluentem ab ortu, porrigitur, pro nullo habuisse; quo errore, major nullus admitti poterat; nec plures quæremus. Excusare fortè quis tentet *Curtium*, exemplo Græcorum, quos sequutus erat; quod elevat quidem culpam, sed non tollit, nam non est Historici describere quæcumque ab aliis ante se scripta sunt, sine examine. *Arrianus* saltem sub finem Lib. III. significat postquàm nomen Tanaïs adhibuisset, alium esse Tanaïm ab eo, qui aquas in Mæotin paludem evolvit. Præterea ex allatis, manifestò liquet *Curtio* nullam planè fuisse cognitionem sitûs horum locorum, atque ab illo vera falsis perpetuò ferè mista fuisse. Fuerunt etiam qui emendationibus, aut potiùs violentis depravationibus, tentarint *Curtium* cum veriore Geographia in concordiam redigere; quasi quisquam de ejus, hac in parte, imperitia dubitare possit, aut liceat tot loca, invitis omnibus Manuscriptis, emendare! Certè si hoc liceret, passim legeremus apud Veteres, Criticorum operâ, non quæ illi scripserant, sed quæ scribere debuerant, aut quæ debuisse viderentur hodiernis Criticis.

|||| *Ibidem* 21.

* *Cap. IV*, 27. *ubi iter facientibus per Bactrianam aptat quæ de Libya dicuntur.*

† *Capp. V, VI, VII, & VIII.*

CAPUT

CAPUT III.

A Q. Curtio male eligi, quæ ſequatur, & fabulas ſubinde deſcribi.

1. CONQUERITUR alicubi *Arrianus*, οὐδὲ τοὺς πάνυ πιστοὺς εἰς ἀφήγησιν καὶ ξυγγενομένους ἐν τῷ τότε Ἀλεξάνδρῳ, ὑπὲρ τῶν γνωρίμων τε καὶ οὐ λαθόντων σφᾶς ὅπως διεπράχθη, ξύμφωνα ἀναγεγράφθαι: *Ne quidem fide digniſſimos, ad narrationem quod attinet, & qui tunc Alexandri comites fuerunt de rebus notis, neque ipſis, quomodo ſint geſtæ, latentibus convenientia ſcripſiſſe.* Quod, ex *Ariſtobuli* & *Ptolemæi* hiſtoriis prolato exemplo, probat. Nec quiſquam eſt, qui tempus aliquod in legendis Hiſtoriis poſuerit, cui plura ſimilia non concurrerint.

2. Sunt autem duo genera hominum, qui ex antiquis monumentis Hiſtorias contexere, ſeu, ut loquitur initio Hiſtoriæ *Herodianus*, πάλαι γεγονότων μνήμην ἀνανεώσασθαι, *olim geſtorum memoriam renovare* aggrediuntur. Alii, quantùm licet, veritatem expiſcari conantur, & diligenter omnia expendunt, ut veriſimillimam ſequantur narrationem, cùm non licet res exploratas proferre. Alii verò de veritate non multùm laborantes ea eligunt, quæ maximè mirabilia videntur; quia faciliùs exornari poſſunt, & grandiori orationi materiam ſuppeditant. Hi ut egregiè idem Hiſtoricus, παιδείας κλέος ἀΐδιον μνώμενοι, ὅπως μὴ σιωπήσαντες λάθοιεν εἰς τὸν πολὺν ὅμιλον ἀριθμούμενοι, τῆς μὲν ἀληθείας ἐν ταῖς ἀφηγήσεσιν ὠλιγώρησαν, οὐχ ἥκιστα δὲ ἐπεμελήθησαν φράσεώς τε καὶ εὐφωνίας. Θαρροῦντες ὡς εἴ τι καὶ μυθῶδες λέγοιεν, τὸ μὲν ἡδὺ τῆς ἀκροάσεως αὐτοὶ καρπώσονται, τὸ δὲ ἀκριβὲς τῆς ἐξελάσεως οὐκ ἐλεγχθήσεται: hoc eſt, interprete *Ang. Politiano*: *Dum famam eruditionis affectant, noménque ſuum conantur ab injuriâ oblivionis aſſerere, minùs ſanè multam in veri perveſtigatione, quàm in exornanda componendáque oratione, induſtriam poſuerunt; rati, ſcilicet, neque ſi quid, in rebus à ſuo ſæculo remotiſſimis, falſi proderetur poſſe refelli, & ſe tamen ſuavitate narrationis, ampliſſimum laboris, ingeniique ſui fructum percepturos.*

3. In poſteriorum numero fuiſſe *Q. Curtium* res ipſa oſtendit, etiam me tacente. Pauca dumtaxat exempla proferam, ceteris diligentiæ Lectoris, qui rem penitiùs cognoſcere avebit, relictis. In pleriſque prælis, in quibus victores fuere Macedones, numerum hoſtium occiſorum planè incredibilem

 profert,

profert, præsertim si cum paucitate Macedonum, quos in iis cecidisse narrat, comparetur. In prælio ad Issum commisso, * *cæsa sunt Persarum peditum centum millia, decem verò millia interfecta equitum.* Incredibilis per se est ille numerus, nam quamvis Persæ nequaquam essent, fortitudine aut scientiâ militari, æquiparandi cum Macedonibus, attamen non erant planè pecudes. Incredibilior erit, si, ut dicit *Curtius*, *ex parte Alexandri quatuor & quingenti* dumtaxat *saucii fuere, triginta omnino & duo ex peditibus desiderati, equitum centum quinquaginta interfecti.* Ut hoc esset, oportuisset gladios Persarum fuisse ligneos, nec ulla tela cuspidibus ferreis præfixa; aut Macedonas Vulcaniis armis fuisse tectos, ad quæ accidentia aut impacta mortalium fabrorum arma illico frangerentur; Macedonum verò gladios & tela non modò durissimo chalybe fabrefacta, sed numquam frustra mota, aut conjecta. Nam ipse *Curtius* docet circa Darium memorabilem editam fuisse pugnam, strenuéque certasse cùm Oxathrem Darii fratrem, tum Satrapas varios; atque in dextro cornu, primùm Persas equites superiores fuisse. Erant præterea triginta millia Græcorum, *qui haud sane fugientibus similes evaserunt.* Quis credat Persis & Græcis non fictè, saltem per breve tempus, pugnantibus, occisos dumtaxat ducentos Macedonas? Fateor ab aliis Historicis non multò minorem numerum Persarum cæsorum, nec majorem mortuorum Macedonum proditum esse; sed erat accuratioris Historici non facilè iis credere, aut si nihil verisimilius occurreret, obiter significare sibi videri non ex vero numerum illum cæsorum scriptum esse. Certè † *Arrianus* ait quidem Persarum cæsas fuisse decem myriadas, inter quas myriada equitum recenset; sed eorum qui perierunt è Macedonibus numerum non init, sine dubio quia eum pudebat stultitiæ eorum, qui ducentos aut trecentos dumtaxat Macedonas cecidisse scripserant.

4. In altero prælio, quo Alexander Darium prorsus debellavit, & in quo acrius multò pugnasse dicuntur Persæ, ‖ *cecidere*, ut ait *Curtius*, *Persarum, quorum numerum definire potuerunt victores, millia* XL. *Macedonum minùs quàm trecenti desiderati.* Hæc quoque sunt incredibilia, quamvis non usque adeò à verisimilitudine abeant ac priora. At dignus est § *Arrianus*, qui irrideatur, cùm nullâ additâ significati-

* *Lib. III. C. XI*, 27.
† *Sub finem Lib. II.*
‖ *Lib. IV. C. XVI*, 26.
§ *Lib. III. p.* 63.

catione judicii ſui, dicat narrari triginta myriadas Perſarum interiiſſe, Macedonum verò ſummùm centum. Sed rariùs ita peccat, neque ex hoc peccato, de reliqua ejus hiſtoria, judicium ferri debet.

5. Verùm *Curtius* non modò in prœliis Perſarum & Macedonum, talia habet; ſed etiam in pugna Macedonum contra Lacedæmonios, quæ narratur initio Lib. VI. Quamvis pars deſcriptionis ejus prælii interciderit, apparet tamen ex iis quæ ſuperſunt, Lacedæmonios diu victoriam dubiam feciſſe Macedonibus, ac proinde inultos nequaquam cecidiſſe. Quinimò Laconum virtutem ut pingeret *Curtius*, rhetoricos omnes colores abſumſit; attamen poſt tam pertinax prælium, *cecidere*, inquit, *Lacedæmoniorum* V *millia* & CCCLX, *ex Macedonibus haud ampliùs* CCC. Nemo hæc tulerit, qui ſciverit quâ audaciâ, & pertinaciâ pugnare ſolerent Lacedæmonii; hoc eſt, qui non fuerit in Græcorum Hiſtoriis planè tiro. *Diodorus* certè Siculus, cùm de numero Lacedæmoniorum & ſociorum cæſorum conſentiat propemodum cum Scriptoribus, quos ſequutus eſt *Curtius*, nam ſexaginta dumtaxat viros numero allato detrahit; ait cecidiſſe * τῶν μετ' Ἀντιπάτρου τρισχιλίους καὶ πεντακοσίους, *ter mille quingentos.* Crederem emendandum hinc *Curtium*, niſi ex multis aliis locis conſtaret hominem παράδοξα ſtudioſè eſſe ſectatum, quæ certè loca emendari omnia nequeunt.

6. Viſne ſcire, quâ lege hoc ſibi licere exiſtimarit *Curtius*? Audi *Ciceronem* ingenium & conſuetudinem Rhetorum, qui Hiſtorias ſcriptitabant, pulcherrimè deſcribentem: † *Conceſſum eſt*, inquit, *Rhetoribus ementiri in Hiſtoriis, ut aliquid dicere poſſint argutius*; § *ut enim tu nunc de Coriolano, ſic Clitarchus, ſic Stratocles de Themiſtocle finxit. Nam quem Thucydides, qui Athenienſis erat & ſummo loco natus, ſummúſque vir & paullò ætate poſterior, tantùm mortuum ſcripſit, & in Attica clam humatum; addidit fuiſſe ſuſpicionem veneno ſibi conſciviſſe mortem; hunc iſti ajunt, cùm taurum immolaviſſet, excepiſſe ſanguinem paterâ, & eo poto mortuum concidiſſe. Hanc enim mortem Rhetoricè & Tragicè ornare potuerunt; illa mors vulgaris nullam materiem præbebat ad ornatum.*

7. Non alia de cauſa, *Curtius* fabulas, quas in antiquioribus Scriptoribus inveniebat, & quas veri amans Hiſtoricus

* *Lib. XVII. p.* 357.

† *In Bruto, num.* 42, 43.

§ *Loquitur Atticus, reſpicitque ad id quod Cicero dixerat de morte Coriolani.*

aut

aut prætermisisset, aut commemoratas arguisset mendacii, avidè arripuit, & pro veris magnificâ oratione descripsit. Ejusmodi est fabula, quâ Thalestris Amazonum Regina dicitur ad Alexandrum ivisse, prolis suscipiendæ causâ, quam fabulam seriò narrat *Curtius* * : *Erat*, inquit, *Hyrcaniæ finitima gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem, Themiscyræ campos incolentium. Reginam habebant Thalestrim, omnibus inter Caucasum montem, & Phasin amnem imperitantem.* Peccata hîc sunt, ut antea ostendimus, immania in Geographiam, eóque absurdiora, quòd ipsum iter Alexandri, ut à *Curtio* narratur, eum in rectam viam revocare debuerat, adeóque docere inane esse quod de Amazonibus jactabatur: nam si Phasis & Caucasus ad ortum Hyrcaniæ fuissent, & interjectus tractus paruisset Thalestri; Alexandrum, in Bactrianos & Sogdianos euntem, necesse erat per ejus fines transire, & ab ea auxiliares copias exposcere, ut vicinis ejus bellum inferret; quod tamen factum non esse liquet, ex ipsius *Curtii* narratione, in qua nulla Amazonum postea mentio.

8. Pergit tamen *Curtius*, his verbis: *Hæc, cupidine visendi regis accensa, finibus regni sui excessit* (in Hyrcaniam itura, illic enim erat tunc Alexander) *& cùm haud procul abesset præmisit indicantes venisse Reginam, adeundi ejus cognoscendique avidam. Protinus factâ potestate veniendi, ceteris jussis subsistere*, CCC. *feminis comitata processit.* Cetera non describam, legent ea qui volent in *Curtio*. Non ostendam etiam esse fabulam; qui enim illico rem non olfacit naso caret, nec dignus est quem ad rectiorem sententiam revocemus. Fabulæ hujus originem ostendit olim pater meus, *Quæstionum Academicarum* II. quam, si videatur, adito.

9. Fabulosa etiam sunt, quæ de perturbatione & metu Macedonum tumidè narrantur, † cùm primùm æstum Oceani vidissent; nam res erat Græcis jam dudum nota, ut ex *Herodoto* aliisque Scriptoribus, qui ante Alexandrum vixerunt, liquet. Præterea à Persis, qui ad Oceanum usque incolebant, erántque in exercitu Alexandri, poterant moneri Macedones. Huc etiam accedit quòd æstus in mari Indico exiguus sit, nec tantos tumultus creare possit. Facilè quidem crediderim reciprocum Oceani æstum Macedonibus admirationi fuisse, sed tantas turbas creasse, quantas describit *Curtius*, quæ jam dixi me non patiuntur credere. At si rem ex vero narrasset, inutilis fuisset omnis ille rhetoricus fucus, quo eam incrustavit; & bella occasio prætermissa ostentandi, in

* *Lib. VI. c.* 5.
† *Lib. IX. c.* 9.

descriptione

descriptione inanis metûs, ingenii. Nemo etiam legisset pisces, mari destitutos, per siccum solum ambulantes. *Belluæ quoque*, inquit noster, *fluctibus destitutæ terribiles vagabantur.*

10. Non verius est quod habet, ad calcem totius operis, de cadavere Alexandri: *Septimus*, inquit, *dies erat, ex quo corpus regis jacebat in solio------Et non aliis, quàm Mesopotamiæ regione, fervidior æstus exsistit, adeò ut pleraque animalia, quæ in nudo solo deprehendit, exstinguat; tantus est vapor solis & cœli, quo cuncta velut igne torrentur. -----Ut tandem curare corpus exanimum amicis vacavit; nullâ tabe, ne minimo quidem livore, corruptum videre qui intraverant. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat vultum.* Mendacia hæc sunt adulatorum Alexandri etiam mortui, aut declamatorum figmenta; ut omnia in Alexandro inusitata viderentur, útque mors ejus Tragicè ac Rhetoricè ornari posset. Liquet hoc ex collatione aliorum Historicorum, quam suppeditabit *Joan. Freinshemius.* Addendum his silentium *Arriani*, qui in hisce accuratissimus est.

11. At hoc *Curtius*, inquies, habuit ex aliis, quos etiam laudat *Plutarchus.* Non diffiteor, neque hoc etiam reprehendo, quòd scripserit id quod ab aliis proditum reperiebat; verùm hîc additum oportuit quod alia de re dicit *Arrianus:* * Ταῦτα ἐμοὶ, ὡς μὴ ἀγνοεῖν δόξαιμι μᾶλλον ὅτι λεγόμενά ἐστιν, ἢ ὡς πιστὰ ἐς ἀφήγησιν, ἀναγεγράφθω: *Quæ quidem à me, potiùs ne videar ignorare dicta esse, quàm ut fide & narratu digna, scripta sunto.* Non dissimulandum tamen *Curtium* alicubi significasse se non omnia credidisse, quæ scriberet; verùm frequentiùs hoc dictum oportuit, quemadmodum ab *Arriano* prudenter factum est; iisque potissimùm locis, quæ attulimus, subjici debebat monitum illud, quod alibi legitur: † *Plura transcribo quàm credo; nam nec affirmare sustineo de quibus dubito, nec subducere quæ accepi.* Quod si factum esset à nostro, ejus diligentiam laudaremus, nec fidem ac judicium requireremus.

* *Lib. VII. sub finem.*
† *Lib. IV. c. I, 34.*

CAPUT

CAPUT IV.

A Q. Curtio nonnulla malè descripta esse, alia repugnantia prodita.

1. IN descriptione falcatorum curruum, quibus utebantur Persæ, hæc habentur: *Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant; utrimque à jugo ternos direxerant gladios*; quæ facilè possunt intelligi, sed sequuntur verba difficillima, nisi à proprietate vocum multùm recedamus, intelligamúsque non tam quod dixit, quàm quod dicere voluit Curtius: *Et inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum; aliæ deinde falsis summis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demissæ, quidquid obvium, concitatis equis, fuisset amputaturæ.*

2. *Inter radios*, si propriè loquamur, nihil potest *eminere*, quod motum currûs non sufflaminet. Præterea quid sibi vult, *in adversum?* An poterant eminere *spicula*, nec tamen *in adversum* esse directa? Deinde quid sunt *summi rotarum orbes?* Estne summa pars *apsidis*, vel *canthi?* Sic videtur. Sed in rotæ cantho, neque summa pars est, neque infima, dum rota movetur; quia vicibus, omnes canthi partes sunt summæ & infimæ. Sic tamen intellexit rem *Curtius*, ut sequentia ostendunt: *& aliæ in terram demissæ.* Sed quomodo ex cantho rotæ potuerunt *demitti* falces *in terram*, quæ ejus motum non impedirent? Igitur verè judicavit * *Joan. Schefferus*, hanc descriptionem esse impeditissimam; qui rectè etiam ostendit neque *Godesc. Stevechium*, neque *Matth. Raderum* potuisse pingere currus, ex descriptione *Curtii.*

3. Sed omnino videtur descriptionem currûs falcati, ad posteriorem partem quod attinet, non satis intellexisse *Curtius*, undecumque eam sumserit. Oportuit dicere non *inter radios eminuisse spicula*, sed ex cantho, seu apside rotæ; deinde ex summo axe geminas emissas falces, unam directam juxta longitudinem axis, aliam ex axe transversim ad terram demissam. Falces & spicula è rotis vel axe eminentia, & falx deorsum ex axe demissa, non modo erant ad secanda, laceranda que obvia quæcumque starent; sed etiam ad eos, qui in tumultu, curruum impressione creato, hinc atque in-

* *De Re Vehiculari Lib. II. c. 15.*

de

de non procul cecidisse poterant, etiam jacentes abscindendos.

4. Ut appareat hanc fuisse falcatorum curruum formam, aut similem, duorum scriptorum, Latini alterius, alterius Græci verbis eos describemus. Sic ergo de iis loquitur *Livius*, Lib. XXXVII. c. 41. *Falcatæ quadrigæ------armatæ in hunc maximè modum erant. Cuspides circa temonem, ab jugo, decem cubita exstantes velut cornua habebant, quibus quidquid obvium daretur transfigerent; & in extremis jugis binæ circa eminebant falces, altera æquata jugo, altera inferior in terram devexa; illa ut quidquid ab latere objiceretur abscinderet, hæc ut prolapsos, subeuntésque contingeret.* Pro hisce quatuor falcibus, *Curtius* habet *ternos gladios*, minùs quàm falces timendos. Cetera ita describit: *Item ab axibus rotarum utrimque binæ, eodem modo diversæ, deligabantur falces.* Hoc voluit *Curtius*, his verbis: *aliæ deinde falces in summis*, &c. sed quæ absurda sunt, nisi ex *Livio* intelligantur. *Diodorus* verò Siculus, de his ipsis curribus falcatis, ita loquitur * Lib. XVII. Τούτων ἑκάστου (ἅρματος δρεπανηφόρου) παρ' ἑκάτερον τῶν σειροφόρων ἵππων ἐξέκειτο προσηλωμένα τῷ ζυγῷ ξυστρα προμήκη τρισπίθαμα, τὴν ἐπιστροφὴν τῆς ἀκμῆς πρὸς τὴν κατὰ πρόσωπον ἐπιφάνειαν: *Ex singulis enim, juxta equum utrumque funalem, spicula jugo affixa, trium spithamarum longitudine, prominebant, acie in adversam (hostium) faciem conversâ.* Hæc respondent priori parti descriptionis Curtianæ, sequentia verò posteriori: Πρὸς δὲ ταῖς χαλαυκλισέσι τῶν ἀξόνων ἐπ' εὐθείας, ἄλλα δύο, τὴν μὲν τομὴν ὁμοίαν ἔχοντα πρὸς τὴν κατὰ πρόσωπον ἐπιφάνειαν τοῖς πρότερον, τὸ δὲ μῆκος μεῖζον καὶ πλατύτερον. συνήρμοστο δὲ ταῖς τούτων ἀρχαῖς δρέπανα: *In inflexionibus verò axium* (hoc est, sub ipso curru, quo loco axes currum sustinent) *alia duo spicula hærebant in rectum, quæ eodem modo habebant aciem faciei hostium obversam ac priora, sed longiora & latiora erant. Aptatæ etiam erant horum initiis falces*, hoc est, summis axibus. Crediderim hæc, aut similia, à *Curtio* non satis intellecta, præbuisse ei descriptionis absurdæ occasionem; qua de re, videndus etiam *Joan. Schefferus*, qui tamen frustra nititur emendare *Curtium*, mutato *orbibus* in *apsibus*. Mihi mirum non est hominem, declamitandi dumtaxat arte instructum, peccasse in ejusmodi descriptione; nec, reclamantibus Codicibus, peritiorem rei militaris facere voluerim.

5. Ignoscendum Rhetori, si minùs rectè descripserit, falcatas quadrigas, quales numquam viderat; verùm vix venia

* *Pag.* 530.

dignus

dignus est, cùm in aliis rebus, per se perspicuis, cespitat, secúmque non consentit. Sic describit locum, in quo alterum prælium cum Dario commisit Alexander *: *Opportuna explicandis copiis regio erat, equitabilis & vasta planities; ne stirpes quidem & virgulta operiunt solum, libérque prospectus oculorum, etiam quà procul recessere, permittitur.* His præmissis, quis crederet subjuncturum *Curtium: Itaque si quà campi eminebant, jussit æquari, totúmque fastigium extendi?* Hæc planè contraria sunt superioribus; quæ ut consentirent cum sequentibus, dicendum erat: *Ubique propemodum equitabilis & vasta planities*; deinde subjiciendum: *Quà verò campi eminebant*, &c. Verùm postea meminit etiam *editi collis*, & *montium*. † *In edito colle*, Mazæus cum delectis equitum consederat, sed paullò post ad Darium rediit. *Macedones verò eum ipsum collem, quem deseruerat, occupaverunt; nam & tutior planitie erat, & inde acies hostium, quæ in campo explicabatur, conspici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, agminum discrimina atque ordinem prohibuit prospici.* Hæc contraria sunt, nam collis & montes impediunt prospectum. Attamen similia pænè habet *Arrianus* Lib. III. ubi campos, in quibus pugnatum est, describit.

6. Cùm ad Hypasim fluvium pervenisset Alexander, || *dubitabat*, an *Macedones tot emensi spatia terrarum, in acie & in castris senes facti*, sequuturi essent; quæ si intelligantur de bellis ab Alexandro gestis absurda sunt, cùm à paucis annis regnaret, & à paucioribus bellum Dario intulisset. Nec ignorabat hoc *Curtius*, qui infrà Alexandrum ita loquentem inducit: § *Victor utriusque regionis, post nonum regni mei, post vigesimum atque octavum ætatis annum, videórne vobis in excolenda gloria, cui me uni devovi, posse cessare?* At consenuerant, inquies, in bellis à Philippo gestis, quæ sunt conjungenda cum expeditione hac Alexandri. Verùm hoc frustra commemoratur, quia Alexandro imputare non poterant stipendia, quæ sub Philippo meruerant.

7. Attamen, ne quid dissimulem, quod ad defensionem *Curtii* faciat, vox *senex* quandóque hominem non provectæ admodum ætatis significat, ut colligere est ex verbis *Livii*, ubi ita veteranum Imperatorem Annibalem loquentem inducit **: *Quod ad me attinet, jam ætas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, jam secundæ, jam adversæ res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quàm fortunam malim.*

* *Lib. IV. C. IX*, 10.
|| *Lib. IX. C. II*, 10.
** *Lib. XXX. c.* 30.
† *Cap. XII.* 19. *& seqq.*
§ *C. VI*, 21.

Verùm

Verùm postea idem Annibal, apud Carthagenienses, * *novem*, inquit, *annorum à vobis profectus, post trigesimum sextum annum redii.* Erat ergo annorum quadraginta quinque, quæ vix dicatur *senilis* ætas, si eâ voce id significemus quod vulgò γῆρας vocant Græci; at opposita pueritiæ, aut adolescentiæ, eo nomine appellari queat. Sic & in exercitu Alexandri, milites, qui ab octo annis signa ejus sequebantur, poterunt dici *senes facti*; si attigerant eamdem ætatem, quâ Annibal senem se vocabat; imo veriùs senes dici poterant, si quinquagesimo anno nomen militiæ dedissent.

8. Cœnus in oratione, quam pro toto exercitu habet, ita loquitur: *Jam tela hebetia sunt, jam arma deficiunt*——— † *quoto cuique lorica est? Quis equum habet?* Quæ non sunt hyperbolæ, sed mendacia Historiæ contraria; quæ docet non semel pugnasse postea Alexandri exercitum, quod fieri non potuit sine armis. Præterea si allata ex Macedonia deerant, potuerant alia in Asia comparari, nec dux non improvidus inermes milites esse passus esset. Itaque *Curtius* hæc verba Cœno tribuere non potuit, nisi secum ipse pugnaret, quam in rem tumido stylo videtur abreptus fuisse.

CAPUT V.

A Q. Curtio inutilia quandoque narrari, necessaria verò omitti.

1. CUM infinitæ fuerint circumstantiæ, innumerique eventus, in rebus ab Alexandro gestis, omnia hæc narrari nequeunt; non modò quia pleraque Historicis latent, sed etiam quia delectus est habendus, circumcisisque inutilibus, necessaria dumtaxat seriei Historiæ sunt narranda. In jejuno argumento, & quod nisi accersitis ornamentis adaugeretur, nudum nimis & exile videretur, possit fortean ferri descriptiones rerum vulgarium; sed in copiosa materia, prorsus sunt intolerandæ. Attamen iis, si alius quisquam, abundat *Q. Curtius*, quod paucis nobis demonstrandum est.

2. Quid est frequentius & notius fluviis? Attamen crebræ sunt eorum descriptiones, non ut singulares eorum naturas edoceatur Lector, aut quod memorabile quidpiam ad eorum ripas sit gestum, quo fiat ut fluvii sint paucis Historico descri-

---

* *Cap. XXXVII.*
† *Lib. IX. C. III*, 10, 11.

describendi; sed ut Scriptoris ingenium, in ejusmodi descriptionibus, admiremur. Sic pingit Marsyam Phrygiæ amnem: *Mediam, illâ tempestate, interfluebat Marsyas amnis, fabulosis Græcorum carminibus inclutus. Fons ejus ex summo montis cacumine excurrens in subjectam petram, magno strepitu aquarum, cadit. Inde diffusus circumjectos rigat campos, liquidus & suas dumtaxat undas trahens. Itaque color ejus, placido mari similis, locum Poëtarum mendacio fecit; quippe traditum est Nymphas, amore amnis retentas, in illa rupe considere. Ceterùm quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinet, at cùm extra munimenta se evolvit, majore vi ac mole agentem undas Lycum appellant.* Si quam difficultatem creasset ille fluvius Alexandro, aut singulare quidpiam ad eum contigisset, ferri posset illa descriptio, quamquam operosior. Sed ut intelligas quàm inutilis sit, eam legendo omittito; & videbis, eâ prætermissâ, narrationi nihil deesse. Non ægrè fero describi à *Curtio* * Cydnum amnem, qui mediam Tarson interfluebat, quòd in eo Alexander se abluere voluerit, & cùm in eum calidum adhuc corpus conjecisset, in gravissimum morbum inciderit. Non invitus, inquam, lego *Cydnum non spatio aquarum, sed liquore memorabilem; quippe leni tractu è fontibus labentem puro solo excipi; nec torrentes incurrere, qui placidè manantis alveum turbent. Itaque incorruptum, eumdémque frigidissimum, quippe multâ riparum amœnitate inumbratum, ubique fontibus suis similem in mare evadere.* Hæc enim Alexandrum invitare potuerunt, ut in eo se se ablueret, ideóque non sunt prorsus inutilia.

3. At nihil intererat describi Pasitigrin, ut ex tota serie Historiæ liquet. Sic tamen describitur; datâ enim operâ, verba *Curtii* affero, ut ex tædio legendi descriptiones fluviorum intelligat Lector, quàm pænè putidè se se eos describendi arte venditet. † *Rex*, inquit, *quartis castris pervenit ad fluvium; Pasitigrin incolæ vocant; oritur in montibus Uxiorum, & per quinquaginta stadia, sylvestribus ripis, præceps inter saxa devolvitur. Accipiunt deinde eum campi quos clementiore alveo præterit, jam navium patiens. Sexcenta stadia sunt mollioris soli, per quod leni tractu aquarum Persico mari se insinuat.* Quid vero contigit Alexandro, ad hunc fluvium? Nihil, nisi quòd illum trajecit.

4. Inferius, || non majore necessitate adactus, describit iterum nescio quos § Persidis fluvios, quos *Araxem* & *Medum*

* *Lib. III. C. IV*, 8.

† *Lib. V. C. III*, 1. || *Lib. V. C. IV*, 7.

§ *Cavendum ne Armeniæ fluvios dici putemus, manifestò enim* Curtius *agit de Perside.*

vocat.

vocat. *Araxes amnis*, inquit, *per hos campos multorum aquas torrentium evolvit in Medum. Medus à mari & ad meridiem versus, minor amnis eo quem accepit, evehitur; gignendæque herba non alius est aptior, quidquid alluit floribus vestiens. Platani quoque & populi contegunt ripas, ita ut procul visentibus continuata videantur montibus nemora riparum; quippe obumbratus amnis presso in solum dilabitur alveo, imminéntque colles ipsi quoque frondibus læti, radices eorum humore subeunte.* Non notabo hîc Geographica peccata, quæ immania sunt, nam fluvios Armeniæ transfert in Persidem, & decursum eorum absurdè describit. Sat multa exempla ejus imperitiæ, in rebus Geographicis, antea attulimus. Luxuriantem tantùm Rhetoris stylum, & fluviorum inutilibus descriptionibus nimis gaudentis, Lectori expendendum offero.

5. Fortasse condonandum magis est quod de Zioberi Hyrcaniæ flumine narrat, quia singulare quidpiam est in ejus decursu, quod Alexander experientiâ cognoscere voluit. Verùm hoc solum dicendum erat, non alia, quæ ad rem nihil faciebant. Sic verò loquitur *: *Nemus prælatis densisque arboribus umbrosum est, pingue vallis solum rigantibus aquis, quæ ex petris imminentibus manant. Ex ipsis radicibus montium Zioberis amnis effunditur, qui tria ferè stadia in longitudinem universus fluit; deinde saxo, quod alveolum interpellat, repercussus, duo itinera veluti dispensatis aquis aperit. Inde torrens & saxorum, per quæ incurrit, asperitate violentior, terram præceps subit. Per* CCC *stadia conditus labitur, rursúsque velut ex alio fonte conceptus editur, & novum alveum intendit; priore sui parte spatiosior, quippe in latitudinem* XIII. *stadiorum diffunditur, rursúsque angustioribus coercitus ripis, iter cogit. Tandem in alterum amnem cadit, cui Rhidago nomen est. Incolæ adfirmabant quæcumque dimissa essent in cavernam, quæ proprior est fonti, rursus ubi aliud os amnis aperit, exsistere. Itaque Alexander duos tauros, quà subeunt aquæ terram, præcipitari jubet; quorum corpora, ubi rursus erumpit, expulsa videre qui missi erant, ut exciperent.* Propter hoc postremum, satis erat dicere hunc fluvium postquam terram subiit, iterum exsistere. Reliqua sunt inutilia, & Rhetoris, non Historici.

6. Similiter describitur Polytimetus, fluvius Sogdianæ †: *Ingens spatium rectæ regionis est, per quam amnis; Polytimetum vocant incolæ; fertur torrens. Eum ripæ in tenuem alve-*

* *Lib. VI. c. IV. 4.*
† *Lib. VII. C. X. 2.*

um cogunt; *deinde caverna accipit*, *& sub terram rapit. Cursus absconditi indicium est aquæ meantis sonus*; *cùm ipsum solum*, *sub quo tantus amnis fluit*, *ne modico quidem resudet humore.* Possem hisce addere descriptionem fluviorum † Indiæ, sed me jam tædet laboris, in exscribendis inanibus hisce Episodiis; & Lectorem cordatiorem plura legere pigeret.

7. Si conferatur *Curtius* paullò diligentiùs, cum aliis Scriptoribus rerum ab Alexandro gestarum, & præsertim cùm *Arriano*, multæ circumstantiæ occurrent, à nostro omissæ, quæ non parum faciunt ad Historiæ seriem, résque quæ narrantur probè intelligendas. Plurimas certè memini me animadvertere, ex quibus unam, sed singularem, in medium afferam. Cùm legerem prælii ad Issum descriptionem, apud *Curtium*, nondum inspecto *Arriano*, planè mihi ex ignorantia Geographiæ errare videbatur, quemadmodum sæpe alibi; quòd circumstantiam necessariam omiserit. Ait * *eadem nocte & Alexandrum*, *ad fauces quibus Syria aditur*; *& Darium*, *ad eum locum*, *quem Amanicas Pylas vocant*, *pervenisse.* Veniebat Darius ab Euphrate, Alexander verò ab urbe Tarso. || Itaque videbatur Alexandri quidem dextrum cornu ad mare Cilicium fuisse, lævum ad montes; contrà verò Darii dextrum cornu debuisse ad montes spectare, sinistrum ad mare. Attamen Curtius § *à mari dextrum Darii cornu tectum* ait, ** lævum verò Alexandri *ad mare pertinuisse.* Hæc concoquere non poteram, nec certè ex narratione *Curtii* intelligi possunt. At conjectis oculis in *Arrianum*, tota res patuit. Narrat Alexandrum, cùm audisset in Syria ad Sochos esse Darium, *Mallo* ad *Pylas* ivisse, earúmque angustias superasse, & ad *Maryandrum* urbem castra posuisse; Darium vero, qui nesciebat ab Alexandro Amanicas Pylas esse superatas, eas transiisse ut in Ciliciam iret, & Isson occupasse. Itaque ut prælium iniretur, oportebat Alexandrum quidem ex Syria in Ciliciam redire; contrà verò Darium convertere agmen, ut Alexandro occurreret. * Ὑπερβαλὼν, ait *Arrianus*, τὸ ὄρος Δαρεῖος τὸ κατὰ τὰς πύλας τὰς Ἀμανικὰς καλουμένας, ὡς ἐπὶ Ἰσσὸν προῆγε, καὶ ἐγένετο κατόπιν Ἀλεξάνδρου λαθών: *Darius superato monte, qui est juxta Amanicas portas, ut vocantur, ad Issum duxit, & imprudens erat à tergo Alexandro.* Alex-

† *Lib. VIII. c. IX.*

* *Lib. III. C. VIII*, 13.

|| *Ut hæc probè intelligantur, oportet habere Asiæ Minoris Tabulam præ oculis.*

§ *Lib. III. C. VIII*, 27.

** *Ibid. C. IX*, 8.

* *Lib. II. p.* 34.

ander verò, re intellectâ, * προπέμπει ὡς ἐπὶ τὰς πύλας τῶν ἱππέων ὀλίγους τινὰς καὶ τῶν τοξοτῶν, προκατασκεψομένους τὴν ὁδὸν τὴν ὀπίσω, ὡς ἐπὶ τὰς πύλας. καὶ αὐτὸς τῆς νυκτὸς ἀναλαβὼν τὴν στρατιὰν πᾶσαν ᾔει, ὡς κατασχεῖν αὖθις τὰς πύλας: *Præmittit ad portas paucos equites & ſagittarios, qui viam retro relictam priùs ſpecularentur, portas verſus. Ipſe verò nocte, ſumto toto exercitu, procedebat, ut iterum portas occuparet.* His occupatis, Alexander, inſtructo ad prælium exercitu, dextrum cornu ad montes habebat, ſiniſtrum verò ad mare.

8. Res eſt clara, ſed duo in hac narratione mira ſunt, quî Darius potuerit ignorare Macedonas ad Maryandrum urbem conſediſſe; (ſi exploratores rem ignorabant, at non ignorabatur ab incolis eorum locorum, qui videntur in Darii partibus adhuc fuiſſe, eo tempore) & quî Alexander Darii exercitum Pylas tranſiiſſe ignoraverit, eumque tranſeuntem non invaſerit, cùm pars jam tranſgreſſa montes alteri auxilium ferre non poſſet; quâ ratione magnus Darii exercitus facilè ex parte, & ſine periculo, cædi potuit. Attamen ſitus cornuum utriúſque exercitûs, rem ita ſe habuiſſe oſtendit. Ea autem quò magis mira eſt, eò minùs à *Curtio* prætermitti debuit; cùm præſertim, omiſſâ tam inſigni circumſtantiâ, ejus narratio intelligi non poſſet.

9. *Unâ nocte, & Alexandrum ad fauces, quibus Syria aditur, & Darium ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, perveniſſe* dicit. Certè Syriæ portæ, ut docet *Strabo* Lib. XIV. ſunt ultra Maryandrum, Amanicæ verò non procul ab Iſſo. Sed dicendum omnino erat, factum hoc eſſe utriuſque exercitûs errore, qui hoſtem quærebat ubi non erat; quod certè dignum fuit narratu. Verùm, ut quod ſentio dicam, credibile eſt *Curtium* ſequutum Scriptorem, qui hoc omiſerat, nec tamen animadvertiſſe narrationi quidquam deeſſe. Sequentia hoc perſuadent, ubi narrat Macedonas, quos Darius oppreſſerat in urbe Iſſo, quæ erat ad occaſum Amanicarum Pylarum, & quibus manus amputaverat, *ad caſtra Macedonum penetraſſe, Darium quàm maximo curſu poſſet ſequi nuntiantes.* Non poterant nuntiare ſequi Darium, quem norant Ciliciam ingreſſum, quo tempore Alexander in Syriam ibat.

10. Interea veriſſimum eſt quod dixit *Curtius*, de ſitu utriuſque cornu exercituum, quamvis difficulter ex ejus ſola narratione intelligi queat. Hinc colligendum facillimè poſſe fieri, præſertim in brevioribus Hiſtoriis, ut ii occurrant nodi, qui vix ac ne vix quidem ſolvi poſſint; non quòd menti-

* *Ibid.* p. 35.

tus ſit Hiſtoricus, ſed quia circumſtantias omiſit, ſine quibus narrationis ſeries intelligi nequit. Quod veriſſimum eſt poteſt, ejuſmodi ſilentio, falſiſſimum videri; niſi ſit ad manum alius Hiſtoricus, qui rem pluribus narrat. Non eſt ergo facilè incuſandus Hiſtoricus mendacii, quia partes narrationis non ſatis inter ſe cohærent; oportet præterea argumenta ſuppetere, ex quibus res aliter geſta eſſe intelligatur. Si nulla ſuppetant, cohibendum judicium, réſque in medio relinquenda, donec lux alicunde affulgeat.

11. Poſſem & aliud omiſſionis genus, in *Q. Curtio*, oſtendere, ſed quod ei cum præſtantiſſimis Hiſtoricis commune eſt, quamvis cum accuratæ narrationis legibus non conſentiat. Sæpe, nimirum, ex ſerie orationis animadvertimus, in antecedentibus omiſſam eſſe circumſtantiam, ex qua quæ poſtea dicuntur pendent; quæ quidem circumſtantia interdum exigui eſt per ſe momenti, commemorari tamen ſuo loco debuit ab Hiſtorico, aut omitti quidquid intelligi difficulter poteſt, niſi præmiſſa fuerit. Omnia non ſunt in Hiſtoria dicenda, ſed nihil omittendum ab iis, qui accuratorum Hiſtoricorum laudem referre volunt, quod narrationi tenebras offundat, ſi modò id reſciri poſſit. Exempli cauſâ, *Curtius*, ubi deſcripſit quâ ratione Darius exercitum inſtruxiſſet, addit: * *uxorem, matrémque Regis & aliarum feminarum gregem in medium agmen acceperant.* Poſtea deſcribit etiam aciem Macedonicam, tum prælium. Nemo, qui eatenus leget, non credet Darii uxorem & matrem interfuiſſe prælio. At † ex ſequentibus apparet eas in caſtris interea fuiſſe, nec ſciviſſe quonam in cornu ſtetiſſet Darius. Itaque ſi vera prior illa circumſtantia, oportuiſſet *Curtium* addidiſſe, Darii uxorem & matrem vidiſſe quidem inſtructam aciem, ſed antequam claſſicum caneretur rediiſſe in caſtra. Aut ſi hanc circumſtantiam omittere voluit, & priorem prætermiſſam oportuit.

12. Alibi, ‖ in deſcriptione expeditionis, quâ ſubacta eſt Bactriana, hæc leguntur: *hinc ad Craterum, qui Artacacna obſidebat, redit*, &c. Cujus tamen obſidionis inchoatæ nullam mentionem fecit, nam quod eſt antea: *in eorum obſidione Cratero relicto*, &c. ad aliam obſidionem ſpectat. Alio in loco §, poſtquam deſcripſit Ptolemæum cum omnibus turmis Hydaſpis ripis obequitantem, quaſi vadum quæreret, ut

* *Lib. III. C. IX, 6.*
† *Ibid. C. XI, 24. & ſeqq.*
‖ *Lib. VI. C. VI, 33.*
§ *Lib. VIII. C. XIII, 18.*

manum

manum Pori distineret, dum Alexander fluvium paullò superiùs trajiciebat, subjicit illico narrationem prælii cum Poro cui prælio interest etiam * Ptolemæus, quamvis eum nusquam dixerit transiisse. At res, inquies, satis intelligitur, neque enim Ptolemæus in acie esse poterat trans Hydaspem, cum toto equitatu, nisi eum transmisisset. At mora aliqua ad hoc opus fuit, & res digna erat quæ uno verbo significaretur. Non dicam eam ab *Arriano*, ex *Ptolemæo* ipso oculato teste, aliter narrari, nam hoc non agimus.

13. Ejuscemodi omissiones non fert, sine dubio, accurata narratio; sed quia, post alios optimos Scriptores, peccat hac in parte *Curtius*, eis condonemus *Curtii* delicta, ne nimis acrem in præstantissimos viros censuram exercere videamur. Exempla hujusce rei egregius Criticus, *Jacobus Perizonius*, suppeditabit Animadversionum Historicarum Cap. IV. Unum nos addemus, quod nobis occurrit nuper aliud agentibus. Est apud *Herodianum*, Lib. II. C. IV, 1. ubi ita elegantissimus Scriptor de Pertinace: ἐπεὶ δὲ διεφοίτησεν ἡ φήμη τῶν τε λεχθέντων ὑπ' αὐτοῦ ἐν τῇ συγκλήτῳ, καὶ τῶν πρὸς δῆμον γραφέντων ὑπερήδοντο πάντες: *postea verò quàm fama vulgavit, quæ ille vel in Senatu dixisset, vel ad populum scripsisset, omnes lætabantur.* At nulla ante mentio ullius Edicti, quo populum compellasset Pertinax.

14. Animadverterunt etiam viri docti, ex collatione Historiæ Curtianæ, cum *Arriano*, aliisque Scriptoribus, qui omnes res gestas Alexandri litteris mandarunt, aut obiter attigerunt, " † *Curtium* in postremis Libris valde properare; quædam magna negotia omnino prætermittere, alia leviter attingere. Quo factum putant, ut expeditionem in alterum Porum, illius magni nepotem, cujus præter *Arrianum* etiam *Strabo* meminit, verbo tantùm signarit. Cujus rei & alia exempla proferri possent, nisi nos quoque ad hujus Opusculi finem properaremus.

---

* *C. XIV*, 15.

† *Joan. Freinshemius ad Curt. Lib. IX. Cap. I*, 8.

CAPUT VI.

Q. Curtius perperam fabularum Græcarum documenta apud Indos quærit, Asiæque remotissimis amnibus nomina Græca imponit.

1. VITIUM est Græcis & Romanis Scriptoribus commune, ut Numina sua, & fabulas in Græcia atque in Italia natas, & pænè dixerim mortuas (nam nonnisi à pueris tandem credebantur) quærant inter Barbaros; qui numquam quidquam de iis audiverant, antequàm Græci & Romani eorum regiones adirent. De eo pluribus egimus, hujus *Artis Criticæ* Part. II. Sect. I. C. XIII. Sed hic ostendemus *Curtium* nostrum ejus immunem non fuisse, & temerè etiam sequutum esse Græcos Scriptores, qui nomina habebant non vera, sed in Græcam Linguam detorta fluviorum, & locorum apud Indos, quos constat Græcæ Linguæ ignaros fuisse. Præterea eorumdem Græcorum pravam consuetudinem imitatur, qui quandoque nomina propria barbara Græcè interpretantur, & pro nominibus veris, interpretamenta sua nobis obtrudunt. Quod perinde est ac si Galli nomina Germanica nunc immutarent in voces Gallicas, nunc interpretarentur, iisque suis interpretationibus Germanicorum nominum loco uterentur. Quis verò ferret historiam Gallicam rerum à *Gustavo Adolpho*, Sueonum Rege, in Germania gestarum eo modo scriptam? Ignoscimus tamen Veteribus, qui similia peccarunt, qui id peccatum virtutibus innumeris pensant; at ita ignoscendum est, ut intelligamus esse grave peccatum; cùm sine dubio multi eos legant, qui ne hoc quidem animadvertunt.

2. Alexandro fines Indiæ ingresso occurrunt Indorum reguli, imperata facturi; * *illum tertium Jove genitum ad ipsos pervenisse memorantes; patrem Liberum, atque Herculem famâ cognitos esse, ipsum coram adesse cernique.* Si tale quid ab Indis dictum umquam fuisset, qui primi hancce historiam scripserunt, eos oportuisset nomina barbara edere, quibus utebantur Indi, nam sine dubio Græca non erant; cùm Romani, quorum eadem erat Religio ac Græcorum, quique ex Græcis orti, nec procul ab iis remoti, iisdem nominibus non uterentur; quis enim nescit *Neptunum*, *Mercurium*, *Mi-*

* *Lib. VIII. C. X. 1.*

nervam,

nervam, *Venerem*, *Cererem*, *Dianam*, &c. alia prorſus nomina, apud Græcos, habuiſſe? Quantò magis Indi aliis appellationibus Numina ſua, quæcumque tandem eſſent, vocitabant?

3. Si verum dicere licet, hæc ficta à Macedonibus crediderim, qui, ut antea ex *Erathoſthene* & *Strabone* obſervavimus, Herculi & Libero Patri Alexandrum æquare omni ope conabantur. Facetus hic eſt *Arrianus*, qui cùm mendacium olfaceret, non auſus eſt quod ſentiebat profiteri, religione veluti impeditus. Hiſce verbis, ille orditur Librum V: Ἐν δὲ τῇ χώρᾳ ταύτῃ ἥν τινα μεταξὺ τοῦ τε Κωφῆνος καὶ τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ ἐπῆλθεν Ἀλέξανδρος, καὶ Νύσαν πόλιν ᾠκίσθαι λέγουσι· τὸ δὲ κτίσμα εἶναι τοῦ Διονύσου, Διόνυσον δὴ κτίσαι τὴν Νύσαν ἀφ' οὗ τοὺς Ἰνδοὺς ἐχειρώσατο. ὅστις δὴ οὗτος ὁ Διόνυσος, καὶ ὁπότε ἢ ὅθεν ἐπ' Ἰνδοὺς ἐστράτευσεν οὐ γὰρ ἔχω συμβαλεῖν, εἰ ὁ Θηβαῖος Διόνυσος ὃς ἐκ Θηβῶν, ἢ ἐκ Τμώλου τοῦ Λυδίου ὁρμηθεὶς ἐπ' Ἰνδοὺς ἥκει στρατιὰν ἄγων. τοσαῦτα μὲν ἔθνη μάχιμα, καὶ ἄγνωστα τοῖς τότε Ἕλλησιν ἐπελθὼν, οὐδὲν δ' αὐτῶν ἄλλο ὅτι μὴ τὸ Ἰνδῶν βίᾳ χειρωσάμενος: *In hoc tractu, quem inter Cophenem & Indum fluvios ſitum ingreſſus eſt Alexander, Nyſam etiam urbem conditam ferunt; & quidem à Baccho, qui eam condiderit, poſtquàm Indos ſubegerat. Quiſnam verò is Bacchus fuerit, & quando, aut unde bellum Indis intulerit, conjicere non poſſum; ſit ne is qui Thebanus ex Thebis, an verò ex Tmolo Lydiæ profectus in Indos exercitum duxerit, qui cùm tot bellicoſas, & Græcis tunc temporis ignotas Gentes adierit, nullam ex his præterquàm Indorum vi ſubegerit.* At hæc ipſa oſtendebant Græcos Baccho Thebano, aut Lydio expeditionem in Indos ſtultè tribuere; atque hinc intelligere licebat ementitos etiam eſſe Macedonas, in honorem Alexandri ſui. Scio quidem à * viris doctis obſervatum, & eruditè probatum Bacchum eſſe Orientis Numen; ſed hic de Thebano Semeles filio agimus, quem Græci Babylonio, aut Ægyptio fortè, ſubſtituerunt. Præterea ne Orientalem quidem illum Bacchum, aut Dionyſium, quiſquis fuerit, Indis bellum intuliſſe credibile eſt, quod demonſtrare hic non aggrediar.

4. Verùm operæ pretium eſt audire *Arrianum*, qui ita pergit: Πλήν γε δὴ ὅτι οὐκ ἀκριβῆ ἐξεταστὴν χρὴ εἶναι ὑπὲρ τοῦ Θείου ἐκ παλαιοῦ μεμυθευμένων. τὰ γάρ τοι κατὰ τὸ εἰκὸς ξυντιθέντι οὐ πιστὰ, ἐπειδὰν τὸ Θεῖον τις προσθῇ τῷ λόγῳ, οὐ πάντῃ ἄπιστα φαίνεται: *Hoc tantùm cenſuerim neminem nimis accuratum cenſorem eſſe oportere eorum, quæ olim de Numine fabulis prodita ſunt. Si quis enim meritò non credibilia ſcripſerit, quandoquidem Deum admiſcet ſermoni, non planè incredibilia videntur.* Quod ſi

* *Sam. Bochart. in Phaleg. Lib. I. c. 2.*

æquum esset fieri, mendacio, interpositâ fide publicâ, concessa esset potestas pari passu cum veritate ambulandi. Mendacio enim Numen dumtaxat admiscendum esset, ut ne accuratiùs expenderetur, fidémque soli veritati debitam inveniret. At antiquis, inquies, fabulis dumtaxat is honos exhibebatur, non quibusvis mendaciis. Verùm quo jure Veteribus mentiri licuit, posteris non licebit? Quo jure vetera ἀβασανίστως excipi oportere à posteris, posteriora verò ad examen accuratum revocari contendere poterant; Ita tamen sentiebant Ethnici, ceteroqui non fatui, ut videre est ex verbis *Arriani*, cui præiverat *Diodorus* Siculus, qui Herculis historiam inchoaturus ita loquitur: * Καθόλου ἐν ταῖς ἱστορουμέναις μυθολογίαις οὐκ ἐκ παντὸς τρόπου πικρῶς τὴν ἀλήθειαν ἐξεταστέον. καὶ γὰρ ἐν τοῖς θεάτροις πεπεισμένοι μήτε Κενταύρους διφυεῖς ἐξ ἑτερογενῶν σωμάτων ὑπάρξαι, μήτε Γηρυόνην τρισώματον, ὅμως προσδεχόμεθα τὰς τοιαύτας μυθολογίας, καὶ ταῖς ἐπισημασίαις συναύξομεν τὴν τοῦ Θεοῦ τιμήν: *Universim in fabulosis narrationibus, non ex omni modo veritas acerbè exigenda est. Nam & in Theatris, cùm sciamus, neque Centauros esse, duplici naturâ diversorum generum constantes, neque Geryonem triplici corpore; tamen has tales fabulas excipimus, & plausibus nostris honorem Dei amplificamus.* Sic & Macedones honorem Alexandri mendaciis amplificandum sibi censuerunt; & Scriptores eos sequuti certatim, ex Græcanicis fabulis, Indos Alexandro blandientes induxerunt. Ejusmodi est oratio, quam iis tribuit *Arrianus*, initio Libri V.

4. *Curtius* etiam noster, de Nysæis: † *A Libero Patre conditos se esse dicebant, & vera hæc origo erat.* Quasi verò hoc constaret, ullo vel minimo indicio! *Sita est, sub radicibus montis, quem* Meron *incolæ appellant. Inde Græci mentiendi traxere licentiam, Jovis femine Liberum Patrem esse celatum.* Quæsiverim an *Meros* sit vox Indica, quam Macedones Græcam μηρὸν esse rati sint? Si sit, quidni nomen Bacchi Indicum ediderunt? Deinde cur dictus est Bacchus, non simpliciter ἐν τῷ μηρῷ τετράφθαι, sed ἐν τῷ τοῦ Διὸς μηρῷ; Sed hæc mendacia sunt Macedonum, & verisimilius est Thebanum Bacchum, ab antiquissimis Thebanis Phœnicum colonis, dictum esse ortum *è fæmore Jovis*, Phœnicîâ loquutione, quæ Hebræis frequens est, ad significandum eum è posteris Jovis fuisse.

5. Macedones non modò Bacchum, civem Thebanum, apud Indos notum compererunt, si iis credimus, sed & alte-

* *Lib. IV. Biblioth. pag.* 216.
† *Lib. VIII. C. X,* 11.

rum

rum Numen ex eadem urbe oriundum, Herculem, nimirum, ut jam vidimus. * *Herculis simulacrum agmini peditum præferebatur. Id maximum erat bellantibus incitamentum, & deseruisse gestantes militare flagitium habebatur; capitis enim sanxerant pœnam iis, qui ex acie non retulissent; metu, quem ex illo hoste quondam conceperant, etiam in religionem, venerationémque converso.* Hæc & similia habet *Curtius*, similia etiam alii; quorum nulli memorant quo nomine Indi Herculem vocitarent, quia hæc erat mera Macedonum fictio; qui ut Alexandrum etiam Herculi præferrent, jactabant Petram *Aornon*, quam cepit Alexander, † *ab Hercule frustra obsessam fuisse, terraque motu coactum absistere.*

6. Fabulam hanc esse subolfecit *Arrianus*, ita enim de Petra Aorno loquitur Lib. IV. || Λόγος γὰρ ταύτης κατέχει οὐδὲ Ἡρακλεῖ τῷ Διὸς ἁλώσιμον γενέσθαι τὴν πέτραν. Εἰ μὲν δὴ καὶ ἐς Ἰνδοὺς ἀφίκετο ὁ Ἡρακλῆς ὁ Θηβαῖος, ἢ ὁ Τύριος, ἢ ὁ Αἰγύπτιος ἐς οὐδέτερα ἔχω ἰσχυρίσασθαι. μᾶλλον δὲ δοκῶ ὅτι οὐκ ἀφίκετο (ἀλλὰ γὰρ ὅσα χαλεπὰ οἱ ἄνθρωποι ἐς τόσον δ' ἄρα αὔξουσιν αὐτῶν τὴν χαλεπότητα, ὡς καὶ τῷ Ἡρακλεῖ ἂν ἄπορα γενέσθαι) ἀληθεύειν: *Fama est ne Herculem quidem, Jovis filium, hanc capere potuisse. Ego verò an Hercules Thebanus, an Tyrius, an Ægyptius ad Indos penetrarit, nihil habeo quod affirmare possim. Potiùs tamen non eò penetrasse (quæcumque enim difficilia sunt, eorum homines difficultatem usque adeò augent, ut ne ab Hercule quidem posse fieri dicant) verum esse crediderim.* Pro *hominibus*, debebat dicere *Græcos*, nam ex Græcorum sermonibus nata erat hæc fabula, & fortasse soli Græci Herculi tribuebant decantatos illos labores.

7. *Eratosthenes* § quidem *Cyrenæus*, qui omnium acutissimè mendacia Macedonum retexit, dicebat eos ἐν τῇ τῶν Ἰνδῶν γῇ βοῦς ἰδόντας ἐγκεκαυμένους ῥόπαλον, τεκμηριοῦσθαι ἐπὶ τῷδε ὅτι Ἡρακλῆς ἐς Ἰνδοὺς ἀφίκετο: *Cùm in Indorum regione vidissent boves, quibus clavæ inustæ erant, ex hoc collegisse Herculem ad Indos pervenisse.* Crediderim potiùs rem totam confictam, aut summùm Macedonas Herculem vocasse Numen quodpiam Indorum; de quo nonnulla dicebantur ab Indis, similia iis quæ de Thebano Hercule à Græcis jactabantur. Videnda quæ de eo habet *Arrianus* in Indicis, nam nec vacat rem copiosiùs excutere, nec si vacaret operæ pretium esset.

8. Non possumus ignoscere iis, qui primi res ab Alexandro gestas scripserunt (nam minùs hac in re vituperandus

* *Lib. VIII. C. XIV*, 11.
† *Lib. VII. C. XI*, 2. || *Pag.* 98.
§ *Apud Arrianum Lib. V. p.* 103.

Curtius, qui quod neſciebat dicere non potuit) quòd appellationes Græcas, pro barbaris nominibus, paſſim habeant. Talia ſunt *Polytimetus*, * Πολυτιμητὸς, nomen fluvii Sogdianæ; † *Erymanthus*, Ἐρύμανθος, nomen fluvii Indiæ; || *Dadala* regio, Δαιδάλη; § petra ἄορνος, quo nomine lacus fuit in Epiro; ** *Echbolima*, nomen regionis, Ἐκβόλιμα; aliaque id genus plurima.

9. Pro vocibus Perſicis, Græci ſuis utebantur, quos ſequutus eſt *Curtius*, qui nomina Græca Latinæ orationi inſeruit, non ſecus ac ſi eſſent Perſica. †† *Doryphori*, inquit, *vocabantur, proximum his agmen ſoliti veſtem excipere regalem.* Non aliter loquitur in ſequentibus, prolatâ voce verè Perſicâ: *Cidarin Regium capitis vocant inſigne.* Paullò pòſt, ſimiliter dicit: *Quindecim inde, quas armamaxas appellant, ſequebantur.* Sic & alibi, de gente Indis finitima: |||| *Iter pronuntiari jubet in Agriaſpas, quos jam tunc mutato nomine Euergetas appellabant: ex quo frigore, victûſque penuriâ Cyri exercitum affectum tectis & commeatibus juverant.* At nemo neſcit Cyrum Græcè non eſſe loquutum, & notum eſt ex *Herodoto* Lib. VIII. C. 85. bene de Rege meritos ſolitos eſſe *Oroſangas*, Perſicâ Linguâ, vocari.

10. Rectè feciſſent & Græci Scriptores & *Curtius*, ſi, quoniam Perſica vocabula neſciebant, dixiſſent vocatos eos, quos diximus, nominibus Perſicis; quæ idem ſignificabant, quod vocabula Græca, quæ Perſicorum loco protulerunt. Satius etiam fuiſſet *Curtium* Græca vocabula Latinè interpretari, ne, ab imperitis Linguæ Græcæ, Græca vocabula barbara ipſa nomina eſſe crederentur.

CAPUT VII.

A Q. Curtio perperam omiſſos eſſe annos & tempeſtates, quibus ſingula geſta ſunt.

1. DUO ſunt Hiſtoriæ veluti oculi, quorum utroque quidem demto, per denſas tenebras videtur ambulare; alterutro verò, ſine graviſſimo incommodo, carere non poteſt. Alter eſt Geographia, quâ locorum, quorum incidit mentio, ſitus notatur; alter vero Chronologia, quâ anni ab

* *Lib. VII. C. X*, 2. † *Lib. VIII. C. IX*, 10.
|| *C. X*, 16. § *C. XI*, 2. ** *C. XII*, 1.
†† *Lib. III. C. III*, 15. |||| *Lib. VII. C. III*, 1.

inſigni

inſigni Epocha numerantur, tempeſtatéſque annorum, quibus quæque geſta ſunt, ſtudioſè adduntur. Quanti quidem momenti ſit Geographia antea probavimus, cùm peccata à *Curtio*, in eam diſciplinam, plurima eſſe oſtendimus. Chronologiam verò non minùs ab eo neglectam eſſe, hoc in Capite, probabimus. Quibus ex rebus conſectarium hoc colligi poterit, Curtianam Hiſtoriam multum abeſſe à forma ejus Hiſtoriæ, quæ pro exemplari ſcribentibus proponi queat. Scio alios è Veteribus poſſe proferri, qui neque annos, neque annorum tempeſtates uſpiam deſignarint, quique in pretio tamen habentur. At laudentur cetera, per me licet, modò ne elevetur culpa, quâ vix major ulla eſſe poteſt in Hiſtoria. Quis enim intelligat quomodo quidpiam geri potuerit, præſertim in calidioribus oris, niſi tempeſtas anni indicetur? Quis conſtantiam ac fortitudinem militum, aut nimios calores ferentium, aut cum frigore acerrimo conflictantium? Quis ducis providentiam, in adminiſtranda re frumentaria, pabulationibúſque regendis? Quis celeritatem, quæ maxima eſt Imperatoris virtus, & quæ ſumma in Alexandro fuit, aſſequatur; ubi nulla eſt annorum, quibus quæque geſta ſunt, ſignificatio?

2. *Curtius* tamen, in iis quidem quæ ſuperſunt, utrumque planè neglexit, nec ex ejus Hiſtoria rerum geſtarum annos & tempeſtates colligere licet, niſi conjiciendo, aut ex diligenti obſervatione eorum quæ narrat; ſi fortè aliud agens quidpiam dicat, ex quo intelligere queamus tempus, quo factum eſt id de quo loquitur; aut denique ex ſerie Hiſtoriæ. Neſcio an in prioribus Libris, qui temporum injuriâ interciderunt, Chronologiam rerum ab Alexandro geſtarum tradidiſſet; cùm tamen conſidero quæ ſuperſunt, vix opinor in aliis accuratiorem fuiſſe. Nam aut ſuis locis indicanda ſunt tempora, aut nuſquam. Scio à Chronologis res Alexandri in ſuos annos eſſe digeſtas, atque hinc lucem *Curtio* peti poſſe; ſed imputari ei non poteſt, quod ex aliis potiſſimùm Hiſtoricis hauſtum eſt. Hic verò tentabimus ex illo ſolo tempora digerere, ut appareat & quàm neglectim, hoc in negotio, ſe geſſerit, & quàm utile fuiſſet ſingularum rerum tempora accuratè deſcribi.

3. Tempore Iſſici prælii, ut hinc, initium faciamus, quia in ſuperioribus nullum occurrit tempeſtatis anni indicium, inſtabat hyems; paullò enim ante prælium, ſuadentibus Græcis dividere copias, reſpondet, inter alia, Darius, * *trahendi belli vix ullam eſſe rationem; tantæ enim multitudini*,

---

* *Lib. III. C. VIII*, 8.

utique

utique cùm jam hyems instaret, in regione vasta, & invicem à suis atque hoste vexata, non suffectura alimenta. Liquet hoc ex sequentibus, nam non multò post prælium, dicuntur * *Gangabæ*, sic Persæ vocabant humeris onera portantes, Damasco egressi, ut gazam regiam inde efferrent, *cùm frigus tolerare non possent (quippe & procella subitò nivem effuderat, & humus rigebat gelu) tum adstrictas vestes, quas cum pecunia portabant, auro & purpurâ insignes, induisse.* Possemus ex *Arriano* ostendere rectè à *Curtio* tempus hîc indicatum; sed oportuit, datâ operâ, id factum, non colligendum Lectori relictum.

4. Postea, ut initio Libri quarti docet, Syria subacta est, tum Phœnice, exceptâ Tyro, quæ ab Alexandro obsessa est. Initium hujus obsidionis, vix ante veris initium, fieri potuit. Statuamus Martio mense inchoatam, † *Tyrus septimo mense, quàm oppugnari cœpta erat, capta est.* Itaque Septembri expugnata fuerit. Post tam difficilem, támque longam obsidionem, Alexandri exercitui aliquot diebus ad quiescendum opus fuit, præsertim cùm esset in Climate multò calidiore, quàm Macedonia.

5. Postea Alexander ivit ‖ obsessum Gazam, quam præfectus *Betis* acriter defendit; machinisque admotis, & vi superatus est. Ponamus exercitum antea per mensem quievisse, ac proinde initio Novembris demum cœpisse Gazensem obsidionem, & per mensem unum durasse; Alexander Ægyptum, nonnisi mense Decembri, aut Januario sequentis anni, ingredi potuerit. § *Septimo die, postea quàm à Gaza copias moverat, in regionem Ægypti, quam nunc castra Alexandri vocant, pervenit.* Non multo opus fuit tempore, ad invadendam Ægyptum, ejúsque res componendas; cùm Ægyptii à Persis illico defecerint, nec Persæ Alexandri adventum sustinuerint, neque is quidquam ex patrio Ægyptiorum more mutarit. His peractis, Alexander adire Oraculum *Hammonis* statuit; quod eò faciliùs tunc fieri potuit, quòd tempus ejus itineris incidebat in finem hyemis, vel veris initium. Illo enim tempore, tolerandi sunt Libyæ calores; per quam homines Græci, adulto vere, aut æstate, impunè iter numquam fecissent. Digna res erat, quæ ab Historico notaretur; at si eam animadvertisset *Curtius*, periisset illi æstûs insoliti descriptio: ** *Sol omnia incenderat, siccáque & a-*

* *Lib. eodem, C. XIII*, 7.
‖ *Lib. IV. C. VI.*
** *Lib. IV. C. VII*, 13.
† *Lib. IV. C. IV*, 19.
§ *Ibid. C. VI*, 3.

dusta

ducta erant omnia; cùm repente, sive illud Deorum munus, sive casus fuit, obductæ cœlo nubes condidere solem; ingens æstu fatigatis, etiamsi aqua deficeret, auxilium. Enimverò ut largum quoque imbrem excusserunt procellæ, pro se quisque excipere eum, quidam ob sitim impotentes sui, ore quoque hianti, captare cœperunt.

6. *Curtius* non addit quamdiu Alexander in Ægypto manserit, neque quod tempus absumserit in itinere ad Euphratem, neque quo loco eum fluvium trajecerit. Ait dumtaxat eum *undecimis castris* pervenisse ad Euphratem, sed unde cœperit numerare castra non dicit. At paullò ante prælium ad Arbela, Eclipsin Lunæ * in iis locis conspectam docet. Collegit autem † *Jos. Scaliger* cùm ex rationibus Astronomicis, tum ex aliis Scriptoribus, anno Periodi Julianæ 4383. Septembris vigesimo die, visam. Igitur Alexander æstatem absumserat in Ægypto, & in itinere ad urbem *Thapsacum*, ubi Euphratem transiit, atque ab Euphrate ad Tigrin, ultra quem, ad ortum, commissum est prælium. Factum id est, ut alii docent, undecimo die, postea quàm conspecta esset Eclipsis.

7. Paullò post victoriam, Alexandro ‖ tradita sunt Arbela, hoc est, initio Octobris; iisque locis Alexander, ut quiesceret exercitus, per aliquot dies mansit. § *Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadaverum totis jacentium campis vulgaverat, maturiùs castra movit.* Cùm jam ergo hyems instaret, Alexander Babyloniam ingressus; quod ejus exercitui multò commodius fuit, quàm si æstate in fervidiores tractus ivisset. Illic *exercitus ille domitor Asiæ per* XXXIV. *dies saginatus* est. Igitur reliquum annum Babylone transegit, neque quidquam aggressus est, nisi sequente anno.

8. Initio anni Periodi Julianæ 4384. Alexander ivit in *Satrapenem*, ut habet *Curtius*, aut potiùs *Sittacenen*, ut suadent sequentia. Regio est inter Cossæos & Babylonios, ad ortum Tigris, §§ *copiâ rerum & omni commeatu abundans. Itaque diutiùs ibi substitit, ac ne desides otio dimitterent animos, judices dedit, præmiàque proposuit, de virtute militari certantibus.* Hîc fuerunt hiberna Alexandri, in quibus milites refecit, & præter alia negotia, rei frumentariæ sine dubio providit; quamquam hæc omnia tacet *Curtius*; quasi Alexandri milites ignorassent tempus hibernorum, & sine commeatu quocumque jubebantur ivissent. Statim postea *Susa* profectus est, quæ ei sunt illico dedita. Sine dubio

* *Cap. X.* 2. † *De Emend. Temporum Lib. V. p.* 420. *Ed. Rover.*
‖ *Lib. V. C. I,* 10. § *Ibid. II.* §§ *Cap. II,* 2.

jam

jam ver erat, & in Climate calidiore, licèt montibus referto, nullæ amplius erant nives, quæ quominùs ſuperarentur montes obſtarent. Itaque Alexander ingreſſus eſt montana * *Uxiorum*, Madatémque regionis præfectum, non ſine certamine, ad deditionem compulit. Illinc *quinto die* ad † *Suſidas Pylas* pervenit quas, defendente Ariobarzane, ægrè ſuperavit; unde rectà || *Perſepolin* ivit, quæ ei è veſtigio dedita eſt.

9. Occupatâ & direptâ Perſepoli, Alexander § *cum mille equitibus, peditúmque expeditâ manu, interiorem Perſidis regionem, ſub ipſum Vergiliarum ſidus petiit; multiſque imbribus & prope intolerabili tempeſtate vexatus, procedere tamen quò intenderat perſeveravit. Ventum eſt ad iter perpetuis obſitum nivibus, quas frigoris vis gelu adſtrinxerat.* Quo frigore non parum vexati ſunt milites, ut multis narrat *Curtius*; qui occaſionem ejuſmodi deſcriptionum nullam prætermittit. Ex re ipſa, colligere eſt debuiſſe dicere, *ſub occaſum Vergiliarum. Plinius* Hiſt. Nat. Lib. II. c. 47. *Poſt id æquinoctium* (Autumni) *diebus ferè quatuor & quadraginta, Vergiliarum occaſus hyemem inchoat, tempus in III. Idus Novembris incidere conſuevit.* Phraſis Curtiana *ſub ipſum ſidus*, ſignificat potiùs, paullò ante exortum ſideris, quàm paullò poſt: ut alibi, apud eumdem, *ſub lucis ortum*, eſt paullò ante lucem. Quo ſenſu dixit etiam *ſub ortum diei*, *ſub noctem*, aliáque, quæ vide in Freinſhemiano Indice. Fortè credidit *Curtius* tum oriri Vergilias, cùm occidunt; nam de ortu, ſi notum ei fuit ejus tempus, cogitare non potuit. *Plinius* ibidem: *Datus eſt huic* (ſubſolano) *exortus Vergiliarum ſub totidem partibus Tauri, ſex diebus ante Majas Idus.*

10. Alexander, eâ expeditione, reliquas partes Perſidis in poteſtatem ſuam redegit. ** *Itaque trigeſimo die, poſtea quàm à Perſepoli profectus erat, eodem rediit*; hoc eſt, menſe Decembri. Perſepoli hiemavit Alexander cum exercitu, eámque incendit.

11. Anno Periodi Julianæ 4385. initio veris, Alexander Darium, cui pluſquàm integrum annum ad reparandum bellum (quod obſervatu dignum fuit) conceſſerat, perſequi iterum cœpit. Interea accepit varia militum ſupplementa, qui-

---

* *Cap. III.* † *Ib.* § 17. || *Cap. V.* § *Cap. VI.* §. 12.

** *Ibidem* §. 19. *Mardorum ſubactionem hîc malè collocat* Curtius, *cùm ſubigi non potuerint, niſi ſubactâ Hyrcania, cujus ad Caſpii maris meridiana littora, vicini erant. Ideò* Curtius *idem iterum repetit Lib. VI. c. V, 11. quaſi gemina eſſet Mardorum gens, quam unam memorant omnes alii.*

bus

bus imminutum exercitum præliis, belli vexationibus, & morbis, ipse quoque auxit; Gazas Persicas invasit, quarum ope amplissimis præmiis suos donare potuit, & vel totam Græciam in orientem allicere, proposita spe mercedis; fertilissimásque Persici imperii provincias subegit, unde ei ad ulteriores eunti commeatus subvehi possent. Primum ergo in * Mediam movit, quò fugerat Darius; † cùm vero audiret Darium in Hyrcaniam contendere, eò iter ipse quoque intendit, eúmque jam interfectum adsequutus est. Hoc initio æstatis contigisse oportet, cùm Alexander summâ celeritate Darium sequutus sit, nec totum exercitum exspectarit.

12. || *Ut primùm instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum quàm quietis otiique patientior, excepere eum voluptates; & quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempestiva convivia, & perpotandi, pervigilandique insana dulcedo, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapsa sunt morem.* Ita cœpit vitam instituere, potissimum post mortem Darii; tametsi in Perside, eo etiamnum vivo, pergræcatus non semel fuerat, regiámque Orientis Persepolin ebrius combusserat. Eo loco, quo Darium adsequutus fuerat, ubi ita genio indulgebat, recensuit captivos, nobilésque à plebeiis secrevit. Aliquot diebus ita absumtis, ** *in Parthienen pervenit*, atque in urbe, *eâ tempestate clara, Hecatompylo, condita à Græcis, stativa habuit, commeatibus undique advectis.* Ortâ seditione otiosi exercitûs, eáque compressâ, castra illinc tandem mota, adultâ, ut videtur, æstate; †† *tertióque, per Parthienen, die, ad fines Hyrcaniæ penetrat.* Castra in valle communiuntur, |||| & *quartum jam diem eodem loco quietem militi dederat*, cùm litteras Nabarzanis accepit. Inde ulterius in Hyrcaniam ingressus est, in qua ad autumnum mansit, ut liquet ex hisce *Curtii* verbis: §§ *Præter alios commeatus, quorum tum copiâ regio abundabat, pomorum quoque ingens modus nascitur, & uberrimum gignendis solum est.*

14. In Hyrcania nemo occurrit, qui bellum moveret; tamen tempore opus fuit, ut peragraretur. At Mardi vicini, vi admotâ, terrendi fuere, ut se dederent; quibus in fidem acceptis, ** *quinto die*, Alexander *in stativa revertitur.* Huc eum invisit Thalestris, si *Curtio*, & vanioribus Historicorum credamus; cujus libido Alexandrum, †‡ *ut paucos dies subsisteret, perpulit; tredecim dies in obsequium desiderii ejus absumti sunt. Tum illa regnum suum, Rex Par-*

* *Cap. VII*, 12. † *Cap. XIII*, 2. || *Lib. VI. C. II*, 1.
** *Ib.* §. 11, & 15. †† *Cap. IV*, 2. |||| *Ib.* 8.
§§ *Ib.* 21. ** *C. V.* 21. †‡ *Ibid.* 32.

thienen

thienen petiverunt. Tametsi hæc falsa sunt, & ficta à Græculis; tamen colligere fortè ex hisce liceat, Alexandrum aliquamdiu in Hyrcania fuisse, post subactos Mardos.

15. Ex Parthiene ivit Alexander in Bactrianam, * quam sub finem autumni partim subegit, non sine labore. In ea regione † *jam stativa erant, cùm externâ vi non interritus modò rex, sed invictus, intestino facinore petebatur*; conspiratione, nempe, suorum, cujus princeps erat Philotas Parmenionis filius. Ad quæstionem habendam, plectendósque reos, aliquot diebus opus fuit. Jam hyems aderat, nec eo seciùs Alexander iter pronuntiari jubet in Agriaspas, in quorum fines ex Bactriana quinto die pervenit. Hos & vicinos subegit, ac *sexaginta diebus gentem Euergetarum ordinavit*; in cujus agris proinde, per magnam hyemis partem, consedit.

16. Anno sequente, Periodi Julianæ 4386, brevi expeditione, hyeme etiamnum durante, sed in illis oris nequaquam gravi, domiti sunt || *Arachosii.* Potuit tamen fieri ut, mense Februario aut Martio, in montanis oris frigus insolitum senserint Macedones; cùm rarum non sit frigus hibernum quandoque initio veris oriri, sed non diuturnum. Cùm ergo ver adventaret, non mirum est Alexandrum ausum esse in § *Parapamisadas* novam expeditionem suscipere; apud quos tamen, si credimus *Curtio*, initio veris (nam rerum series & verba Historici allata id evincunt) maximo frigore vexatus est exercitus. Verùm qualecumque fuerit, diuturnum, ut dixi, esse non potuit; nec usque adeò insaniebat Alexander, cupiditate gloriæ, ut mediâ hyeme, jam mortuo Dario, occupataque longè maximâ parte, eâque ditissimâ Imperii Persici, exercitum periculis famis & frigoris, sine ulla necessitate, objiceret. Scio Bessum in vivis fuisse, sed qui non veritus erat annum integrum Dario, ad reparandum bellum concedere; an is usque adeò timebat Bactrianæ præfectum, ut unum aut alterum mensem hiberni temporis ad quiescendum exercitui suo dare non posset? Tantopere eum festinasse, cum pernicie suorum, tam mihi credibile est, quàm Parapamisadarum regionem *gelidissimum septentrionis axem spectare.* Profectò & *Curtius* & Græci, quos sequutus est, tempestatis anni majorem rationem non habuerunt, quàm Climatis. Somniabant Alexandrum esse ad Caucasum montem, & quidem mediâ hyeme; cúmque magna illic frigora & longas hyemes audissent esse, & rhetorico more omnia augerent, intolerandum frigus, unà cum Caucaso in Indiam fe-

* *Cap. VI.* † *Lib. VII. C. III*, 1. *& seqq.*
|| *Ibid.* 4. § *Ibid.* 6.

rè

rè transtulerunt, & quidem in ea loca, in quibus Macedones potiùs præmaturum æstum timere potuerunt.

17. Inde Alexandri * agmen processit ad Parapamisum montem, quem, ut diximus, Caucasum vocavere Macedones, & *septemdecim dierum spatio* eum *superavit*. Aufugit Bessus trans Oxum, & Bactriana Alexandrum excepit, qui Oxum quoque trajecit, & ad † *Tanaïm* usque, hoc est, Iaxartum, varias gentes subegit, atque in fidem accepit; sed non sine sanguine & labore. || Scytharum legationem deinde excepit, iisque trajecto Tanaï bellum intulit, prælioque eos superavit. Iterum Tanaï trajecto, in Bactrianam rediit, quam, cùm denuo rebellasset, recepit, ut & Sogdianam, cujus inaccessam petram stratagemate ad deditionem compulit.

18. Huc usque Historiam Alexandri perducit *Curtii* Liber VII. nullo planè indicio tempestatum anni addito, post illud quod §. 16. ex frigoris descriptione colligere licuit. Sed hæc, sine dubio, æstatem & autumnum anni memorati absumserunt, & fortè partem hyemis anni sequentis. *Arrianus* certè Alexandrum Nautacis in Sogdiana hibernasse docet; ἅμα δὲ τῷ ἦρει ὑποφαίνοντι προὐχωρῆσαι ὡς ἐπὶ τὴν ἐν τῇ Σογδιανῇ πέτραν, *imminente verò vere, ad Petram Sogdianam profectum.* Itaque ante hujus Petræ deditionem, collocandum initium anni Periodi Julianæ 4387.

19. Subactis prorsus Sogdianis & vicinis aliis populis, Alexander § *Maracanda* in Bactrianam repetiit, ubi stativa habuit. Illic occisus est Clitus, & ** *decem dies consumtos*, ait *Curtius*. Addit illinc †† *cum parte exercitûs Hephæstionem in regionem Bactrianam missum, commeatus in hyemem paraturum*, quasi Maracanda in Bactriana non fuissent. Sed hoc omittimus, ut observemus circumstantiam, de parando commeatu in hyemem, aut omitti debuisse, aut ita exprimi ut intelligeremus de cujus anni hyeme verba fierent. Nisi enim cùm ex rebus gestis, tum ex *Arriano*, constaret integrum annum absumtum, ab expeditione in Parapamisadas ad deditionem Sogdianæ Petræ, nemo non crederet loqui *Curtium* de hyeme anni superioris. Itaque quod intra biennium confecit Alexander, id videretur, præter omnem verisimilitudinem, anno vertente gestum.

20. Captâ Sogdianâ Petrâ, |||| Massagetæ, Dahæ & ceteri Sogdiani sunt subacti. Transfugæ Bactriani & Sysimitres

* *Ibid.* 19. & 22. † *Cap. VI.* || *Lib. IV. p.* 91.
§ *Lib. VIII. C. I*, 7, 10. ** *Cap. II*, 12. †† *Ibidem.*
|||| *Lib. VIII. C. I, II, & III.*

ad incitas sunt redacti, aliaque gesta, quæ apud *Curtium* legi poterunt. * *His compositis, Alexander tertio mense ex hibernis movit exercitum, regionem quæ Gabaza appellatur aditurus.* Factum hoc initio oportet anni Periodi Julianæ 4387. In itinere oppressit Macedonas gravissima tempestas, quam tumidè describit *Curtius*, ut solet. Hinc Alexander † *Sacas* petiit, eorúmque regionem diripuit. Tum ingressus tractum, cui Cohortanus præerat, eum in fidem accepit, ejúsque filiam Roxanen duxit. Ab eo tempore, de bello Indis inferendo, cogitare cœpit ; ‖ & ne quid à tergo quod destinata impedire posset moveretur, ex omnibus provinciis triginta millia juniorum legi jussit & ad se armata perduci, obsides simul habiturus & milites. Interea rebelles nonnullos domuit, & vicinos tractus subegit. Statuere videtur *Curtius* Alexandrum, antequàm Indiam ingrederetur, delectum illum accepisse ; nam § *CXX. armatorum millia* eum sequuta ad id bellum ait. Si verum hoc est, dudum antea delectum haberi jusserat, nam si ex omnibus Provinciis Imperii quod subegerat exspectandi fuissent milites, per annum illic fuisset desidendum. Interim Hermolaus in Alexandrum conspiravit, & pœnas cum consciis conspirationis dedit.

21. Jam sine dubio æstas instabat, aut etiam inchoata erat, cum Alexander in Indiam movit. ** Multis eam expeditionem, ad devictum usque Porum, describit *Curtius* ; sed nullum discrimen æstivorum aut hibernorum occurrit, nec indicium temporis ullum. At cùm ampla non esset regio à Cophene ad Acesinem, & imbelles populi ; non multo tempore Alexander indiguit, præsertim cum tanto exercitu, quem dividere sine periculo poterat. Itaque hæc, intra æstatem & autumnum anni memorati, fieri potuerunt. Hoc si apertè dixisset *Curtius*, gloriam Alexandri minuere fortè se existimasset ; certè, quæ de nonnullorum Indorum robore & fortitudine dixit, vana visa fuissent.

22. Hibernorum hujus anni nulla apud *Curtium* mentio fit, quam crederem datâ opera omissam, propter calorem Climatum, in quibus versabatur Alexander, si Indiæ situs *Curtio* notus fuisset, & nisi alibi, cum in ora esset Alexander multò magis meridiem spectante, dixisset Alexandrum *ver exspectasse*, ut postea videbimus. Itaque ex rebus gestis ductâ conjecturâ, statuemus Alexandrum hunc annum & sequentem, in domandis Indis, peragrandisque eorum regionibus, absumsisse.

---

* *C. IV. 1.* † *Ib.* §. 20. ‖ *Cap. V, 1.* § *Ibid.* 4.
** *A Capite IX. ad finem Libri VIII.*

23. Quæ

23. Quæ gesta sunt à domito magno Poro ea brevius à *Curtio* narrantur, ut antea diximus; neque nos eorum compendium hîc proponemus. Legantur in Libro IX. *Curtii*, & pars eorum conferatur in annum Periodi Julianæ jam memoratum, aut omnia, si ita videatur, in annum 4388. * Cum Alexander evectus esset in Oceanum, quadringenta stadia, ex ostiis Indi fluminis, adversum fluvium subiit classis, & altero die adpulsa est, haud procul lacu salso. Leonnato deinde præmisso, ut puteos foderet, quà terrestri itinere ducturus exercitum videbatur, quippe sicca erat regio, ipse cum copiis substitit, *vernum tempus exspectans.* At satius fuisset hibernâ tempestate iter facere, per ea loca, in quibus vix ulla est hyems, si conferatur cum Europæis, & ver æstates Græciæ sine dubio calore æquat. Sed, miro errore, *Curtius* credidit maritimos Indiæ tractus, in quibus versabantur tunc temporis Macedones, ad Septemtriones spectare. † *Quæ propiora sunt mari*, inquit, *Aquilones maximè deurunt; ii cohibiti jugis montium ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mitia.* Contrarium voluit dicere, nam australibus ventis maximè uruntur littora Indiæ; iique, jugis demum montium septentrionalium, impediti non penetrant ad Indi fontes; circa quæ loca in *Kassemiræ* regno, vicinisque, fertilissimi sunt tractus, & Boreâ refrigerati. Hîc demum nives adspiciuntur, nam ad austrum montium, quibus cinguntur, præ calore non ningit. Non minus falsa sunt, quæ habet *Curtius* in sequentibus: *Adeò in illa plaga mundus statas temporum vices mutat, ut cùm alia fervore solis exæstuant, Indiam nives obruant; rursúsque ubi cetera rigent, illic intolerandus æstus exsistat.* Si India, tempore *Curtii* nota, fuisset in meridianis illis oris, ultra Tropicum Capricorni sitis, quas navigationes nostræ nondum adierunt, hæc possent ferri; sed nemo nescit quæcumque adiit Alexander, ea esse cis Tropicum Cancri, in ceteris verò Indiæ partibus, inter hunc Tropicum & Æquatorem sitis, nullas esse nives.

24. In ceteris, ad mortem usque Alexandri, narrandis, multò brevior est *Curtius*, ut ex *Arriano* & supplementis Freinshemianis liquet. Sed omnia videntur geri potuisse, intra annum Periodi Julianæ 4389. & sequentem ad mensem usque Novembrem, quo mortuus Babylone Alexander, & quidem duodecimo die, feriâ primâ, ex calculo || *Jos. Scaligeri.*

* *Lib. IX. Cap. IX,* 27. *Cap. X,* 1. *& seqq.*
† *Lib. VIII. C. IX.* 12.
|| *De emend. temporum Lib. V. p.* 423.

25. Excusare quis tentet *Curtium*, eò quòd Græci Scriptores, quos sequutus est, in adnotandis temporibus accuratiores fortè non fuerint; nec potuerit semper scire, quibus tempestatibus singula evenissent. Non negaverim quidem nonnullos Historicos Græcos diligentiores *Curtio* non fuisse; at erant libri, ex quibus quod illis, hac in parte, deerat suppleri poterat. Exstabant, tempore *Curtii*, *αἱ βασίλειοι ἐφημερίδες*, *regia diaria*, in quibus scriptum erat quid singulis diebus fecisset Alexander, & ubi fuisset. Ex iis varia proferunt * *Plutarchus* & *Arrianus*, qui post *Curtium* vixisse videntur, nam hunc sub Vespasiano floruisse credimus. Exstabant etiam *Baton* & *Diognetus*, qui descripserant σταθμοὺς τῆς Ἀλεξάνδρου πορείας, & quos *Plinius*, † nostro coævus, vocat *itinerum ejus mensores*, nec semel ad testimonium citat. Hisce uti oportebat *Curtium*, ut Alexandri tempora digereret, & si quod in Geographicis dubium occurreret, eos consuleret.

26. Scio etiam non per omnia consentire Scriptores, de harum rerum Chronologia; *tanta*, ut verba *Curtii* de eorum in aliis dissensu hic usurpem, § *tanta*, inquam, *componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas, vel, par huic vitium, credulitas fuit!* At illæ ipsæ discrepantiæ erant in medium proferendæ, & variantium sententiarum simillima veræ eligenda; quod si nulla se, magis quàm aliæ, probaret, judicium cohibendum fuisset, Lectorique rei arbitrium permittendum. Sed elegantiam sermonis, non ἀκρίβειαν narrationis, spectavit *Curtius*; ut & multi alii Veteres, qui eo nomine profectò non sunt laudandi.

CAPUT VIII.

Q. Curtium perpetuò propemodum declamatoris stylo uti.

1. HISTORICI eloquutionem oportere mediam esse, inter quotidianum sermonem & oratorium, ostenderunt dudum || Magistri artis, nec opus est nos huic rei immorari. At ostendemus *Curtium* nequaquam mediam illam vi-

* *Sub finem vitæ Alexandri.*

† *Vide* Ger. Joan. Vossium *de Hist. Græcis Lib. IV. c. 9. & Indicem Scriptorum à* Plinio *laudatorum.*

§ *Lib. IX. Cap. V, 21.*

|| *Vide* Ger. Joan. Vossium *Artis Hist. Cap. XXIX.*

am

am institisse, sed ferè semper declamatorem egisse; quippe qui hoc argumentum selegit, non tam ut doceret quid verum sit in Alexandri Historia, quidve laude aut vituperio dignum; quàm ut elegantiam styli, & facultatem dicendi ostentaret. Varia ex iis quæ jam diximus hoc ipsum comprobant, quales sunt descriptiones frequentes, quæ in eo occurrunt, eæque rhetorico prorsus stylo expressæ. Sic fluvios descripsit plurimos, molestiamque itineris per æstum aut per frigus plus semel, & planè tumidè. Hoc eleganter *Lucianus* ait esse *suum ipsius negotium agere, omissâ historiâ*; cujus finis unicus est docere, non delectare verborum flosculis. Μάλιστα δὲ, inquit, σωφρονητέον ἐν ταῖς τῶν ὀρῶν, ἢ τειχῶν, ἢ ΠΟΤΑΜΩΝ ἑρμηνείαις, ὡς μὴ δύναμιν λόγων ἀπειροκάλως παρεπιδείκνυσθαι δοκοίης καὶ τὸ σαυτοῦ δρᾶν, παρεὶς τὴν ἱστορίαν. ἀλλ' ὀλίγον προσαψάμενος τοῦ χρησίμου καὶ σαφοῦς ἕνεκα, μεταβήσῃ, ἐκφυγὼν τὸν ἰξὸν τὸν ἐν τῷ πράγματι, καὶ τὴν τοιαύτην ἅπασαν λιχνείαν: *Imprimis verò sibi temperandum, in descriptionibus montium, vel murorum, vel FLUMINUM, ne dicendi facultatem ineptè ostentare videaris, & omissâ historiâ tuum ipsius negotium agere. Sed cùm illa paullùm attigeris, utilitatis & perspicuitatis tantùm gratiâ, mox inde digrediaris; evitato, quod in illa re est, glutino, & omnibus hujuscemodi cupediis.* Quale monitum si animo versasset *Curtius*, scopulum in quem nimis sæpe impegit vitasset. Sunt & alia, in eodem libello *de Conscribenda Historia*, ex quibus *Curtium* castigare licet.

2. Ejus historia in duas veluti partes potest dividi; quarum altera ipsius Historici verba complectitur; altera verò orationes, quas scripsit sub eorum persona, quos loquentes inducit. Utrobique autem haud paullò meliorem declamatorem se præstitit, quàm Historicum; qui non scribit quæ ipse dixisset, si illis adfuisset, sed quæ re verâ dixerunt, aut eorum sententiam. Si ergo ostenderimus, in utraque parte, *Curtium* declamare, potiùs quàm narrare, hoc præstiterimus quod in inscriptione hujus Capitis polliciti sumus.

3. Ut a narratione initium faciam, paucula dumtaxat exempla proferam, monitus enim Lector alia facilè inveniet. *Primò*, non contentus eventus narrasse, exclamationes non breves, sed sat prolixas eis subjicit. Ita narratâ alterâ Darii, ab Alexandro victi, clade: * *Quis tot*, inquit, *ludibria fortunæ; ducum, agminúmque cædem multiplicem; devictorum fugam; clades nunc singulorum, nunc universorum, aut animo adsequi queat, aut oratione complecti? Propemodum sæculi res, in unum illum diem, fortuna cumulavit.*

* *Lib. IV. C. XVI*, 10.

 4. *Secundo*,

4. *Secundo*, nimis frequentes sunt, apud eum, hyperbolæ, nec eæ modestæ, sed sæpe Poëticæ. Sic postquam recensuit copias Darii: *Bactrianos & Sogdianos, & Indos, ceterósque rubri maris accolas, IGNOTA etiam ipsi gentium nomina, festinatio prohibebat acciri.* * Est hoc nimis hyperbolicum, *gentium nomina ignota* earum regi, præsertim in narratione. Præterea nullos melius forte norat Darius, quam rubri maris accolas; cum non multum abessent Babylone, Susis, ac Persepoli regiis urbibus. Sed illi remotissimi erant à loco, in quo declamitabat *Curtius*, eique parum noti; quo factum ut Persarum Regi imprudens suam ipsius ignorantiam tribuat.

5. Mortuam uxorem Darii, non modò lacrimulâ dignatur Alexander, quod multum fuit, sed luget quasi matrem; usque adeò verum est, declamatoribus modicum nihil placere. † *Rex haud secus*, inquit noster, *quàm si parentis suæ mors nuntiata esset, crebros edidit gemitus, lacrimisque obortis, quales Darius profudisset, in tabernaculum, in quo mater erat Darii defuncto adsidens corpori, venit. Hîc verò renovatus est mœror, ut prostratam humi vidit------Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere, & solatia non adhibere sed quærere, cibo certè abstinuit*, &c. Nemo non videt hæc nimia esse; quod si Alexander usque adeò humanus erat, debuisset ad virum uxorem remittere, ad patrem filias, ad filium matrem, quod tamen non fecit. Certè mulieres Darium non adjuvissent, ad bellum reparandum. Nimis durus, hac in re, fuit Alexander; in lacrimis verò, nimis humanus.

6. Ad alia Hyperboles exempla digitum tantùm intendam, ne Scriptorem, omnium manibus tritum, tædiosè exscribere videar. Adito ergò descriptionem sitientium Lib. IV. C. XVI, 12. & seqq. obsidionis Tyri Lib. IV. C. II. & *seqq.* & lege quæ de ea habet *Arrianus* sub finem Lib. II. itineris per montes Persidis Lib. V. C. IV. quam confer cum *Arriano* Lib. III. pag. 65. pugnæ quam edidit Alexander in Oxydracarum urbe Lib. IX. C. V. aliaque similia, ubi magna Hpperbolicarum loqutionum seges.

7. *Tertiò*, non Hyperbolas modò Poëticas adhibet, sed etiam aliquando intolerando prorsus tumore turget, ut ferè nescias quid sibi velit. Tale est quod habet de Alexandro, ab Hammonis oraculo reduce: § *Memnonis, Tithonique celebrata regia vetustatis avidum trahebat penè* EXTRA

* *Lib. III. C. II*, 9. † *Lib. IV. C. X*, 20.
§ *Lib. IV. C. VIII*, 3.

TER-

TERMINOS SOLIS. Memnonis regia illa Thebis erat, in superiore Ægypto, nec procul invisenda. Dein quid est *extra terminos solis?* Debuisset potius dicere *intra terminos solis*, hoc est, intra Tropicos, nam in meridiem eundum erat, quamquam, ut dixi, non procul. Verum in animo habebat * Virgiliana illa:

------jacet extra sidera tellus,
Extra anni, solisque vias.

Sed *Virgilius* intellexit occiduos Africæ tractus, & Poëtæ condonantur, quæ in Historico non feruntur.

8. Tumidissima est descriptio imbris & frigoris, Lib. VIII. C. IV. quam non exscribemus. Postquàm fulmina, imbrémque & grandinem simul cadentia descripsit, ita pergit: *Ergo, ordinibus solutis, per totum saltum errabundum agmen ferebatur; multique priùs metu quàm labore defatigati, prostraverint humi corpora, quamquam imbrem vis frigoris, concreto gelu, adstrinxerat.* Non dicam rarò tum cadere grandinem, rarò pluere, rarò fulmina delabi, cùm tantum potest oriri frigus, ut imber concreto gelu adstringatur; sed quæram qui milites usque adeò procellâ terreri possent, ut solo metu defatigarentur, & animum desponderent; deinde quodnam hoc suffugium esset contra frigus, jacere humi, quam contexit glacies? Hæc certè, præter tumorem, sonitúmque inanium verborum, nihil habent; sed deteriora sunt sequentia: *Alii se stipitibus arborum admoverant, id plurimis & adminiculum & suffugium erat. Nec fallebat ipsos morti locum eligere, cùm immobiles vitalis calor linqueret; sed grata erat pigritia corporum fatigatis, nec recusabant exstingui quiescendo.* Quasi verò malint homines frigore mori stantes, quàm incedere, aut è silicis venis ignem excitare! *Quippe non vehemens modò, sed etiam pertinax vis mali insistebat.* Frigus, nimirum, ut videtur, quod facile fuit igne vincere, aut per aliquot horas præsertim incedentibus ferre. At *lucem naturale solatium, præter tempestatem haud disparem nocti, sylvarum quoque umbra suppresserat.* Eratne umbra hæc truncorum, sine frondibus? Certè non alia esse potuit, tempestate anni, quâ milites, innumeris laboribus indurati, frigore exanimabantur. Verùm quî tanta esse poterat arboribus foliis nudatis, *ut lucem supprimeret?* Oblitus erat *Curtius*, tempore, quo foliis vestitæ sunt arbores, tantum frigus non oriri. *Rex unus* (nam solus, in tanto exercitu, frigore non

* *Æneid. VI*, 795.

obtorpuerat) *tanti mali patiens.* Sed quid tandem factum in illa calamitate? Audi Rhetorem; *Ceterùm efficacior in adversis necessitas, quàm RATIO, frigoris remedium INVENIT; dolabris enim sylvas sternere aggressi, passim acervos struéſque accenderunt.* Annon videntur Macedones similes hominibus, primùm ex terra editis, qui nesciunt quî frigus expelli possit, & casu, potiùs quam ratione, artem excitandi ignis, & se se calefaciendi inveniunt? Debuisset noster hisce omnibus περιαπολογίαις addere, non ab hominibus, qui frigentes licèt ea de re ne cogitabant quidem, sed fulmine accensum esse ignem, ut apud primos homines, quibus

*Fulmen * detulit in terras mortalibus ignem*
Primitus, inde omnis flammarum diditur ardor.

Sic tumidus stylus tandem, tumore suo, fit frigidus. Sed, quod miremur, alibi etiam *Curtius* circuitione usus est, ad dicendum frigentes Macedonas ignem accendisse: † *Fortè castris*, inquit, *ante mœnia ipsa in sylvestri loco positis, nocturnum frigus vehementiùs quàm aliàs horrore corpora adfecit, opportunumque remedium ignis oblatum est. Cæsis quippe sylvis flammam excitaverunt, quæ igni alita oppidanorum sepulchra comprehendit.* Alius dixisset, cùm eâ nocte insolitum frigus ortum fuisset, Macedonas solito etiam majores ignes accendisse. At noster, dum rem humilem vult rhetorico stylo nimiùm extollere, in frigus incidit. Quid est *flamma igni alita?* § *Tanaquillus* quidem *Faber* legit, *lignis alita*; sed hoc quoque frigidum esset, nam quid opus est dicere flammam *lignis ali?* quis hoc ignorat? Sed ut redeamus ad prioris frigoris descriptionem, sequentia omnem περιαπολογίαν superant: *Memoriæ proditum est quosdam applicatos arborum truncis, & non solùm viventibus sed inter se conloquentibus similes esse conspectos; durante adhuc habitu, in quo mors quemque comprehenderat.* Frigus, nimirum, hoc, in Indiæ sylva, Arctoo frigore multo majus, idem poterat, ac Medusæ caput, efficere ut homines stantes, momento temporis, in statuas mutarentur; &, quod multo mirabilius est, ut qui stare poterant, incedere nollent, mallentque ita perire, quam accendere ignem. In sequentibus, credo esse mendam, nisi calamus etiam *Curtii*, dum hæc scriberet, obriguerit. *Fortè Macedo, gregarius miles, seque & arma sustentans tandem in castra*

* *Lucretius Lib. V.* † *Lib. VIII. C. X. 7.*
§ *Ep. Crit. P. I. Ep. IV.*

per-

pervenerat. Nihil frigidius additione illâ, *seque & arma sustentans*; poteratne gregarius miles incedere, nisi *se & arma sustentaret?* Editio *Barthol. Merulæ* rectè habet: *Vix seque & arma sustentans*, sive ex Codice MS. sive ex conjectura. Sunt & alia, quæ meritò in hac descriptione carpi queant; sed quæ diximus rem, quam hic spectamus, in clara luce collocant. Hanc animadversionem claudemus, verissimo judicio eximii *Critici*: * Ὅλως δ' ἔοικεν εἶναι τὸ οἰδεῖν ἐν τοῖς μάλιστα δυσφυλακτότατον. φύσει γὰρ ἅπαντες οἱ μεγέθους ἐφιέμενοι, φεύγοντες ἀσθενείας καὶ ξηρότητος κατάγνωσιν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐπὶ τοῦθ' ὑποφέρονται, πειθόμενοι τῷ,

Μεγάλως ἀπολισθαίνειν ἁμάρτημ' εὐγενές.

Κακοὶ δὲ ὄγκοι, καὶ ἐπὶ σωμάτων καὶ λόγων, οἱ χαῦνοι καὶ ἀναλήθεις καὶ μήποτε περιϊστάντες ἡμᾶς εἰς τοὐναντίον. οὐδὲν γὰρ, φασὶ, ξηρότερον ὑδρωπικοῦ: *Videtur omnino tumor inter ea esse, quæ difficillimè vitantur. Quicumque enim ejus sunt indolis ut granditatem styli affectent, dum verentur ne infirmitatis & siccitatis damnentur, nescio quomodo in hoc ipsum delabuntur, sequuti hoc dictum*: magnis excidere peccatum nobile est. *Malus verò est tumor, & corporis & orationis, fungosus est & vero succo destitutus, & quandoque etiam in contrarium nos conjicit. Hydropico enim, ajunt, nihil est siccius.*

9. *Quartò*, qui granditatem styli nimium captant, ii ut plurimum frequenter in ἄκυρα incidunt; qualia in *Curtio* plura animadvertimus, ex quibus pauca proferemus. Librum V. ita inchoat: *Quæ interim, ductu imperióque Alexandri, vel in Græcia, vel in Illyriis, ac Thracia gesta sunt; si quæque suis temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiæ.* Qui Latinè sciunt, ii norunt ea dici geri *ductu, imperioque* ducis, quæ ipse præsens gerit; *auspiciis* vero, quæ per legatos; quam vocem hîc adhibitam oportuit, cum sermo sit de rebus ab Antipatro gestis, dum Alexander in ultima Asia esset. Ipse *Curtius* se damnabit, prolato loco ex Lib. VI. C. III, 2. ubi de his ipsis rebus ita loquitur: *Ut omittam Illyrios, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartam, Achæos, Peloponnesum; quorum alia ductu meo* (præsens, nimirum) *alia imperio, auspicióque perdomui.* Sed & hîc mallem omissam esse vocem *imperio*, quæ vix differt à *ductu*. Vide, de discrimine *ductûs* & *auspiciorum*, *Just. Lipsium* de Milit. Romana, Lib. II. Dial. 12.

10. Lib. IX. C. XIV, 24. ita loquitur: *Momento temporis,*

---

* *Longini de Sublim. Cap. III. §. 9.*

repressus

repressus est imber, ceterùm adeò spissæ intendêre se nubes, ut conderent lucem, víxque conloquentium inter ipsos facies nosci-taretur. Propriè dicendum fuit *nebulas*, nam *nubes* altiores sunt. Scio à Poëtis hæc misceri, sed non sine ἀκυρολογία, quæ Historico minus licita est. *Isidorus* Lib. XIII. C. 9. *Nebula inde dicta, unde & nubila, ab obnubendo, hoc est, o-periendo terram, sive quòd nubes volans faciat. Exhalant e-nim valles humidæ nebulas, & fiunt nubes ------ Nebulæ autem ima petunt, cùm serenitas est; summa, cùm nu-bilum.*

11. Est ἄκυρον frequentissimum in *Curtio*, quo * *regia* pro tentorio regis dicitur; cùm certum sit subintelligi *domum*, quæ vox Latinè de tentorio à nemine dicatur. *Paulus* Dia-conus: *Regia, domus ubi rex habitat.* Præstitisset ergo di-scere semper regium tentorium, aut prætorium.

12. Sed nulla esset ἀκυρολογία minus tolerabilis, si locus sanus esset, quàm quæ est Lib. IX. C. VII, 16. ubi ita de Di-oxippo: *Pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium Regi pernotus & gratus.* Nemo umquam, ut puto, dixit *virtu-tem virium*; sed cùm legatur in Palatino MS. *virium mag-nitudinem*, reseribendum omnino crediderim: *Eximiam vir-tutem, viriúmque magnitudinem.* Sic de Dioxippo, ejúsque adversario loquitur *Diodorus* Siculus, Lib. XVII. p. 567. Ἀμφοτέρων δὲ τῇ τε τοῦ σώματος ῥώμῃ, καὶ τῇ τῆς ἀλκῆς ὑπεροχῇ θαυμαζομένων οἱονεί τις θεομαχία μέλλουσα γίνεσθαι προσεδοκᾶτο: *Cùm uterque, propter vires corporis, & eximiam fortitudinem, admirationi esset, quasi futura quædam Deorum pugna exspec-tabatur.*

13. *Quartò*, † quo vitio declamatores ævi illius labora-bant, *Curtius* est nimius in sententiis, quas non modo in o-rationibus, sed & in narratione & obliquas & directas passim ingerit. Harum exempla non proferam, cùm ubique occur-rant, atque ex majusculis litteris, quibus in accuratioribus e-ditionibus sunt expressæ, vel à pueris dignosci queant. Hoc tantùm dicam, ne nimia directarem copia Lectori displice-ret, *Curtium* quandoque obliquas interponere, quæ pæne vi in obliquam formam detortæ sunt. Sic Lib. X. C. I, 6. de iis qui Parmenionem occiderant, quique ob alia scelera apud Alexandrum accusabantur: *Plerique amicorum Alexandri ------læti recidisse iram in iræ ministros, nec ullam potentiam scelere quæsitam cuiquam esse diuturnam.* Directa sententia est: *NULLA potentia scelere quæsita cuiquam est diuturna*;

* *Vide Lib. IX. C. V*, 30.
† *Vide* Quintilianum *Lib. IX. C. V.*

quâ

quâ egregius sensus rectè exprimitur. Sed ut obliqua fiat, & uni eventui aptetur, debent voces *universales*, ut cum Logicis loquar, in *singulares* mutari, aut omitti. Itaque dicere debuit *Curtius*: *Læti recidisse iram in iræ ministros, & potentiam scelere quæsitam illis non fuisse diuturnam.* Alioquin universalibus vocibus expressa, quamvis in obliquam formam inflectatur, *eminet extra corpus orationis*, nec *intexto vestibus colore nitet.*

14. Hæc & similia digna sunt, quæ diligenter animadvertantur, ne similibus locis vim inferamus, quod ejusmodi gnomæ non satis commodè expressæ sint. Exempli gratiâ, ita *Curtius*, de fuga exercitus Darii, post prælium ad Issum commissum: * *Tum verò ceteri dissipantur metu, & quà cuique patebat ad fugam via, erumpunt; arma jacientes, quæ paullò antè ad tutelam corporum sumserant; adeo pavor etiam auxilia formidabat.* Quædam editiones Batavæ habent *formidat*, quomodo etiam ex conjectura legendum censet vir acutissimus † *Tan. Faber. Est enim*, inquit, *gnome, quæ ad omnes omnium temporum homines pertinet, qui metu correpti præsidia sua abjiciunt, quæ retinere debuerant.* Sed similis ratio suaserit, emendandum etiam esse locum superiorem, quod nemo audeat.

15. Ut nunc ad orationes veniamus, quas directas plurimas habet *Curtius*, ut vix totidem alibi occurrere in tam parvo volumine existimem; ante omnia, profiteri necesse habeo me esse in eorum sententia, qui in Historia gravi orationes omnes & directas & obliquas omittendas censent, nisi exstent, aut earum sententia certissimè sciri possit. § Scio quid viri eruditi scripserint, ut ostenderent licere Historico orationes tribuere iis, quorum res gestas scribit; non quales habuerint, sed quales habere potuerint, aut etiam, judice Historico, debuerint. Ad res ipsas quod attinet, quamquam fateantur, plerosque omnes, qui loquentes inducuntur, eloquentiâ, & ingenio nequaquam Scriptorem æquasse. Scio etiam plerosque ex Veteribus ejusmodi orationes Historiis suis inseruisse. Sed, si verum dicere licet, elegantia orationum, quas in iis legimus, judicio eorum qui eas in Historia probant præstigias fecit; nam nulla ratio est, quâ possit homini veri amanti persuaderi, in hac re licere Historicis ementiri. Neque enim multo minus mendacium est, inducere hominem dicentem quod non dixit, quia dicere potuit; quàm describere facientem, non

* *Lib. III. C. VI*, 12. † *Ep. LI. P. I.*
§ *Vide* G. J. Vossium *in Arte Historica Cap. XX, & XXI.*

quod

quod fecit, sed quod poterat facere. Si credibile sit eos, quorum vitæ aut res gestæ litteris mandantur, rationibus quibusdam usos, aut permotos fuisse, quas Historici fictitiis illis orationibus inserunt; eas proferat ipse Historicus suo nomine, moneatque Lectores se existimare has aut similes fuisse rationes, quibus ii, de quibus scribit, adducti fuerint ad ea gerenda, quæ fecerunt. Quod cùm fit, nemo queri potest se falli; quamvis fortè in Historico majus judicium, aut acumen desideret; neque ex rationibus ita expositis aut minor lux Historiæ oritur, aut tenuior utilitas ad Lectores redit; nihil enim in orationibus directis dici potest, quod non æquè commodè exprimatur, in obliqua rationum expositione.

16. Tantum abest, ut veritati quæ sola in Historia spectanda est, quasi potissimus scribentis finis, satisfiat fictis orationibus, ut ne verisimilitudo quidem servetur. Nam quid absurdius fingi potest, quam idiotas, aut barbaros, inducere loquentes æquè eleganter & disertè, ac si per multos annos Rhetoricæ operam dedissent? Quid ineptius ac putidius, quam omnes, qui loquentes inducuntur, æquè eloquentes videri? Hoc autem animadvertet, quisquis orationes directas, non modo *Curtii*, sed quorumvis Historicorum leget. Si consuetudo hæc toleranda suadet, at ratio, verique, imo & decori studium ferri non posse clamant; querenturque semper veritatem, ornamentis mendacii ita corrumpi, non illustrari.

17. Præterea hac quoque ratione fit, ut contra decori leges, ab imprudentibus Historicis, gravissimè alio modo peccetur. Nimirum, cùm omnibus suam eloquentiam commodent, non modo doctos & indoctos pari dicendi facultate instructos in medium producunt; sed etiam cùm sit unum Historico ingenium, quod non facilè alienos mores induit, eosque diversissimos; omnes quibus orationes mutuas dat, ii ex indole non sua, sed Scriptoris, loquuntur. Apud *Curtium* omnes sunt declamatores, qui Scriptoris ingenio sapiunt, non suo. Darius declamat, Alexander declamat, milites ejus declamant; * Scythæ ipsi, omnium litterarum rudes, rhetorico calamistro inusti in medium prodeunt. Hoc in memoriam mihi revocat familiam illam, quæ tota cantabat. Pedes abluentes convivis, & paronychia tollentes, in hoc tam molesto officio, obiter cantabant. Potionem poscentem paratissimus puer non minus acido cantico excipiebat; & quisquis aliquid rogatus erat ut daret. Pantomimorum, non patris familiæ, triclinium credidisses. Sic, apud *Curtium*, omnes

* *Lib. VII. c. 8.*

sunt

sunt diserti, & Rhetores; omnes gnomas plurimas, vel minimâ loquendi occasione oblatâ, profundunt.

18. Sed & sensim, cum hisce figmentis, subit major fingendi licentia. Qui adsueti sunt suum ingenium, suámque dicendi facultatem loquentibus commodare, iidem paullatim prudentiam res gerentibus mutuam dant, circumstantiásque, pro sua sapientia, addunt, quando in antiquiorum Scriptis eas non inveniunt; ut sic Historia in Milesiam fabulam, magna ex parte, mutetur. Quod si contingat Scriptorem non satis esse peritum rerum, temporum aut locorum, non mendacia modo, sed repugnantia naturæ rerum ab eo proferuntur. Visne exemplum ex *Curtio?* En tibi duplex, & quidem insigne Lib. X. Cap. I, 24. Orsines, Persagadarum Satrapa, dicitur *Regi cum omnis generis donis, non ipsi ea, sed etiam amicis ejus, daturus occurrisse:* Cúmque hos *donis super ipsorum vota coluisset, Bagoæ spadoni, qui Alexandrum obsequio corporis devinxerat sibi, nullum honorem habuit, admonitúsque à quibusdam quàm Alexandro cordi esset, respondit:* Amicos Regis, non scorta, se colere; nec moris esse Persis mares ducere, qui stupro effœminarentur. *Quibus auditis, spado potentiam flagitio & dedecore quæsitam, in caput nobilissimi & insontis exseruit.* Generosum profectò est hoc responsum Orsinis, & dignum etiam Macedone; sed ita loqui non potuit homo Persa, qui sciebat Darium alii Bagoæ regnum debuisse, & cùm memorato consuesse. Quibus persuadere posset *Curtius*, nobilem Persam, & ad amplissimos honores evectum, id ignorasse quod * multi Græci scripserunt, ipséque adeo *Curtius* litteris prodidit? Ita enim loquentem inducit Alexandrum Lib. V. C. III, 12. *Ne Darius quidem hereditarium Persarum cepit Imperium; sed in sedem Cyri, beneficio* BAGOÆ, *hominis castrati, admissus.* Capite sequente §. 10. in litteris Nabarzanis, legimus, *Darium, cùm occidisset Bagoam, hac excusatione satisfecisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset.* Postea Cap. V, 23. inter dona, quibus Nabarzanes Alexandrum placare conatus est, dicitur fuisse *Bagoas specie singulari spado, atque in ipso flore pueritiæ; cui & Darius fuerat adsuetus, & mox Alexander adsuevit.* Nemo jam non videt *Curtium* finxisse responsum rei ipsi contrarium, dum vult homini è posteris Cyri digna tantâ nobilitate verba commodare; aut summùm alium non prudentiorem exscripsisse.

19. Sed & Alexandro, dum providentiam suam mutuam nimis benignè dat, stultè se se eum gerentem inducit; quod

* *Vide supplementorum Freinshemianorum Lib. II. C. I, 1.*

profectò

profectò fieri non potuit, in re usque adeò tunc temporis Macedonibus explorata. Alexander, paullò ante mortem, infinita animo complexus, statuerat omni ad Orientem maritimâ regione perdomitâ, ex Syria petere Africam Carthagini infensus; tum alia facere in Occidente, quæ memorat *Curtius* Lib. X. C. I, 17. Quam expeditionem animo conceptam ut exsequi posset, *Mesopotamiæ prætoribus imperavit, materiâ in Libano monte cæsâ, devectâque ad urbem Syriæ Thapsacum, ingentium carinas navium ponere; septiremes omnes esse, deducique Babylonem.* Non dicam mandari potiùs hoc debuisse Syriæ Prætori, in cujus præfectura situs erat mons Libanus; sed quis non videt ineptire nostrum Rhetorem, qui * septiremes in Euphrate instruit, ut ex Syria petat Africam. At eam classem paratam fuisse in Arabas, útque coloniæ circa sinum Persicum mitterentur, docet *Arrianus* Lib. VII. Verùm hoc fortasse vult *Curtius*, hisce verbis: *Omni ad orientem maritimâ regione perdomitâ*, quibus verbis designari potest Arabia. Verùm digna res erat, quæ pluribus exponeretur, ut omnis ambiguitas tolleretur; alioquin ea peccavit *Curtius* in Geographiam, quæ facilè persuadent eum credidisse ex Euphrate posse, brevissimâ viâ, Carthaginem navigari. Certè hoc eum voluisse suadet magnitudo navium, quarum hîc meminit; majoribus enim non solebant vulgo navigare mare mediterraneum, nec aptæ erant Euphratis & Tigridis alveis.

20. Hæc de *Curtii* stylo dicenda habebamus, quæ pluribus exemplis illustrassemus, & copiosius persequuti essemus; nisi ejus Historia omnium manibus versaretur, & quæ diximus adeo essent manifesta, ut quicumque Latinè sciunt ea, sicut demonstravimus, se habere nullo negotio videre possent. Nec tamen nos elegantiæ ejus styli quidquam detractum imus, aut propterea minus sumus adolescentibus ejus legendi auctores; modò eum quasi Rhetorem habeant, cujus lectione stylus expoliri potest, & adsurgere, si necesse sit, atque ex quo egregias sententias excerpant, quamquam nimis crebras, & alienis locis positas; non quasi Historicum, veri studiosum, cui accredere possint, aut quem liceat, in Historia scribenda, per omnia imitari.

* *Qui sciunt quid sit septiremis, Euphratem tantas naves ferre potuisse non facilè concedent. Maximas quinqueremes memorat Arrianus, easque tantum duas,* p. 161. *Lib. VII.*

CAPUT

CAPUT IX.

Q. Curtium laudatorem potiùs esse ambitionis nimiæ Alexandri quàm vituperatorem. Egregia de illa Senecæ & Lucani loca.

1. CUM Historia scribatur, non delectandi causâ, sed docendi; ejus Legibus cautum est, ut Historici vitia, de quibus loquuntur, aut disertè damnent aut ita describant, ut intelligant Lectores vitia esse, bonis omnibus diligenter fugienda. Nec ea vitia dumtaxat intelligenda, quæ aperta sunt, sed etiam quæ specie virtutum induta minùs perspicaces fallunt. Inter priora fuerunt ebrietas, superbia, crudelitas; quæ in Alexandro, post superatum Darium, se se exseruerunt, & quæ non raro castigavit *Curtius*. Sed posterioris generis fuit illa inexstincta regnandi cupiditas, quâ Alexander, non modò Persis, sed & innumeris pacatis Gentibus, quæ nullâ ratione eum læserant, imò ne quidem noverant, bellum intulit. In eo affectu, superbia, injustitia, crudelitas, ignorantia sui, conjunctæ sunt cum juris divini & humani tanto contemtu, ut vix ullum sit deterius, atque exitialius vitium. Hoc factum ut innumeræ innocentissimæ familiæ, urbes, nationes ab Alexandro sint bello vexatæ, direptæ, & quandoque ad internecionem deletæ. Superbis, libidinosis, avaris & crudelibus militibus & præfectis, gentes maximæ, hoc vitio, omnibus calamitatibus impunè mactandæ traditæ sunt. Attamen Græci Scriptores hæc scelera, atque latrocinia tantùm abest ut damnent, ut consceleratum Regem, crudelissimúmque exercitum, nobis, quòd audacter hæc omnia fecerit, quasi heroas quosdam describant; nec ab eorum sententia discrepat *Curtius*, qui ubique quantopere hæc admiraretur ostendit. Quòd si Ethicæ Philosophiæ tantam operam dedisset, quantam dedisse videri voluit, frequenti illo moralium gnomarum usu, quas ubique adhibet, numquam passus esset à Græculis sibi fucum ita fieri; numquam, cum vulgo, usque adeò desipuisset, ut horrenda facinora virtutis veste indueret, & laudibus ornaret. Hac in re jam agnoscere licet declamatoris ingenium, quod speciosa sectatur, & vulgò plaudenda, potiùs quam vera & sapientibus placitura.

2. Dixerit hîc fortè quispiam, nos ea postulare ab Ethnico, quæ supra cognitionem Ethnicorum erant posita. Quod

melius

melius confutare non possumus, quàm allatis Ethnicorum testimoniis, qui *Curtio* antiquiores erant. Eorum hac de re judicia digna sunt, quæ & hic & alibi legantur; nam & hodie multi Christiani vix *Curtio* oculatiores sunt. Igitur ea integra proferre non gravabimur.

3. Auctor est * *Plutarchus*, *Aristotelem* nonnulla scripsisse ad Alexandrum, ut superbiam ejus retunderet, quæ utinam integra exscripsisset; ex iis enim clarius appareret quid de eo senserit Philosophus, cui notissimus erat. Quæ profert ea sunt subobscura, sed fortè datâ operâ, ad vesanum juvenem, scripserat obscurius *Aristoteles*. Οὐ μόνον, ἔφη, τοῖς πολλῶν κρατοῦσιν ἐξεῖναι μέγα φρονεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς περὶ θεῶν δόξας ἀληθεῖς ἔχουσι. Χρήσιμα δὲ καὶ πρὸς πολεμίους τὰ τοιαῦτα

Δυστήνων δέ τε παῖδες ἐμῷ μένει ἀντιόωσι.

Καὶ περὶ τοῦ Περσῶν βασιλέως, μεγάλου δὲ καλουμένου ὁ Ἀγησίλαος, τί δ' ἐμοῦ γε μείζων ἐκεῖνος, εἰ μὴ καὶ δικαιότερος; *dixit non his tantùm, qui magnum tenerent imperium, permissum esse magnificè de se sentire; sed his etiam, qui veras opiniones de Diis haberent. Utilia sunt etiam adversus hostes & inimicos isthac:*

Prognatos miseris nostris sors objicit armis.

Et de Persarum Rege, qui magnus vocabatur, Agesilaus: qui, inquit, major me est, nisi & justior? Duo hisce, si quid judico, significare voluit *Aristoteles*; primùm eos non posse gloriari qui amplissima imperia subegissent, quemadmodum Alexander, nisi pietatem erga Numen colerent, quæ in illo nulla fuit, cùm Diis æquari vellet; deinde nullâ laude dignos esse eos, quibus regna maxima parêrent, nisi simul benefici & justi essent; quorum neutrum fuit Alexander. Si enim beneficentiam ejus comparemus cum calamitatibus, quas innocuis intulit; numquam effugiet quin censeatur iræ divinæ flagellum, nedum ut humani generis deliciæ haberi queat. Pro perpaucis militibus, hoc est, carnificibus, pro aliquot meretricibus, adulatoribus, aut tyrannis, quos muneribus donavit, aut benigniùs habuit; quot myriadas hominum, & familiarum fortunis omnibus evertit, crudeliter vexavit, atque è medio sustulit? Miseros omnes reddidit, qui sua contra ejus rapacitatem tueri paullò constantiùs ausi sunt; nec potuit *Aristoteles* meliùs maleficam illam indolem describere, quàm versu Homerico, quo utitur Achilles, similis vesaniæ exem-

* *De sui laude p.* 545.

plar;

plar; ad quod se se componebat Alexander, qui & ab illo ortum se gloriabatur:

Prognatos miseris nostris sors objicit armis;

Cum orbos fecerit innumeros parentes, qui florentes ætate liberos, dum patriam pio & justo bello defenderent, amiserunt. Justum ejusmodi hominem nemo dixerit, qui omnia sua esse contendebat, séque natum ut omnibus imperaret, ceteris verò mortalibus solam gloriam obsequii relictam; quem denique optimè pinxeris, iisdem coloribus, quibus *Horatius* * pingi voluit Achillem:

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Hunc Spartanorum regulo, justitiæ observante, ex sententia Agesilai, quâ nihil verius, jure dixeris minorem, quamvis latissimè pateat ejus imperium. Hanc *Aristotelis* mentem fuisse omnino existimarim, obscuriùs licèt expressam, quod sibi timeret à ferocissimi discipuli ira.

3. Utinam exstarent libri *Ciceronis* de Republica! Sine dubio in iis summi viri gravissimum judicium de Alexandro legeremus, ut colligere est ex fragmento, quod ex tertio ejus Operis libro profert *Nonius Marcellus*. " Est responsum Piratæ, ex quo intelligere potuit Alexander, quodnam discrimen inter se & ejusmodi homines esset; *nam cum quæreretur ex eo*, inquit Cicero, *quo scelere compulsus mare haberet infestum uno myoparone? Eodem, inquit, quo tu orbem terræ.* Vix dubito quin *Cicero*, suffragio suo, Piratæ responsum confirmaret; cùm hæc verba ex eodem libro proferat idem Grammaticus: *Est genus injustæ servitutis, cum ii sunt alterius, qui sui possunt esse*; quæ verba ad populos liberos, ab Alexandro subactos, pertinent.

4. Sed clariùs loquentem *Senecam* atque insatiabilem ejus cupiditatem (nam cetera omitto vitia) damnantem audiamus. Cùm victor Orientis animos supra humana tolleret, Megarenses, per legatos, gratulati sunt, & civitate illum suâ donaverunt. Ridenti vero Alexandro hoc officii genus, unus ex legatis, *nulli*, inquit, *civitatem umquam dedimus alii, quàm tibi & Herculi.* Tum libens accepit delatum honorem, cogitavitque non qui sibi civitatem darent, sed cui dedissent; & homo gloriæ deditus, cujus nec naturam, nec modum no-

* *De Arte Poëtica.*

verat, Herculis, Liberíque vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens, ubi illa defecerant, ad socium honoris sui respexit à dantibus; tamquam cœlum, quod mente vanissimâ complectebatur, teneret, quia Herculi æquabatur. *Quid enim*, subdit Seneca, * *illi simile habebat vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit, orbem terrarum transivit non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum, marisque pacator? At hic à pueritia* LATRO, GENTIUMQUE VASTATOR; *tam hostium pernicies, quàm amicorum; qui summum bonum duceret terrori esse cunctis mortalibus, oblitus non ferocissima tantùm, sed ignavissima quoque animalia timeri, ob virus malum.*

5. Cùm ea esset indoles Alexandri, is finis ejus bellorum, mirum est *Curtium* ita alloquentem milites eum inducere potuisse, ante Issicum prælium: † *illos terrarum orbis* LIBERATORES; quasi Macedones cogitassent de cujusquam liberatione! Sed diu in illa imagine non hæret Alexander; illico contrarium, sed verum, subdit: *Emensósque olim Herculis & Liberi Patris terminis, non Persis modò, sed etiam omnibus gentibus* IMPOSITUROS JUGUM. Nimirum, *liberatores orbis* eo animo bellum gerebant, ut *omnibus gentibus imponerent jugum.* Sed ut commemoratus Hercules, cui conferre volebat *Curtius* Macedonas, effecit ut *liberatores* eos vocaret: ita veritas ab eo extorsit, ut in sequentibus eos describeret, quasi jugum imposituros omnibus gentibus. Declamatores qui partim ex vero, partim ex libera fictione, loquuntur, non semper sibi constant. Verùm ad *Senecam* redeamus.

6. Alibi, ne fortè temerè ab illo, loco allato, castigatum Alexandrum quis putet, non minus severè de eo judicat: § *Alexandro*, inquit, *quamquam in littore maris rubri steterat, plus deerat, quàm quà venerat. Illius ne ea quidem erant quæ tenebat, aut vicerat; cùm in Oceano Onesicritus, præfectus classis, præmissus explorator erraret, & bella in ignoto mari quæreret. Non satis apparebat inopem esse, qui extra naturæ terminos arma proferret? Qui se in profundum, inexploratum & immensum, aviditate cæcâ, prorsus immitteret? Quid interest quot eripuerit regna, quot dederit, quantùm terrarum tributo premat? Tantùm illi deest, quantùm cupit.*

7. Epistolâ CXIX. æquè graviter in eum invehitur: *Numquam parum est*, inquit, *quod satis est; numquam multum*

* De Beneficiis Lib. I. c. 13. † Lib. IV. C. X, 5.
§ De Benef. Lib. VII. C. 2.

est quod satis non est. Post Darium & Indos, pauper est Alexander Macedo. Quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit novas, &, ut ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturæ satis est homini non est. Inventus est qui concupisceret aliquid, post omnia. Tanta est cæcitas mentium & tanta est initiorum suorum unicuique, cum processit, oblivio. Ille modò ignobilis anguli, non sine controversia, dominus, de tanto fine terrarum, per suum rediturus orbem, tristis est.

8. Ex hisce satis liquet, infinitam illam alienorum cupiditatem, quæ in Alexandro fuit, audaciam & artem quibus ea invadebat, conjunctas cum viribus nocendi, quibus abutebatur, fuisse vitia longè maxima, eòque exitialiora, quò pluribus nocebant. Attamen, si credimus Rhetoribus & Poëtis, heroïcæ virtutes fuerunt, quibus factum est ut Alexander pæne dignus visus sit, qui Deorum ordinibus adscriberetur. Hisce vitiis, sed velatis nominibus fortitudinis, scientiæque militaris, vitia alia ita pensari existimant, ut vix ea illi exprobrari patiantur. Sic, proh stultitia! vitia minora vitiis multò majoribus excusatum eunt; perinde ac si quis furtum, cujus accusareter, homicidio excusaret.

9. Non potuit ei *Seneca* cædem *Callisthenis*, egregii Philosophi, ignoscere, atque hoc solum scelus, omnibus, quæ in Alexandro laudari potuerunt, gravius existimavit. *Hoc est,* inquit, *Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit:* occidit Persarum multa millia; *opponetur:* & Callisthenem. *Quotiens dictum erit:* occidit Darium, penès quem tunc magnum regnum erat; *opponetur:* & Callisthenem. *Quotiens dictum erit:* omnia Oceano tenùs vicit, ipsum quoque tentavit novis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ, usque ad Orientis terminos protulit; *dicetur:* sed Callisthenem occidit. *Omnia licèt antiqua exempla Regum, ducúmque transierit, ex his quæ fecit nihil tam magnum erit, quàm scelus Callisthenis.*

10. Ad id exemplum si licet ratiocinari, (& quidni liceat?) quoties dicetur in eo fuisse * *vis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia, fortitudo non inter Reges modò excellens, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit*; objiciemus fuisse simul incredibilem alieni cupiditatem, cui ut satisfaceret, nihil fuit tam sanctum inter homines quod pedibus non conculcaret, nullum periculum quod non adiret, nullus labor quem recusaret; adeò ut fures, latrones,

* *Curtius Lib. X. Cap. V,* 25.

 piratæ,

Piratæ, ex desperatione rerum suarum, ad sceleratas illas artes conversi, nihil sint præ illo. Quoties in illo laudabuntur *liberalitas sæpe majora tribuentis, quàm à Diis petuntur*; *clementia in devictos*; *tot regna aut reddita, quibus ea demserat bello, aut dono data*; & *mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetua contemtio*; dicemus liberalem fuisse ex rapto, & plerumque in indignos, spoliatáque ab eo oppida & regna, ut alienas facultates in adulatores profunderet; clementem fuisse in eos solos qui se ei servire paratos significabant, cùm non minus liberi nati essent ac Macedones; contemtum vero mortis ex vecordia manasse, cùm, ne quid aliud dicam, omnia possideret, propter quæ vitam amare debebat; denique, si quæ fuit in eo significatio virtutis, nullâ ratione esse æquiparandam cum latrocinandi cupiditate, quâ, quibuscumque libebat, inferebat bellum, nisi se se ei in servitutem darent. Cùm mors communem hunc generis humani hostem rapuit, parabat, Oriente subacto, Occidentem, nisi sibi sponte parêret, incolarum ejus sanguine inundare; qui tamen (plerique certè) vix illum de nomine norant, nec ubi locorum esset Macedonia sciebant.

11. Sed non opus est verbis nostris uti, ut ostendamus res gestas *Alexandri* memoriam ejus inter homines infamare, potiùs quàm illustrare, si saperent, debuisse; audiamus * *Lucanum*, patrui egregiè vestigia sequutum, ejúsque verbis Caput hoc claudamus. Sic ille de sepulcro Alexandri, quod Alexandriæ visebatur:

Illic Pellæi proles vesana Philippi,
Felix PRÆDO *jacet, terrarum vindice fato*
Raptus. Sacratis totum spargenda per orbem,
Membra viri posuere adytis; Fortuna pepercit
Manibus, & regni duravit ad ultima fatum.
Nam sibi libertas unquam si redderet orbem,
Ludibrio servatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot posse sub uno
Esse viro. Macetûm fines, latebrásque suorum
Deseruit, victásque patri despexit Athenas;
Perque Asiæ populos, fatis urgentibus, actus
HUMANA CUM STRAGE *ruit, gladiúmque per omnes*
Exegit gentes; ignotos miscuit amnes,
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangen.
Terrarum fatale malum, fulménque quod omnes

* *Lib. X. vers. 20. & seqq.*

Percuteret

Percuteret pariter populos, & sidus iniquum
Gentibus. Oceano classes inferre parabat,
Exteriore mari. Non illi flamma, nec unda,
Nec sterilis Libye, nec Syrticus obstitit Ammon.
Isset in occasus, mundi devexa sequutus,
Ambissetque polos, Nilumque à fonte bibisset;
Occurrit suprema dies, naturaque solum
Hunc potuit finem vesano ponere Regi.

12. Jam nemo, opinor, hisce lectis, nos nimia exigere à *Curtio*, homine Ethnico, dicere poterit; cùm contendimus Alexandri latrocinia debuisse vituperari, si gravem Historicum, potiùs quàm declamatorem, egisset. Hoc unum hîc spectavimus, nam ad rem ipsam quod attinet, eam subtiliùs tractare hic aggressi non sumus. Obiter tamen rem attigit *Curtius*, in oratione Scytharum, quæ legitur Lib. VII. C. VIII. & in qua hæc dicentes Scythiæ inducuntur: *Tu qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es.* Verùm non oportebat rem tantam dumtaxat in uno loco attingi, sed & copiosiùs exponi, & frequentiùs inculcari; nec ab hostibus modò Alexandri, sed ab ipso etiam Historico, alienâ personâ minimè tecto.

CAPUT X.

Aliquot loca Q. Curtii tentata, aut emendata.

1. USUS sum, in legendo *Curtio*, editione secunda *Joannis Freinshemii*, quæ prodiit Argentorati anno MDCLXX. Ea cùm habeatur emendatissima & libello variarum Lectionum, cùm ex Editionibus, tum ex Libris Manuscriptis collectarum ornata sit, instar omnium esse potest. Animadverti tamen virum diligentissimum, & laboris patientissimum non semel admisisse eas Lectiones in contextum orationis, quæ manifestò falsæ sunt, cùm veræ in aliis Editionibus legerentur; & Critico acumine, rariùs quàm par erat, aut etiam aliquando infeliciter usum. Quod non eò dico, ut laboribus ejus quidquam detraham, quibus persæpe & grato animo utor; sed certum est colligendo aptiorem fuisse, quàm conjiciendo aut dijudicando, quæ dos est maxima Critici. Exempla nonnulla, hoc in Capite, proferemus, ex quibus res fiet manifesta.

2. Cùm mater & uxor Darii hunc lamentarentur, quasi in acie cecidisset, misit Alexander ad eos Leonnatum, qui indicaret Darium vivere. Ille, cùm paucis armigeris, ad earum tabernaculum se confert, missúmque à Rege se nuntiari jubet. At ii, qui in vestibulo erant, ut armatos conspexere, rati actum esse de dominis, in tabernaculum currunt, vociferantes adesse supremam horam, missósque qui occiderent captas. Itaque, ut quæ nec prohibere possent, nec admittere auderent; nullo responso dato, tacitè opperiebantur victoris arbitrium. * *Leonnatus* verò, ait *Curtius*, *exspectato diu, qui se intromitteret, posteaquàm nemo* PRODUCERE *audebat; relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum.* Ait ad hunc locum *Freinshemius*, in Bongarsiana, Lugdunensi & Amstelodamensi editionibus legi *procedere*; *quod non displicet*, inquit, *sed & Sebisius ita legendum putabat.* De re clara, non erat dubiè loquendum, nam *producere* absurdum est hoc in loco; significat enim, ubi de hominibus sermo est, egredientes comitari. Hic verò neminem egredi ausum ait *Curtius*, quod significat vox *procedere*. Rem notissimam exemplis probare nihil attinet, sed locum *Ruffini* proferam, in re planè simili; qui licet non satis castigatè ubique loquatur, tamen passim ostendit melioris ævi Scriptores à se tritos fuisse. Sic ille in Recognitionibus *Clementis*, Lib. I. c. 12. *Cùm hospitium* (Barnabæ & Petri, quos quærebat Clemens) *reperissem, atque ante fores constitissem, ingerebam janitori quis essem atque unde adventarem; & ecce Barnabas* PROCEDENS------ *apprehensum me manu introducebat ad Petrum.* Cùm deesset Leonnato, qui hoc faceret, sponte suâ ingressus est.

3. Non multo † post, narratâ humanitate Alexandri erga matrem, uxorem & filias Darii: *Sed nondum*, inquit, *fortuna se animo ejus infuderat; itaque orientem eam moderatè &* PRUDENTER *tulit, ad ultimum magnitudinem ejus non cepit.* Lege PUDENTER, hac enim in re pudor est, potius quàm prudentia. Vox est *Ciceronis*, *Catulli*, *Horatii*, aliorum. Huc facit *Ausonii* præceptum Epist. VIII.

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Ante nos, ita legendum viderat *Valens Acidalius*.

4. Locus est in § *Curtio*, qui frustra Criticos exercitos habuit. Narrat supplicium sumtum de Præfecto Damasci, qui

* *Lib. III. C. XII*, 10. † *Ibid.* §. 20. § *Lib. III. C. XII*, 17.

quasi

quaſi parum munimentis oppidi fidens, pecuniam regiam, cum pretioſiſſimis rerum, efferri juſſerat, fugam ſimulans; reverâ ut prædam Parmenioni offeret. Expoſitâ eâ fraude, direptioneque gazæ Perſicæ, ſubdit *Curtius: Ceterùm Di tantæ fortunæ proditorem,* SEPULTURÆ *celeriter debitâ pœnâ perſequuti ſunt; námque unus è conſciis, credo, Regis vicem, etiam in illa ſorte, reveritus interfecti proditoris caput ad Darium tulit.* Suſpicatur *Freinſhemius* pro *ſepulturæ*, legendum *ulturi*, ſed ſuæ conjecturæ non fidit. *Tan. Faber* * audacior multò, ſed & acutior Criticus, legit *ſecurum ſceleris*. Sed hæc nimiùm abeunt à vetere ſcriptura. Legendum cenſeam *impoſturæ*, nam hoc crimen ſcelerati hominis fuit, quod aliter *ſtellionatus* dici ſolet. *Ulpianus* Digg. Lib. XLVII. Tit. XX. l. 3. docet *ſtellionatum objici poſſe his, qui dolo quid fecerunt*, & locum habere cùm in omni dolo, qui peculiari nomine caret, tum *ſi quis* IMPOSTURAM *fecerit, vel colluſionem in necem alterius.* Gloſſæ veteres: *Impoſtura, ſtellionatus,* ἡ ἐπίθεσις, ἡ χλεύη. Quamvis ea vox in antiquioribus non occurrat, inferiorem eſſe Veſpaſiani ævo non exiſtimo; cùm verbum *imponere*, fallendi ſignificatu, non rarò in ejus & ſuperioris ætatis Scriptoribus legatur; nec dubium ſit, quin Juriſconſulti priſcas multas voces Latinas ſoli nobis ſervarint.

5. Sic deſcribuntur campi, in quibus commiſſum alterum cum Dario prælium: *Equitabilis & vaſta planities, ne ſtirpes quidem & brevia virgulta operiunt ſolum, liberque proſpectus oculorum, etiam quæ procul receſſere, permittitur.* Nulla eſt conſtructio in his verbis, *etiam quæ procul receſſere.* Legendum ergo, *quà procul receſſere*, verbúmque hoc conjungendum cum nominativis *planities* & *ſolum*, quæ anteceſſerunt; aut legendum: *Illorum etiam quæ procul receſſere.* Conjectura *Fr. Modii*, legentis *permetitur*, in quam inclinat *Freinſhemius*, abſurda eſt.

6. Patron Græcorum dux, accuſaturus Beſſum & Nabarzanem, apud Darium, ut ſibi fidem faciat, ait ſe nihil ab ullo ſperare poſſe, præterquàm à Dario; cùm Bactriani, aliique præmia ab aliis poſſent exſpectare: † *Amiſimus*, inquit, *Græciam, nulla Bactra ſunt nobis; ſpes omnis in te, utinam &* IN *ceteris eſſet.* Delendum poſterius IN, nam optat Patron ut ceteræ copiæ Darii nullam ſpem niſi in eo haberent, futuræ quippe fideliores. Sic quidem mavult *Freinſhemius*, *fert tamen & vulgatum* in ceteris, *quamquam multò languidior inde ſenſus exit.* Imò verò nullus qui ſeriei orationis conve-

* *Ep. Lib. I. L. LI.* † *Lib. V. C. XI, 6.*

niat, nam Latinè nemo dicat: *Utinam in ceteris omnis spes in te esset!*

7. Cùm accusatus esset Philotas à Nicomacho, præsente Cratero, hic omnem lapidem movet, ut Alexandrum ad perdendum Philotam adducat, vetátque credere hunc veniâ mutari posse, tum addit: † *At ego, etiamsi ipse vel pœnitentiâ, vel beneficio tuo victus quiescere volet, patrem ejus Parmenionem tanti ducem exercitûs, & inveteratâ, apud milites tuos, auctoritate, haud multùm infra magnitudinis tuæ fastigium positum, scio non æquo animo salutem filii sui daturum tibi. Quædam beneficia odimus, meruisse mortem confiteri pudet. Superest ut malit videri injuriam accepisse, quàm vitam.* Quibus dictis, quid hinc Alexandro colligendum esset his verbis significat: *Proinde scio tibi cum illis de salute esse pugnandum.* Legendum SCITO, nam hîc *scio* locum habere non potest, ut in superioribus.

8. Hermolaus, cùm fassus esset se in Alexandrum conspirasse, mortémque propterea exspectaret, ita orationem claudit: * *De cetero parce, quorum orbam senectutem suppliciis ne oneraveris.* Legendum *parentum*, non *parce quorum*. Aliæ conjecturæ duriores sunt, & magis recedunt à scripturæ hujus vestigiis, ut liquebit, si consulatur Commentarius *Freinshemii*.

9. Hæc in *Curtio* emendanda nobis videbantur, quibus & alia nonnulla potuissemus addere; sed, sine auxilio MSS. Codicum, multa mutari posse non censemus. Itaque hîc judicio nostro, de *Curtio*, finem imponemus; quod si per omnia non probaverint Critici, non mirabimur; nec ipsi solemus omnia illorum probare.

III. SECTIONIS. III. PARTIS ARTIS CRITICÆ

FINIS.

---

† *Lib. VI. C. VIII*, 7. * *Lib. VIII. C. VII*, 15.

CORO-

CORONIS.

In qua varia loca Artis Criticæ confirmantur atque illustrantur.

1. HOC Opusculo ad finem pænè perducto, animadverti varia quæ paraveram, ut suis locis collocarentur, a me, dum alia attendo, prætermissa fuisse. Alia etiam aliud agens, jam editis iis quibus illustrandis apta erant, inveni. Igitur cùm res amplius integra non esset, cúmque exempla prætermissa, aut serius inventa, digna viderentur quæ Lectori legenda præberentur; consilium cepi postremum hoc Caput operi adjicere, cui *Coronidi* nomen imposui; quod licèt eo carere posset opus, tamen ad ejus ornatum, perfectionémque pertineret.

2. *Artis Criticæ* P. I. C. II, 11. ostendimus quinam sint, apud *Horatium*, *irretorti oculi*. Duo hic exempla hominum *irretortis* oculis divitias spectantium proferemus. Prius erit Thebani senis, de quo ita *Phavorinus*, in Opere de Senectute, apud *Stobæum*, in Floril. Serm. CXII. Ὁ Βοιώτιος ἐντυχὼν θησαυρῷ μετὰ ἑβδομήκοντα ἔτη, ὑπάρας τὸ σκέλος ἀπεκάλυψε καὶ παρῆλθεν ὡς οὐκ ἔτι οὐδὲν ὄντα πρὸς αὐτόν: *Bœotus cum incidisset in thesaurum, natus plus quàm septuaginta annos, sublato crure frustra inventum significavit & transiit, quippe qui nihil ampliùs ad se pertineret.* Posterius exemplum erit Apollonii Tyanei, qui, ut auctor est *Philostratus* de ejus vita Lib. I. C. XX. διϊὼν εἰς τὰ βασίλεια οὐδὲ διέβλεψεν εἰς οὐδὲν τῶν θαυμαζομένων, ἀλλ' ὥσπερ ὁδοιπορῶν διῄει αὐτά: *per regiam* (apud Parthorum Regem) *transiens, eorum quæ admirationi sunt nihil spectavit, sed quasi iter faciens eam peragrabat.* Nihil interest hæc vera haberi, si modò hinc colligatur *oculorum irretortorum* imago.

3. P. II. Sect. I. C. II, 16. Nonnulla diximus de voce θορυβεῖν, quibus addendum non incommodè potuisse eam exprimi voce Latinâ *obturbare*, quâ eodem sensu utitur *Terentius* in Andria, Act. V. S. IV, 23. ubi historiam cùm cœpisset

ſet narrare Crito, nec dum abſolviſſet, hæc ſubjiciuntur ------SI. *Fabulam inceptat.* CH. *Sine.* CR. *Itáne verò obturbat?* Hoc eſt, *interſtrepit*, ut interpretatur *Donatus*, ſeu contumelioſis verbis interpellat.

4. Ibidem §. 35. diximus aliâ Linguâ totidem verbis exprimi non poſſe, *proh Deûm atque hominum fidem!* Addi potuit multas eſſe loquutiones, in quibus vox *fides* occurrit, quarum ſenſum, ad rem quidem ipſam quod attinet, intelligimus, & aliis Linguis exprimimus; ſed in quibus difficulter dicas quid ſignificet ea vox, & quomodo à primigenio ſignificatu in eam notionem tranſierit. Exempli gratiâ, *capere in fidem devictas nationes*, *commendare fidei alicujus*, *conferre ſe in fidem alicujus*, *implorare fidem*; *vir plenus fide*, &c. quæ magno numero ſuppeditabit *Rob. Stephanus*, aut alius Lexicographus. Poſſem ea de re dicere, ſed pluribus opus eſſet verbis, & ſatis eſt hic animadvertiſſe, nullam eſſe vocem, in aliis Linguis, cui ſint ſubjectæ notiones eædem & totidem numero, ac voci Latinæ *fides*.

5. Cap. IV, 9. multa habemus, de hac loquutione *inſcribere animo*. Addendum tamen *Pindarum* Olympion. Od. X. cum vellet dicere: *revocate mihi in memoriam Ageſidamum Archeſtrati filium*, rem ita expreſſiſſe: Τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀναγνῶτέ μοι Ἀρχεστράτου παῖδα, πόθι φρενὸς ἐμᾶς γέγραπται. *Olympionices, Archeſtrati filius, ubi in animo meo ſcriptus ſit, revocate mihi in memoriam.*

6. Cap. VI, 4. iis quæ dixi de *Juſtitiæ* notione, apud Ethnicos, oblitus ſum addere locum *Lactantii* è Lib. V. C. 10. *Apud Maronem rex ille*,

—— quo juſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello major, & armis;

Qua nobis juſtitiæ documenta protulit?

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæſo ſparſurus ſanguine flammas.

Quid poteſt eſſe hac pietate dementius, quàm mortuis humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum, tamquam oleo paſcere? Sed fortaſſe hoc non ipſius vitium fuerit, ſed Poëtæ, qui illum inſignem pietate virum, inſigni ſcelere, fœdaverit. Vide & ſequentia, ex quibus liquet *Juſtitiæ* & *Pietatis* notiones, apud Ethnicos, non latè patere.

7. Capite VII, 6. varia attulimus loca de *natura gentium*, quæ ſi cui nondum ſatis ſint, hunc accipiat cumulum. *Ælianus*

anus Var. Hist. Lib. II. c. 13. auctor est Nubibus *Aristophanis* summopere delectatos fuisse Athenienses, καὶ φύσει φθονεροὺς ὄντας καὶ τοῖς ἀρίστοις βασκαίνειν προαιρουμένους: *qui naturâ invidi erant, & qui amabant livore optimos prosequi. Herodianus* Lib. I. C. VI, 25. φύσει τὸ βάρβαρον φιλοχρήματον: *naturâ barbari sunt divitiarum amantes.* Lib. II. C. VI, 13. φύσει δὲ κοῦφον τὸ Σύρων ἔθνος, *naturâ levis est Syrorum gens*; & paullò post: φιλέορτοι δὲ φύσει Σύροι, *Syri naturâ festorum amantes.*

8. P. II. S. 2. C. III, 9. *Urbs* aut *oppidum* id plerumque dicitur quod descripsimus, si mœnia & fossam addideris, quibus muniri solet; at qui eas voces, ex hac descriptione, intelligeret, in Historiis Veterum Britannorum; is vehementer falleretur, si credimus *Cæsari*, qui Lib. V. c. 21. ita eorum oppida pingit: * *Oppidum*, inquit, *Britanni vocant, cùm sylvas impeditas vallo & fossâ munierunt, quò, incursionis hostium vitandæ causâ, convenire consueverunt.* Vide & notata à nobis, ad Gen. III. 17.

9. Capite V, 14. in Ethnicos invecti sumus, qui *pro patria mori pulcrum* ducebant. Ad eam rem facit *Lactantii* locus, quem nescio quomodo prætermisimus, cùm eum in finem à nobis adnotatus esset. Legitur Inst. Divin. Lib. VI. c. 6. *Sublatâ hominum concordiâ, virtus nihil est omnino. Quæ sunt enim patriæ commoda, nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? id est, fines propagare, aliis violenter ejectis, augere imperium, vectigalia facere majora. Quæ omnia non utique virtutes, sed virtutum sunt eversiones. In primis enim tollitur humanæ societatis conjunctio, tollitur alieni abstinentia, tollitur denique ipsa justitia; quæ dissidium generis humani ferre non potest & ubicumque arma fulserint, hinc eam fugari & exterminari necesse est. Verum est enim Ciceronis illud:* † Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, dirimunt hi communem humani generis societatem; quâ sublatâ, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur. *Nam quomodo potest justus esse, qui nocet, qui odit, qui spoliat, qui occidit? Quæ omnia faciunt qui patriæ prodesse nituntur.*

10. Diximus P. III. S. 1. C. VI, 24. sæpe contigisse ut ex duabus vocibus una fieret, dum *Dictator* librarius nimis celeriter dictat, aut voces non satis distinguit. Habebamus e-

* *Utebantur voce* Caer, *quæ idem ac Phœnicia* קרתא Kirtha, *hoc est,* urbs, *à verbo* קרא Kara, *quod sæpe* convocare *sonat, quia eo convocati ex agris conveniebant.*

† *Officior. Lib. III. C. 6.*

gregium

gregium ejus rei exemplum, dudum à nobis animadversum, quod allatum oportuit. Est locus *Rutilii Numatiani*, in Itinerario, ubi ita loquitur vers. 73.

Inventrix oleæ colitur, vinique repertor,
Et qui primus humo pressit aratra puer.
Aras Pæoniam meruit Medicina per artem,
Factus & Alcides NOBILITATE Deus.

Ubi legendum NOBILIS ARTE *Deus*, ut superior versus, & sensus docent. *Factus* autem Hercules *arte Deus* dicitur, ut opponatur iis, qui credebantur *naturâ Dii*, de qua loquutione multis diximus Part. II. S. 1. C. VII, 4. & *seqq.* Vocatur etiam *nobilis Deus*, ut distinguatur ab ignobilibus quibusdam Diis, quorum nomina in uno loco nota erant. *Cicero* de Nat. Deor. Lib. III. *num.* 50. *Alabandenses quidem sanctiùs Alabandum colunt, à quo est urbs illa condita, quàm quemquam NOBILIUM Deorum; apud quos non inurbanè Stratonicus, ut multa, cùm quidam ei molestus Alabandum Deum esse confirmaret, Herculem negaret: ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus.* Videtur & ante oculos habuisse *Rutilius* versus hosce *Horatii* Lib. III, Od. 3.

Hac arte *Pollux & vagus Hercules*
Innixus arces attigit igneas.

11. Ejusdem Capitis §. 26. attulimus exemplum omissæ adspirationis, ex *Terentio*, cui addendum hoc *Plautinum*, ex Mercatore Act. IV. Sc. 4. vers. 15. ubi coquus Dorippam videns:

Satis scitum filum mulieris! virum hercle avet.

At MSS. Camerarii alter habet *anet*, alter *amet*, quod est pro *hamet*. Respicit ad ambiguitatem vocis *filum*, quæ significat quidem hic formam, ut ex *Lucilio* & aliis probarunt; at propriè sonat quod ex lino, lanave trahendo ducitur, quales erant *lineæ* (subintelligendum, chordæ) quibus addito hamo piscabantur. Sensus est, pro consuetudine *Plauti*, egregius, *scitum filum mulieris! hercle virum hamet*; hoc est facilè *hamare*, seu adjungere, ac sibi devincire queat. Participium *hamatus* frequens est in optimis Scriptoribus, quamvis nondum, quod meminerim, mihi occurrerit verbum *hamo*.

12. Cum

12. Cùm superiora pænè omnia edita essent, editionisque molestiâ minùs urgerer, libuit emendationes locorum *Ciceronis*, quæ in Sect. 1. Partis III. à me propositæ sunt, conferre cum Editione Ciceronis *Dionysiorum Lambini & Gothofredi*, quæ Genevæ prodiit anno * MDXCVI. Ex ea collatione, intellexi nonnulla mihi à *Lambino* prærepta fuisse, quæ tamen non minùs mea esse existimo; cùm non minùs mihi in mentem venerint, quàm si nullus umquam in rerum natura fuisset *Lambinus*. Imò verò gavisus sum nonnullas meas conjecturas à viro doctissimo fuisse confirmatas, nec eas paullo certiores esse propterea judico. Animadverti etiam *Janum Gruterum* bono illi viro interdum nimis malignè detrahere, cùm illum merito persæpe castigarit. Sed in *Grutero* & *Frid. Taubmanno* manifestò se prodit libido minùs laudabilis contradicendi viro eruditissimo. Credo equidem eos diligentiùs MSS. Codices contulisse, & religiosiùs laudasse; sed tamen neuter æquavit *Lambinum*, elegantiâ styli; neque, ut puto, ingenio superavit, quamvis certatim eum carpant.

13. Debuisset *Gruterus* meminisse ad Lib. III. de Oratore, C. 18. conjecturæ Lambinianæ, quâ voci *attamen*, substituit *ac tandem*; quæ videtur vera lectio, de qua vide dicta à nobis Part. III. S. 1. C. VIII, 6. Si *attamen* sensum aliquem relinqueret orationi *Ciceronis*, non esset quòd quereremur; sed cùm nullus sit, digna erat conjectura Lambiniana, quæ obiter saltem commemoraretur. Debuisset certè *Gruterus* inspicere hìc Palatinos Codices, & monere an omnes habeant *attamen*.

14. Emendaverat etiam *Lambinus* Lib. IV. in Verrem Capite undecimo, ex distinctione *Gruteriana*, *arationibus*, cùm clarum sit legendum esse *nationibus*, ut monuimus ibidem §. 8. Negligentia *Gruteri* hìc ferri non potest, imò fortè & invidia, cùm res sit manifesta. Interea quæ de eo loco diximus, ea non minùs illustrant quæ illustranda susceperamus. Nec pœnitet laboris; certè hinc intelleximus in *Gruteriana* editione nequaquam esse adquiescendum iis, qui *Ciceronem* intelligere cupiunt, quod famâ decepti antea credideramus.

15. Cap. XV, 8. emendavimus locum ex V. Verrina, ubi pro *veritas* diximus legendum *securitas*. Ita legendum viderat etiam *Lambinus*, quem tamen ut ludum faceret *Gruterus* aliter legisse ait, sic enim loquitur: *Lambinus, præter libros,*

* *In 4. apud Guil. Lamarium.*

maluit

maluit ſeveritas (imò *ſecuritas*) *prorſus abſurdè, ne quid præterea dicam.* Malignitatem profectò redolet, affingere *Lambino* quod non dixit, ut id carpas; aut tam negligenter legere, ut aliter ſcripſiſſe videatur, quàm ſcripſit. Facillimum eſſet oſtendere ipſum *Gruterum*, qui legendum cenſuit *veritas hominum*, dormitaſſe; ſed præſtat nos aliis ejus meritis in Rempublicam Litterariam hoc condonare, modò ne ejus malignitatem in *Lambinum* imitemur.

16. HÆC Coronidis loco addenda habuimus, quibus & alia plura adjicere potuiſſemus, niſi ad juſtum volumen hæ noſtræ commentationes Criticæ excreviſſent. Itaque manum de tabula tollemus, aliique opuſculo Critico quidquid videbitur copioſiùs fuiſſe diducendum, reſervabimus; ſi modò, per graviora ſtudia, ad haſce amœnitates nobis umquam divertere licebit.

ARTIS CRITICÆ

FINIS.

INDEX

INDEX
CAPITUM
TOMI SECUNDI.

PARS III.

De emendandi ratione, libris suppositis, & Scriptorum stylo.

SECTIO I.

De Emendatiome.

Cap.

SECTIO II.

De locis & scriptis spuriis a genuinis secernendis.

SECTIO III.

De judicio, de stylo & charactere Scriptoris ferendo.

FINIS.